zw.

—

COLLATIONES BRUGENSES.

—

Collationes Brugenses

OPUS PERIODICUM

auctoritate Ill^mi ac Rev^mi Episcopi Brugensis

ET OPERA

RR. DD. Professorum Maj. Sem. Brugen.

EDITUM

Labia sacerdotis custodient scientiam

MAL., II, 7.

TOMUS VIII

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

BRUGIS FLANDRORUM
Typis Ad. Maertens-Matthys
MCMIII

25286

v. 8
1903

Collationes Brugenses

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. VII, pag. 561.)

PARS TERTIA.

Prævia.

299. Jam ad tertiam partem seu ultimam seriem meditationum nostrarum theologicarum pervenimus, in qua, ut supra n. 3 nuntiabamus, universi operis divini prosequemur executionem, quæ fere continetur descripta in serie sacrorum librorum veteris ac novi testamenti, incipiendo a rerum conditione in Genesi, transeundo per reparationem in Evangelio, et terminando per consummationem in Apocalypsi.

Itaque, sicut in omni possibili ordine rerum, ratio operandi ad extra Deo esset sua bonitas, finis autem operum proximus quidem manifestatio divinæ bonitatis atque perfectionis creaturis rationalibus, ultimus vero glorificatio Dei externa per has creaturas, in qua et ipsæ suam beatitudinem inveniant; ita, in hoc præsenti ordine, a Deo electo, ratio operandi utique est divina bonitas, quæ apparet vere *summa;* finis operum proximus est manifestatio creaturæ rationali facta divinæ perfectionis, sed vere *summa,* absolute quidem summa in uno, scilicet in Verbo incarnato, relative vero ad ipsum summa in reliquis omnibus creaturis ad ipsum relatis; finis ultimus est glorificatio Dei externa, rursum *summa*, absolute quidem in ipso Christo, relative vero ad Christum in reliquis, et beatitudo *summa* est, iterum absolute in Christo, relative ad ipsum in cœlestis civitatis civibus, membris Christi. Quæ quidem omnia e

modo dictis supra satis intelliguntur. « *Elegit nos* [Deus] *in ipso* [Christo] *ante mundi constitutionem..... Et omnia subjecit sub pedibus ejus, et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ejus, et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur* (1). » Unde et merito diximus Christum esse fastigium totius operis Dei ad extra, eumque esse finem cujus gratia in præsenti ordine condita sunt universa, seseque, ut præ oculis habemus, universa evolvunt. Quod et rursum Apostolus Paulus diserte enuntiat (2) : *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ. Quoniam in ipso condita sunt universa, in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates : omnia per ipsum et in ipso* [in ipsum] *creata sunt, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens. Quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum* [ad se], *pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* »

300. Quæ cum ita sint, facile intelligitur totam S. Scripturam respicere Christum. Et manifestum quidem est libros novi testamenti non aliud describere quam Christi adventum, vitam, passionem ac mortem, gloriosam resurrectionem atque ascensum in cœlum, Christum Doctorem et exemplar nostrum, Redemptorem mundi, Judicem vivorum ac mortuorum, caput hominum atque angelorum, caput Ecclesiæ et Principem regni cœlestis. « *Deinde finis* [hujus mundi], *cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum et potestatem et virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat* [Pater] *omnes inimicos sub pedibus ejus* [Christi]. *Novissima autem inimica destruetur mors;*

---

(1) *Ad Ephes.*, I, 4, 22 et 23.
(2) *Ad Coloss.*, I, 15-20.

omnia enim subjecit [Pater] *sub pedibus ejus* [Christi]. *Cum autem dicat: Omnia subjecta sunt ei, sine dubio præter eum* [Deum et Patrem] *qui subjecit ei omnia. Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius* [Deus-Homo] *subjectus erit ei, qui subjecit sibi* [Christo] *omnia, ut sit Deus omnia in omnibus* (1). »

301. In libris autem testamenti veteris, rursus omnia ad Christum vergunt atque referuntur, ut breviter ostendit S. Bonaventura (2): « Verbum Dei, *ait*, in veteri testamento humanandum præfigurabatur, præmonstrabatur, promittebatur, prædocebatur, et prophetabatur. Præsagiebatur figuris, præmonstrabatur exemplis, promittebatur patribus, prædocebatur sapientialibus documentis, prophetabatur oraculis. Idcirco vetus testamentum quadripartitum est in libros legales, historiales vel exemplares, prophetales, sapientiales. Præfigurabatur autem Verbum Dei incarnandum, seu humanandum in legalibus figuris remotis, remotioribus, remotissimis. In Genesi quidem figuris remotissimis præsagiebatur ortus, occasus, triumphus, cultus. Ortus in ligno vitæ plantato in medio Paradisi, id est, Verbo Dei divinæ et humanæ naturis inserto, in medio militantis Ecclesiæ secundum Glossam. Occasus passionis in Abel, triumphus resurrectionis in Noe, cultus pietatis in Abraham. Augustinus in quodam sermone: Adam dixit illud verbum post soporem: Benedicta filia tu a Domino. In Exodo vero figuris remotioribus præfigurabatur Verbum humanandum nasciturum, in Moyse natum occultandum propter Pharaonem (sic Christus propter Herodem), revelandum ad populi captivati liberationem, populi captivantis interemptionem, liberati instructionem per legem, ut exercitatus in lege veteri, assuefieret ad legem Evangelii. Varietas sacrificiorum libri Levitici secundum Originem unum verum

(1) *1 Cor.*, XV, 24-28.
(2) *Princip S. Script.*, in fine. Cf. ejusdem *Serm. XIV in Hexaem.*

sacrificium, offerendum in fine temporum præmonstrabat, scilicet Christum, qui est sacerdos, et hostia. Liber vero numerorum ordinem, et connexionem membrorum Corporis Christi mystici subtilitate mirabili præfigurabat, et ordinem Ecclesiasticæ Hierarchiæ proficiscentis in via, et pervenientis ad patriam. In Deuteronomio, quod est denua legis repetitio, ad memoriam reducuntur beneficia Dei omnipotentis, ut altius infigatur memoriæ incarnatio Verbi, quæ est beneficium beneficiorum, ubi de semine Judæ prophetam suscitandum commemorat, sicut Jacob in suis benedictionibus commemorat. Josue Christum et re præsignat, et nomine, præcipue quantum ad distributionem terræ, quam funiculo distributionis distributurus est Christus, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum. Multitudo judicum, sibi invicem succedentium, unum verum judicem præsagiebat Christum, potissime quantum ad triumphum resurrectionis. Nam Samson maximus judicum, primo clausus et obsessus a Philistæis, qui nocte media victis hostibus portas confregit, figurat Christum, qui nocte media, cum descendisset in infernum, liberatis patribus, portas inferni confregit; cujus etiam incontaminata mater et virgo significabatur in vellere Gedeonis.

Copula maritalis Booz Israelitæ et Ruth alienigenæ signat conjunctionem Christi et Ecclesiæ de gentibus, quam discalceatus ille contempserat. Liber Regum illum significat, in cujus femore scriptum erat: Rex regum, et dominus dominantium. Qui cum sit Rex et Sacerdos in primo libro præsignatur, ut evacuaturus sacerdotium legale in depositione seu extinctione Heli, et substituturus sacerdotium novum in substitutione Samuelis, qui non fuit de stirpe Aaron, translaturus etiam regnum ab Israel in reprobatione Saulis, et confirmatione David. In libro secundo promittitur Christus de semine Davidico nasciturus. In tertio libro, in figura pacifici Salomonis præfiguratur Christus, qui

est pax nostra, qui fecit utraque unum: cujus etiam corporis mystici typus fuit materiale templum Salomonis. In quarto libro Regum præfiguratur Christus, ut evacuaturus omnem gentilitatis ritum, in interemptione pseudoprophetarum per Eliam, et ut suscitaturus mortuos in Elisæo; ut confecturus Eucharistiæ sacramentum in pane subcinericio; ut ascensurus in cœlum in translatione Eliæ in curru igneo. In libro Paralipomenon, in confirmationem repetitur in primo translatio sacerdotii, in secundo translatio regni. Liber Esdræ et Nehemiæ Christum præfigurant, quantum ad fervorem zeli, quo Christus inardescebat ad reædificationem templi veri, quod sumus nos. In libro Job præmonstrabatur Christus, ut exemplar summæ patientiæ; in Tobia, ut exemplar summæ modestiæ; in Judith, ut exemplar summæ pudicitiæ; in Esther, ut exemplar summæ clementiæ; in Machabeis, summæ constantiæ. Libri sapientiales Christum redolent: ut doctorem universalem, sicut liber Ecclesiasticus; ut doctorem specialem ad virtutis initiationem, in Proverbiis; ad contemptum vanitatis, in Ecclesiaste; ad gustum suavitatis, et exemplum charitatis, in Canticis; ad speculamina veritatis, in Sapientia. In Prophetis Christus prænunciabatur, et postulabatur. Postulabatur quidem, per orationis instantiam in prophetia Psalmi David. Prænunciabat Isaias incarnationis mysterium. Hieremias, appropriate loquendo, passionis remedium. Ezechiel, resurrectionis tropheum. Daniel, retributionis judicium. Duodecim Prophetæ, in angustia unius voluminis coarctati, Christum præsagierunt; sicut ipsum duodecim Apostoli prædicaverunt, ut numerus testium esset non tantum sufficiens, sed abundans. »

302. Itaque, in hac parte meditationum hæc nostra res erit, demonstrare quomodo tota operatio Dei ad extra, omnes actus divini concurrant ad gloriam ac beatitudinem Christi primario, et electorum ejus participative; quod præprimis volvendo sacras paginas præstandum erit.

Hæc ut rite fiant, utilissimum erit, introductionis instar, oculos mentis in ipsum Christum, ejusque electos per aliquot temporis momenta adhuc specialiter convertere; et præterea quædam de usu atque interpretatione sacræ Scripturæ præmittere.

Introductio in tertiam ac ultimam partem meditationum.

I.

Præliminaris consideratio ipsius Jesu Christi, et electorum ejus.

303. Itaque oculis mentis, fide illustratæ, Christum intueamur, primo quidem in se, secundo vero ut Redemptorem, tertio tandem ut cœlestis civitatis Principem, absolute et summe beatum, atque Caput electorum angelorum et hominum, ejusdem beatitudinis relative ad Christum summæ participes.

§ I.

De Christo in se spectato.

304. Christus est Filius Dei Patris unigenitus qui, actione ad extra tribus personis divinis communi, assumpsit ex B. Maria Virgine naturam humanam in unitatem suæ personæ.

Naturam, dicimus, humanam, similem omnino nostræ naturæ, absque peccato et defectu quocumque positivo, ut infra clarius patebit; naturam proin omnibus hominibus metaphysice seu abstractive et logice communem, physice vero seu concrete ac realiter distinctam ab omni alia cujusvis hominis natura, singularem et singulariter existentem sub unica sibi propria personalitate divina Verbi. Etenim, et singuli homines suam distinctam et singularem naturam habent sub distincta sua

personalitate humana, et ideo plures homines non dicuntur homo, sicut personæ divinæ Deus, sed in plurali homines. Et vero, cum actus alicujus suppositi seu personæ sint actus, non personalitatis, sed naturæ, ut proximi principii, unica sub diversis personalitatibus realiter communis natura eosdem produceret actus: quod videmus in creaturis esse falsum, et ad omnem impietatis ducere conclusionem (1).

Naturam autem hanc humanam singularem, ab aliis realiter distinctam assumpsit Filius Dei ex genere nostro propagatam. Quod utrumque significat doctrina catholica dicens: Verbum assumpsisse naturam humanam *ex* B. Maria Virgine: ab ipsa ergo natura etiam matris suæ distinctam, sed ex matre. Licet namque, sine virili consortio, operatione divina ad extra, quæ specialiter attribuitur Spiritui sancto, quoniam opus effectum est præclarissimum divini amoris opus, Verbum fuerit incarnatum, vere tamen et proprie Maria fuit Dei genitrix: integerrima semper Virgo manens, sed vere matris partes præstans.

305. Assumpsit autem Verbum naturam humanam in unitatem suæ personæ. Sunt in Christo duæ naturæ: quia Filius Dei, assumens naturam humanam, retinuit absque confusione divinam. Est in Christo unica personalitas, divina Filii: quia secunda Trinitatis persona, non personam sed naturam assumpsit humanam in unitatem suæ personæ divinæ. Quapropter unicus est Christus, Deus et homo, non confusione substantiarum sed unitate personæ.

Hinc, quum actus personæ sint actus, non personalitatis, sed naturæ: sunt in Christo, præter actus intelligendi et volendi divinos, actus intelligendi et volendi humani, et porro actus sensitivi ac organici humanæ naturæ competentes.

306. Assumptio naturæ creatæ rationalis in unitatem

---

1) Cf. Hugo a S. Victore, *De sacram.*, l. I, p. VII, c. 30.

personæ divinæ est ejusdem naturæ exaltatio, qua major cogitari nequit: nec enim major excellentia est quam divinæ personæ, nec major cum divina persona conjunctio, adeoque et participatio divinæ excellentiæ quam unio naturæ rationalis cum divina natura in **unitatem divinæ personæ.**

Jamvero actus sunt tum suppositi seu personæ, licet non personalitatis ut principii proximi; tum naturæ, ut proximi principii; adeoque et ejusdem dignitatis ac personæ agentis, item ac naturæ unde proxime egrediuntur: unde consequens est omnes actus humanæ naturæ Christi etiam dignitatis esse, qua major cogitari nequit.

Non solum autem major dignitas cogitari nequit quam naturæ a Christo hypostatice assumptæ, sed nec invenitur æqualis: nam, solum Verbum unicam assumpsit naturam creatam in unitatem suæ personæ.

Est igitur humana natura Christi, utpote hypostatice assumpta, in se dignitatis simpliciter possibilis maximæ, et non habens æqualem. Hinc singuli actus ejus sunt, absque proportione, altioris dignitatis quam omnes actus omnium creaturarum existentium et possibilium **simul.**

§ II.

De Christo Redemptore.

307. Assumpsit Filius Dei naturam humanam in unitatem suæ personæ, in plenitudine temporum, ut in assumpta humanitate omnes homines redimeret.

Ut nos redimeret, assumpsit hypostatice naturam, qualem nos redimendi habemus, sed absque ullo defectu, tam physico quam morali, cum perfectissima passibilitate. Verbum enim factum est verus homo, et secundum humanitatem est Christus verus frater noster. Verum, factus est homo verus absque defectu, non tantum morali, sed et physico, scilicet naturam quidem

finitam, seu negative deficientem, limitatam assumpsit, atvero, qua humanam, omnino perfectam absque ullo defectu positivo. Dignitas imprimis unionis hypostaticæ excludit omnem prorsus defectum. Repugnat etiam defectus cum opere redemptionis: qui enim est perfecte redemptor, oportet ipse perfecte irredimibilis sit. Assumpsit autem Filius Dei naturam humanam cum perfecta passibilitate, ut perfecta foret redemptio. Passibilitas, quæ est pœna peccati, vel, peccato remisso, remanens ejus sequela, est defectus redimibilis: passibilitas vero, voluntarie assumpta in ordine ad satisfactionem ac meritum et exemplum, est perfectio medii ad finem.

Quod diligenter adverte, ut infra melius intelligas quomodo passio non obesset perfectæ beatitudini Christi pro statu viæ ad gloriam suam.

308. In ipso momento incarnationis dedit Deus Christo præceptum assumendi in se ad gloriam Dei opus redimendi omnes fratres suos secundum carnem, ab initio ad finem mundi: *satisfaciendo* superabundanter divinæ justitiæ per peccatum læsæ; — *merendo* pro omnibus ut Deus daret singulis gratias quibus, pro sua bona voluntate, remissionem peccatorum et gratiam sanctificantem acciperent, gratias item actuales justis ad merendum augmentum gratiæ habitualis et gloriæ, adeoque vitam æternam in spe, ejusdemque consecutionem, si in gratia decederent, gratiam bene moriendi et gloriose resurgendi, vitam adeo, secundum animam et corpus, sempiterne beatam: — *docendo* tandem *verbo et exemplo* quid omnes credere deberent et agere ut illius beatitudinis essent participes: id est, dando se omnibus ut exemplar sensibile et perfectum omnium virtutum, et docendo proprio ore viam vitæ æternæ, eamque doctrinam confirmando miraculis ac prophetiis, atque adimpletione omnium quæ de se scripta et præfigurata erant; instituendo Ecclesiam, Spiritu sancto vivificatam, qua opus suum prosequeretur ad finem usque sæculorum.

309. Eodem incarnationis momento Christus, in assumpta humanitate perfectum posuit obedientiæ actum divino præcepto, cujus reliqui totius vitæ mortalis actus fuerunt satisfactoria, meritoria et exemplaris prosecutio et executio (1).

Verbum autem caro factum est in plenitudine temporum, id est, eo temporis momento, quod Deus præfixerat, postquam nempe ob prævisum actum obedientiæ Christi, quidquid fecerat ab initio mundi, direxerat ac paraverat in opportunum Redemptoris adventum.

Igitur omnibus in hunc finem apte dispositis, Redemptor advenit, cui, post præstitum Patris præcepto obedientiæ actum, Deus omnia tradidit ejusque potestati subjecit, ut ipse omnia quæ in cœlis et quæ in terris et quæ in inferis dirigeret in gloriam Dei, usque ad completam diaboli devictionem, completumque numerum ac triumphum electorum, quibusnum regnaret super inimicos Dei omnes in æternum.

[*Continuabitur*].

1 Vid. *Psalm.* XXXIX, 7-9, cum *ad Hebr.*, X, 5 et sqq.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Februarii.

—

I

Explica Marc. IV, 27-29: *Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi prius fortem alliget et tunc domum ejus diripiet. Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata et blasphemiæ quibus blasphemaverint. Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum sed reus erit æterni delicti.*

II

Expone notionem *processionis divinæ ad intra.*

III

Titius sacerdos, nocte evigilans vidensque horam 11^{m} indicatam in horologio, sumit haustum aquæ; mane autem stupefactus advertit horologium eamdem adhuc indicare horam: an et quare potest celebrare? — Idem, transacta probabiliter media nocte feriæ VI, manducat carnes cum intentione non celebrandi in sabbato, sed simul dat hoc consilium socio puta itineris: probabiliter nondum est media nox, ergo potes aliquid sumere, servata utique lege abstinentiæ, et mane celebrare: dijudica modum agendi Titii.

IV

Proba in scandalo directo speciei contra charitatem addi speciem peccati contra virtutem ad quam lædendam proximus inducitur.

V

Quæritur utrum in scandalo indirecto regulariter sit alia species peccati præter speciem charitati oppositam? Proba responsum.

VI

Qualis præscribitur parochis residentia?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Novembris propositas.

—

I

Q. *Explica differentias inter narrationes parallelas Matth. IX, 18 sq., 23-26; Marc. V, 22-24, 35-43; Luc. VIII, 41 sq., 49-56, de filia Jairi ad vitam revocata.*

R. I. Comparantur Mt. et Mc.

1° Apud Mc.: primo petit Jairus a Domino nostro: *filia mea in extremis est. Veni impone manum super eam ut salva sit et vivat* (23). Postea vero *veniunt* quidam *ab archisynagogo dicentes: quia filia tua mortua est* (35).

Apud Mt.: ab initio filia exhibetur ut mortua et resurrectio ejus postulatur: *filia mea modo defuncta est; sed veni, impone manum tuam super eam, et vivet* (18).

Igitur Mt. abbreviavit longiorem narrationem, minus enim probabile est Jairum postulasse resurrectionem nam nullus præter in evangeliis legitur petiisse hujusmodi miraculum, et præterea in præsenti loco post mortis nuntium, Jairo statim dicunt: *quid ultra vexas Magistrum?* id est, inutile jam est petere ut ad filiam tuam veniat; sponte vero sua Jesus ait: *noli timere.*

2° Mc. clare et distincte varias actiones successivas describit: a) Jesus cum Jairo et tribus discipulis electis (37) accedit ad domum archisynagogi, et dum in eo est ut ingrediatur jam videt turbam flentium et ejulantium (38); b) ingreditur domum et turbam alloquitur, etc. (39); c) cum personis supra indicatis, addita matre (quam in domo invenit), *ingreditur* cubiculum *ubi puella erat jacens* (40) (1).

---

(1) Ex hac locorum distinctione patet verbum: *puella non est mortua; sed dormit* prolatum esse antequam Jesus viderit filiam. et propterea rejicienda est explicatio nonnullorum rationalistarum antiquorum (v. g.

Hujus distinctionis nonnisi vestigium apud Mt. superest: a/ accessum ad domum ejusque ingressum sub una expressione exhibet: *cum venisset Jesus in domum principis;* b/ postquam retulit Jesum vidisse turbam tumultuantem, eam allocutum esse et tandem ejecisse, dicit modo indeterminato: Jesus *intravit.* Quo intravit? In domum Jairis, adeo ut verba præcedentia: *et cum venisset Jesus in domum principis* intelligenda sint de accessu ad domum (sicut Mc. v. 38)? Dubium tollitur ex comparatione cum Mc. 40:

Mt.	Mc.
et cum ejecta esset turba,	ejectis omnibus,...
intravit;	et ingreditur ubi puella erat jacens.
et tenuit manum ejus,..	et tenens manum puellæ;...

II. Comparantur L. et Mc.

1°/ Apud L. jam nulla habetur distinctio inter ingressum domus et ingressum cubiculi, consequenter in unum contrahuntur enumeratio eorum quibuscum Jesum domum intrat (Mc. 37) et enumeratio eorum quibuscum cubiculum ingreditur (Mc. 40): *et cum venisset domum, non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum... et matrem puellæ.* Quo intrare permisit? Si solum textum L. inspiciamus, vix aliquis dubitaret agi de domus ingressu. Quia proinde L. abbreviavit narrationem, supponere videtur matrem puellæ extra domum fuisse, dum apud Mc. supponitur, et quidem modo magis naturali, eam in domo fuisse.

2°/ L. pariter noluit memorare præsentiam turbæ tumultuantis, videbat enim illam statim expellendam esse, non tamen omisit verba Jesu: *nolite flere: non est mortua puella, sed dormit* et risum inde excitatum, quia hæc denotabant certitudinem adstantium de morte puellæ. Sed ut intelligi possit dictum: *nolite flere,*

Schleiermacker) et recentiorum (v. g. Holtzmann) Jesum visa puella perspexisse eam non vere mortuam esse ut adstantes putabant, sed deliquium tantum vel quid simile passam esse.

vestigium servavit præsentiæ plorantium: *flebant autem omnes et plangebant illam* (52). Hæc autem verba apud L. referri vix possunt nisi ad personas quarum enumeratio immediate antecedit (51), scil. tres discipulos et parentes. Cum textu ita abbreviato minus quadrant verba: *deridebant eum:* num discipuli magistrum suum deriserunt? num afflictione contriti parentes deriserunt eum quem tamquam thaumaturgum arcesserant et qui post mortis nuntium, spem resurrectionis non negaverat?

III. Comparantur Mt. et L.

1° L. hanc narrationem non assumpsit ex Mt., saltem non ex solo Mt.; nam primo refert morbum puellæ deinde mortem ejus, dum Mt. non distinguit: plura habet quæ apud Mt. desiderantur, inveniuntur vero apud Mc.: *erat fere annorum duodecim* (42; Mc. 42) — enumerationem personarum quas assumit Jesus, — Jesus loit: *puella surge, -- jussit illi dari manducare.*

2° Similiter Mt. non adhibuit L., saltem solum, nam memorat præsentiam turbæ tumultuantis — ejusque ejectionem. — ingressum Jesu in cubiculum (obscure indicatum per vocem *intravit*): hæc omnia autem Mc. habet et L. omittit.

Conclusio. Ex dictis sequi videtur Mt. et L. independenter ab invicem abbreviasse narrationem, qualis in forma prolixiori apud Mc. occurrit; et ita quidem ut nonnulla vix intelligibilia essent, si Mt. et L. soli spectentur, per comparationem autem cum Mc. facilius explicantur, tamquam vestigia alicujus plenioris textus. Ex alia parte necessarium non est recurrere hic ad fontem quemdam communem hodie deperditum, quo tum Mc. tum Mt. et L. usi fuissent, omnia enim sufficienter explicantur si Mt. et L. vel textum Marci præ oculis habuisse dicamus, vel ex propria notitia, aut variorum testium narratione, singulos pro scopo suo eventum exposuisse.

A. D. B.

II

Q. *Solvatur sequens difficultas: In quo habetur unio plurium distinctorum, in eo habetur compositio. Atqui in natura divina habetur unio trium Personarum. Ergo in Deo habetur compositio.*

R. *Dist. Maj.* In quo habetur unio plurium distinctorum *quæ se habent ut partes vel quasi-partes*, in eo habetur compositio, *conc.*

In quo habetur unio plurium distinctorum *quæ nulla ratione se habent ut partes*, in eo habetur compositio, *nego.*

Contrad. min. In natura divina habetur unio trium Personarum *quæ se habent ut partes vel quasi-partes*, *nego;*

In natura divina habetur unio trium Personarum *quæ nulla ratione sunt partes*, *conc.*

Sub datis distinctionibus nego consequens.

Explico: Ut habeatur in aliquo *compositio* non sufficit ut in eo sint plura, sed requiritur ut hæc plura sint partes vel quasi-partes. Etenim compositio est *unio plurium in unum quod his pluribus constituitur:* inde de ratione compositionis est ut componentia sese mutuo compleant ac perficiant, ut scilicet sint tamquam potentia et actus, consequenter ut unumquodque componens sit minus perfectum toto quod ex componentium unione resultat, consequenter ut unumquodque componens sit proprie *pars* vel *quasi-pars totius*. Ubi hæc ratio *partis* **non invenitur, ibi non habetur compositio**: hoc valet de *reali* et etiam de *logica* compositione.

Restat ut inquiramus qua ratione se habeant Personæ **divinæ in divina natura.**

Imprimis in memoriam revocemus revelatione divina constare dari in divina natura *duas processiones ad intra* « quarum una accipitur secundum actionem intellectus, quæ est processio verbi, alia secundum operationem

voluntatis, quæ est processio amoris. Secundum quamlibet autem processionem oportet duas accipere relationes oppositas, quarum una sit procedentis a principio, et alia ipsius principii. Processio autem verbi dicitur generatio secundum propriam rationem quæ competit rebus viventibus. Relatio autem principii generationis in viventibus perfectis dicitur *paternitas*: relatio vero procedentis a principio dicitur *filiatio*. Processio vero amoris non habet nomen proprium... unde neque relationes quæ secundum ipsas accipiuntur. Sed vocatur relatio principii hujus processionis *Spiratio*, relatio autem procedentis *processio;* quamvis hæc duo nomina ad ipsas processiones vel origines pertineant, et non ad relationes » (1).

Ex illis quatuor relationibus tres sunt ad invicem oppositæ et consequenter ab invicem distinctæ, nempe *paternitas*, *filiatio*, *processio* (hæc etiam vocatur *spiratio passiva*); alia relatio nempe spiratio (sc. spiratio activa) non opponitur paternitati nec filiationi, ideoque non distinguitur ab illis relationibus. Remanent igitur tres relationes reales ab invicem realiter distinctæ: hæ relationes realiter identificantur cum ipsa essentia divina quæ est ipsum Esse subsistens, ideoque sunt *subsistentes:* inde habentur in essentia divina *tres subsistentes* realiter ab invicem *distincti*, ideoque tres Personæ, nempe Pater, Filius et Spiritus Sanctus (2).

Hisce breviter indicatis consideremus quomodo se habeant in divinis relationes ad substantiam seu naturam, et relationes ad invicem.

1. Si considerantur relationes respectu naturæ, *nullam* cum ipsa faciunt *compositionem*.

---

(1) S. Thomas, I, Q. XXVIII, a. 4. — Cf. Ills ac Revs Waffelaert, *Meditationes Theologicæ*, Coll. Brug., T. III, p. 545 et sqq. p. 598 et sqq. ac T. IV, p. 10 et sqq. Jungmann, *De Deo Trino*, c. II, aa. 1, 2, 3; Billot, *De Deo Uno et Trino*, Romæ, 1897, L. II, Th. I, II, III, VI, IX.

(2) Cf. S. Thomas, I, Q. XXX, a. 1.

a/ Non datur compositio *realis:* nam relationes realiter *identificantur* cum ipsa natura divina.

b/ Sed nec datur compositio *logica*. Licet enim in divinis substantia et relatio sint formali ratione seu conceptu *simpliciter* distinctæ (1) tamen divina natura et relationes minime considerari possunt ut *partes* vel *quasi-partes*. Etenim natura divina utpote res infinite perfecta nullo modo se habet ad relationes tamquam potentia ad actum, tamquam capacitas perfectionis ad perfectionem; et ipsa relatio ex formali suo conceptu seu « *secundum propriam rationem* dicit *solum respectum ad aliud* » (2), consequenter relatio formaliter considerata nullo modo addit *perfectionem* ipsi naturæ divinæ, et ideo non habetur compositio logica ex divina natura et relationibus (3). Ad rem P. Billot: « Hujusmodi

---

(1) Hic animadvertes non sufficere *distinctionem rationis* ut habeatur *compositio logica:* plura possunt ratione distingui quæ tamen non considerari possunt ut *partes:* tunc non datur compositio. Etiam in Deo ratione distinguuntur essentia et attributa ac attributa inter se: tamen inter hæc non habetur compositio logica. Cf. De Jaegher, *Institutiones Philosophicæ,* Rollarii, 1900, n. 212. — Tamen diversus est modus quo ratio *relationis* distinguitur a ratione substantiæ et modus quo ab eadem differt ratio scientiæ, vel omnipotentiæ, etc. Cf. Billot, op. c., l. c., Thes. VII, p. 397 et seq.

(2) S. Thomas, I, Q. XXVIII, a. 1. — Notemus « discrimen quod intercedit inter attributa divina et relationes, nempe quod attributa cum sint absoluta dicant secundum propriam suam rationem ordinem ad existentiam et respiciant essentiam ratione sui, illamque perficiant in ordine ad se, non in ordine ad aliud, quod habet rationem puri termini, sicque addunt perfectionem aliquam virtualiter distinctam (ab essentia); at relationes ex propria sua ratione explicita neque dicunt ordinem ad existentiam, neque respiciunt divinam essentiam ratione sui, sed terminum purum sibi correlatum, consequenter non addunt perfectionem aliquam relativam, sed purum respectum a perfectione et imperfectione abstrahentem ». Billuart *De SS. Trinitatis Mysterio*, Diss. III, a. 5. « Nota... aliud esse relationes divinas ad divinitatis perfectionem pertinere, aliud ipsas ex suo formali conceptu, naturæ divinæ perfectionem superaddere ». Id. ibid.

(3) Natura divina necessario (sed necessitate cognita a nobis ex sola revelatione) identificat sibi relationes: sed quidquid *absoluti* seu *perfecti* est in Deo a substantia divina non a relationibus habetur. « Divinitas ipsa affecta, ut sic dicam, relatione non est melior se ipsa præcise

adæquata distinctio relationem inter et substantiam nequaquam in præjudicium divinæ simplicitatis existit; idque præcise quia *esse ad* non dicit, ut condivisim ab essentia, realitatem aliquam, sed solum dicit id quod per se præscindit ab ente reali vel rationis, et nonnisi ex identitate cum essentia absoluta in realitatis linea sistere intelligitur: respectum scilicet ad correlativum terminum et contrapositionem. Quo fit ut relatio non sit cassa in Deo, quasi non habens realiter id quod sibi proprium est (distinguere et opponi): sed nec aliunde componat cum essentia per modum comprincipii, etiam secundum solum intellectum » (1).

2. Si vero considerantur relationes *ad invivem*, illæ tres relationes oppositæ distinguuntur realiter ab invicem, ideoque non dicunt *unionem*, nec compositionem (2).

J. V. D. M.

III

Q. Quomodo interdum potest indirecte solvi dubium positivum speculativum?

R. **Prænotandum.** Dubium *speculativum* intelligimus cujus objectum « diversum est a liceitate actionis hic et nunc ponendæ, seu est moralitas materialis actionis alicujus, aut remotius: existentia facti, qualitas rei,

---

spectata sine relatione, quia ipsa per se, et absque relatione, est ens simpliciter infinitum in genere entis. Unde neque secundum rem, neque secundum rationem potest illi aliquid addi, quod tale ens faciat esse melius ». Suarez, *De SS. Trinitatis Mysterio*, L. III, c. X, n. 6.

(1) Op. c. Epilogus, I, § 2, p. 605.

(2) « Pluralitas personarum nullam compositionem in Deo inducit. Personæ enim dupliciter possunt considerari. Uno modo secundum quod comparantur ad essentiam, cum qua sunt idem re, et sic patet quod non relinquitur aliqua compositio. Alio vero modo, secundum quod comparantur ad invicem, et sic comparantur ut distinctæ, non ut adunatæ. Et propter hoc, nec ex hac parte potest esse compositio, nam omnis compositio est unio. » S. Thomas, *De Potentia*, Q. VII, a. 1, ad 10.

valor actus, aptitudo seu efficacia alicujus operationis ad finem attingendum (1). » Jamverò fieri potest ut ex enumeratis objectis dubii nullatenus pendeat liceitas alicujus insequentis actionis vel saltem abstrahatur mente ab hac insequente actione, ut cum agitur ex. gr. de lucranda absque ulla obligatione aliqua indulgentia: tunc unusquisque in dubio quovis utrum opus determinatum aut determinato modo requiratur aut sufficiat ad lucrandam indulgentiam, agit quidem pro libitu absque peccato; si verò velit certò lucrari, tutiorem partem sequi debet: cum enim indulgentia sub certa conditione detur, indulgentiam minime consequitur qui id non facit, pro quo indulgentia datur (2), neque per se probabilis doctrina auctorum securitatem hac in re confert. — Sæpius autem continget quod ab objecto de quo est dubium speculativum aliquo modo pendeat liceitas actionis subsequentis: de hoc dubio connexo cum liceitate actionis inquirit moralista quomodo solvi possit. Porrò in ordine ad judicandum de liceitate istius actionis primum est ut inquiramus an dubium hoc speculativum fundet simile dubium de liceitate actionis connexæ, *ut est hic et nunc ponenda*, aliis verbis utrum dubium speculativum transeat in dubium practicum, an verò manente dubio mere speculativo simul sit aliquod imperium certum sive legis naturæ sive legis positivæ fundans certitudinem practicam de obligatione ponendi vel omittendi hanc præsentem actionem seu impediens quominus dubium speculativum transeat in practicum (3).

His prænotatis, **respondemus**: sicut certitudini speculativæ respondet certitudo practica, ita probabilitati speculativæ *ordinarie* respondet probabilitas practica.

---

(1) Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *De dubio solvendo in re morali*, n. 194; Bouquillon, *Theol. Mor. fundam.*, ed. 1^a, n. 312; ed. 2^a, n. 276; ed. 3^a, n. 282.

(2) Cfr. in S. Thomæ *Supplem.*, q. 27, art. 3.

(3) Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *op. cit.*, nn. 194 sqq.

Ita in dubio speculativo juris, si probabile sit aliquam actionem lege non præcipi, per se probabile erit me hic et nunc non teneri eam ponere; item in dubio speculativo facti, si probabile sit me legem implevisse, ordinarie probabile erit eam non esse amplius implendam (1). Dixi *ordinarie,* quia contrarium obtinere potest tum in dubio speculativo juris, tum præsertim in dubio facti: impediri enim interdum potest ille transitus, ita ut indirecte, interveniente lege quadam certa ad modum principii cujusdam reflexi, solvatur ipsum dubium speculativum (2). Hoc autem obtinet *quoties adest obligatio absoluta obtinendi alicujus determinati finis*, quem usus opinionis probabilis seu medii probabiliter inepti in periculum adduceret. Quisquis enim finem absolute et certius obtinere tenetur, is ea tenetur eligere media, quibus finem certò sit assecuturus. Atqui per solam tutiorem partem certò obtineri potest finis: opinio enim probabilis, utpote medium probabiliter tantum aptum, in discrimen adducit finem absolute attingendum. Ergo quoties adest illa necessitas finis attingendi, pars tutior est eligenda (3).

Hujusmodi autem necessitas vel obligatio finis attingendi oritur vel ex aliqua lege naturæ, sive charitatis sive justitiæ sive religionis, vel ex mandato seu lege positiva et voto.

---

(1) Ills ac Revs Waffelaert, *op. cit.*, n. 197; Bouquillon, *op. cit.*, ed. 1a, n. 313; ed. 2a, n. 276; ed. 3a, n. 282.

(2) Dubium utique speculativum *in se* non solvitur, sed non fit practicum. Cfr. *Coll. Brug.*, T. VII, p. 586 sq. — Unde non accurate loquuntur nonnulli circuli, dum dicunt dubium positivum speculativum indirecte solvi interdum ope principii probabilismi: speculativum enim fit prius practicum, et hoc solvitur per principia probabilismi; dubium verò speculativum « indirecte solvi dicitur, quando specialis aliqua ratio impedit ne ex illo sequatur dubium practicum ». Bouquillon, *Theol. mor. fund.*, ed. 2a, p. 502; ed. 3a, p. 530.

(3) Gury-Ballerini, *Compendium theologiæ moralis,* T. I, n. 56; Theol. Mechlin., *De conscientia*, n. 105, q. 2; Bouquillon, *op. cit.*, ed. 1a, n. 314; Ills ac Revs Waffelaert, *op. cit.*, n. 197.

1° *Charitas* aliquando nos obligat tum ad procurandum bonum, tum ad præcavendum damnum sive temporale sive spirituale nostri vel proximi; in iis ergo casibus in quibus præceptum illud urget, non possumus nos vel alios absque justa et proportionata causa periculo detrimenti exponere. Sic in omnibus ad salutem necessariis necessitate medii unusquisque tenetur amplecti partem tutiorem (1).

2° *Justitia* nos obligat ad reddendum alteri quod ipsi ex jure stricto debetur; quoties igitur habetur certa obligatio illæsum servandi vel jus privatorum vel rectum societatis ordinem, non possumus sine justa causa nos exponere periculo dictum finem non consequendi (2). Exempla pro varia materia justitiæ inveniuntur apud AA. citatos (3).

3° *Religio* nos obligat ad reverentiam habendam erga res sacras. Unde in administrandis vel suscipiendis sacramentis, *quando agitur de valore*, tenetur per se minister vel fidelis amplecti partem tutiorem, cum aliter sacramentum periculo exponeretur nullitatis. Dicitur *per se:* excipi enim debet duplex casus, np. si urgeat necessitas vel Ecclesia defectum suppleat, ut quandoque obtinet in Sacramento Pœnitentiæ et Matrimonii (4). Idem dicendum videtur generatim *quando agitur de fructu* sacramenti: non minor enim videtur generatim adesse irreverentia in susceptione infructuosa sacramenti. Unde quando verum adest periculum infructuositatis, tenetur suscipiens medium adhibere, quo securius, quantum moraliter fieri potest, removeat obicem ad fructum (5).

---

(1) Bouquillon, *op. cit.*, ed. 1ª, n. 315; Ills ac Revs Waffelaert, *op. cit.*, n. 200; S. Alph., Lib. I, Tract. I, n. 42 sq.

(2) Bouquillon, *op. cit.*, ed. 1ª, n. 316; Ills ac Revs Waffelaert, *op. cit.*, n. 201; S. Alph., *l. cit.*, n. 44 sqq.

(3) Cfr. præsertim Ills ac Revs Waffelaert, *op. cit.*, Pars III, quæ est tota practica; Bouquillon, *op. cit.*, ed. 2ª, nn. 278 sqq.; ed. 3ª, nn. 284 sqq.

(4) Ills ac Revs Waffelaert, *op. cit.*, n. 262 sq.; Bouquillon, *op. cit.*, ed. 1ª, n. 317; Theol. Mechlin., *l. cit.*; S. Alph., *l. cit.*, n. 48 sqq.

(5) Cf. *Collat. Brug.*; T. VII, p. 96 sqq.

4° Denique potest quis *voto* se obstringere aut *ordinatione positiva* superioris ligari ad sectandum quod tutius est. Exemplum allegari solet ex libro V Decretalium Gregorii IX cap. Ad audientiam, de homic. vol., ubi statuitur: « cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere presbytero memorato [dubie homicidæ], ut in sacris ordinibus non ministret » (1).

Nota. « Quod si, omnibus inspectis, dubium forte remaneat an ad dubium practium transire liceat, et consultis sapientibus et auctoribus, qui et ipsi non semper hac in re conveniunt, dubium illud non mere nobis subjectivum esse constet sed ad publicum aliquo modo reducatur, recurrit tunc indirecte solutio per principia probabilismi.... : non potest enim in illo casu non esse saltem extrinsece probabile, et quidem practice, licitum esse transitum ad dubium practicum » (2).

H. M.

IV

Q. *Expone varia systemata a theologis proposita ad solvendum indirecte dubium positivum remote practicum.*

R. Ex dubio speculativo juris vel facti, si indirecte solvi non potuit, sponte enascitur, ut diximus, dubium practicum. Itaque examinandum est, an forte non adsit medium quo ipsum dubium practicum indirecte solvi possit, ita ut ex eo non sequatur dubium proxime practicum seu conscientia practice dubia, quacum numquam licet operari (3). Omnes quidem theologi agnoscunt cum sola probabilitate practica non posse

---

(1) Ills ac Revs Waffelaert, op. cit., n. 206; Bouquillon, *op. cit.*, ed. 1a, n. 318, ed. 2a, p. 514, nota 5; ed. 3a, p. 542, nota 2.

(2) Ills ac Revs Waffelaert, *op. cit.*, n. 208.

(3) *Collat. Brug.*, T. VII, p. 583 sqq.

directe obtineri conscientiam certam, nisi agatur de tali probabilitate quæ practice pertingat ad quamdam moralem certitudinem late sumptam (1); at alii, præsertim olim, nullum admittentes principium reflexum saltem ut sufficienter probatum, existimant in casu quo, post diligentiam necessariam, apprehenditur actio ponenda ut a parte rei non certò sed probabiliter tantum licita, semper tutius eligendum et consequenter standum esse pro lege; alii contrà, principia reflexa ut certò demonstrata habentes, statuunt ope horum principiorum *indirecte* efformari posse conscientiam omnino certam de liceitate actionis (2). Sic ortæ sunt variæ solutiones, quæ communiter audiunt *systemata moralia*. Hæc breviter indicamus (3).

A *Systemata Tutioristica*. Prima classis est eorum auctorum qui contendunt certitudinem practicam, quæ requiritur ut conscientia sit legitima regula operationis, *directe* esse obtinendam; vocantur *rigoristæ*, cum plus æquo faveant legi et libertatem humanam restringant, vel *tutioristæ*, secundum eorum formulam: « in dubio pars tutior est sequenda », id est, favens legi, vel denique *antiprobabilistæ*, sensu quodam generico, quatenus omnem probabilitatis usum in re morali rejiciunt. Distinguuntur autem in strictos et mites, pro gradu certitudinis directæ quem exigunt ad licite operandum (4).

1° *Tutiorismus absolutus*. Juxta illud systema non licet sequi opinionem minus tutam seu faventem libertati, nisi sit *stricte certa*, exclusa proinde probabilissima (5).

---

(1) *Coll. Brug.*, T. VII, p. 587.

(2) Cfr. Bouquillon, *op. cit.*, ed. 1ª, n. 324, ed. 2ª, n. 286; ed. 3ª, n. 292.

(3) Qui plura desiderat, consulat v. g. Döllinger-Reusch, *Geschichte der Moralstreitigkeiten in der römische Kirche seit dem 16 Jahrh.*, 2 vol. Nordlingen, 1889; Hier. Noldin, S. J., art. *Moralsysteme*, in Wetzer und Welte's *Kirchenlexikon*, zweite Auflage, Freiburg i. Br.; Lembach, *Untersuchungen über die verschiedenen Moralsysteme*, Fulda, 1894.

(4) Bouquillon, *op. cit.*, ed. 1ª, n. 325; Noldin, *l. cit.*

(5) Bouquillon, *op. cit.*, ed. 1ª, n. 326; Noldin, *l. cit.*

Ita Sinnichius, doctor Lovaniensis († 1666), et Jansenistæ. Hoc systema est aperte damnatum (1).

II° *Tutiorismus mitigatus:* non licet sequi minus tutam, nisi sit *probabilissima*. Hoc systema præ cæteris docuerunt Lovanienses sæc. XVII et XVIII (2); quamvis non sit aperte damnatum, hodie tamen ab omnibus rejicitur.

B/ *Systemata Probabilistica*. Horum fautoribus commune est quod, principia reflexa admittentes, ope illorum ad certitudinem practicam deveniri *indirecte* posse contendant; consequenter admittunt probabilitatis usum in re morali: ob hanc rationem designari possunt *sensu generico* probabilistæ; pro vario deinde gradu probabilitatis, quem requirunt ad licite amplectendam opinionem faventem libertati, *specifice* vocantur probabilioristæ, æquiprobabilistæ vel probabilistæ (3).

I° *Probabilioristæ* docent licitum esse sequi opinionem minus tutam, dummodo sit *manifeste et solide probabilior*, et sic recedunt a tutioristis; his vero accedunt, dum asserunt in conflictu duarum opinionum æque probabilium sequendam esse tutiorem. Hanc sententiam inde a medio sæculo XVII præprimis propugnarunt theologi dicti Thomistæ ex Ordine S. Dominici (4). Inde a tempore S. Alphonsi, qui constanter

---

(1) Propos. 3ª, excerpta ex opere Sinnichii *Saul ex-rex*, damnata ab Alexandro VIII: « Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam ». Denziger, *Enchiridion*, n. 1060. Cfr. Bouquillon, *op. cit.*, ed. 2ª, n. 267; ed. 3ª, n. 273.

(2) Præsertim Steyaert († 1701), Opstraet († 1720) et Dens († 1775). His in fine sæc. XVIII adhæsit card. Gerdil († 1802). — Ab iis vix discrepant plures alii, inter quos P. Patuzzi, adversarius S. Alphonsi. Cfr. Bouquillon, *op. cit.*, ed. 2ª, p. 516, nota 4; ed. 3ª, p. 544, nota 3; Noldin, *l. cit.*

(3) Bouquillon, *op. cit.*, ed. 1ª, n. 328.

(4) Inter præcipuos memorari possunt Mercorus, Gonet, Martinez, Natalis Alexander, Concina, Billuart; extra vero Ordinem S. Dominici Fagnanus, Duhamel, Habert, Collet et alii. Hinc acerrimæ impugnationes Jansenistarum, inde damnationes a RR. PP. Alexandro VII, Innocentio XI et Alexandro VIII prolatæ in popositiones laxas a nonnullis Probabilistis propugnatas, induxerunt theologos quosdam ad rigidiora

impugnavit tutiorismum et probabiliorismum (1), satis communiter hoc systema derelinquitur, si solam fere scholam Thomistarum excipias (2).

II° *Æquiprobabilistæ* docent licitum esse sequi opinionem faventem libertati in dubio *stricto*, id est in concursu duarum opinionum æque probabilium, non verò in dubio *lato*, quando opinio favens legi apparet probabilior. In primo puncto recedunt a probabilioristis et conveniunt cum Probabilistis, in secundo ab his recedunt et illis accedunt. Hoc systema defendunt præsertim theologi Congreg. SS. Redemptoris, utpote quod habent tanquam solum genuinum systema morale S. Alphonsi (3).

III° *Probabilistæ* existimant licitum esse sequi opinionem minus tutam, *dummodo sit vere ac solide probabilis*, relicta tutiore æque probabili vel etiam probabiliori. Ita recentiori tempore plures et præstantes theologi, qui probare student probabilismum purum, ut vocant, antiquitus implicite agnitum fuisse, inde autem a sæculo XVI a plerisque Doctoribus, necnon postea ab ipso S. Alphonso explicite tamquam Systema propositum (4).

---

sequenda. Notari debent præsertim conamina probabilioristæ Thyrsi Gonzalez, præpositi generalis Soc. Jesu, in cujus favorem datum est famosum decretum S. O. 26 Junii 1680 sub Innocentio XI; ipsum tamen non multi theologi, etiam inter ejus sodales, secuti sunt. Cfr. Noldin, *art. cit.*

(1) Cfr. Le Bachelet, *La question Ligorienne,* Paris Lethielleux, 1898, p. 38 ss.

(2) Theol. Mechlin., *De conscientia*, n. 106, Noldin, *art. cit.*

(3) Ita Auctores scripti cui titulus: *Vindiciæ Alphonsianæ* (Romæ, 1873), Konings, Marc, Aertnys, et alii infra indicandi; extra Congreg. SS. Red.: Card. Gousset, Scavini ejusque recentior editor Del Vecchio, Simar, E. Müller, Pruner et alii. Cfr. Noldin, *art. cit.*

(4) Ita Gury, Ballerini, Bouquillon, Ill^s ac Rev^s Waffelaert, Raphaël a S. Joseph, Lehmkuhl, Bucceroni, Génicot, et alii plures.

Nota. Ut ex expositis patet, controversia hodie agitatur fere unice inter Æquiprobabilistas et Probabilistas. Cum utraque pars litigantium magistrum revereatur S. Alphonsum, nemo mirabitur disquisitionem fuisse præsertim historico-criticam, de genuina videlicet mente S. Doctoris. Satis nota est Antonii Ballerinii, S. J., dissertatio *De morali systemate S. Alphonsi Mariæ de Ligorio*, habita in solemni studiorum instauratione in

Infra Probabilistas recenseri solent *Laxistæ* ab Innocentio XI damnati (1), qui docuisse perhibentur licitum

---

Collegio Romano anno 1863, edita anno 1864. (Hæc denuo publicata est a P. De Buck in opere: *Vindiciæ Ballerinianæ*, Brugis et Bruxellis, 1873, p. 115 sqq.). Decennio deinde elapso, prodierunt *Vindiciæ Alphonsianæ* (Romæ, 1873), cura quorumdam theologorum e Congreg. SS. Redemptoris: vindicatur np. Æquiprobabilismus Alphonsianus contra oppugnationes P. Ballerinii. Controversia acriter agitata est: ad hanc pertinent *Vindiciæ Ballerinianæ* statim memoratæ, Van Reeth, ord. Præm., *De Probabilismo S. Alphonsi...*, T. I, Brux 1875, et plures dissertationes in periodicis, notatim in *Revue des sciences ecclés.* (Montrouzier et Desjardins, S. J., Didiot) et *Civiltà Cattolica* 1888. Cfr. Le Bachelet, *op. cit.*, p. 21. — Publicatis a. 1887-1894 epistolis S. Alphonsi, controversia aliquatenus sopita majori æstu recruduit, uti ex sequenti indice bibliographico liquet (cfr. Le Bachelet, *op. cit.*, p. 17 sqq.): a/ in favorem Æquiprobabilismi: De Caigny, tunc C. SS. R., *Apologetica de æquiprobabilismo Alphonsiano historico-philosophica dissertatio...*, Tornaci, 1894; Gaudé, C. SS. R., *De morali system. S. Alph. M. de Lig. historico-theologica diss.*, Romæ, 1894; Ter Haar, C. SS. R, *De syst. morali antiquorum probabilistarum diss. historico-critica*, Tornaci, 1894; Aertnys, C. SS. R., *Probabilismus oder Æquiprobabilismus*, Paderborn, 1896; b/ in favorem Probabilismi: Leimbach, *op. cit.*, Fulda. 1894; Arendt, S. J., Apologeticæ de Æquiprobabilismo Alph. historico-philos. dissertationis a R. P. J. De Caigny, C. SS. R. exaratæ *Crisis...*, Friburgi Brisg., 1897. Accedunt deinde plures articuli apud varia periodica præsertim Germaniæ: *Der Katholik*, Mainz, 1893 (Dr Huppert), 1894 (Aertnys, respondens Dri Huppert); *Jahrbuch für Philosophie und speculative Theologie*, Breslau 1895-1896 (Jansen, C. SS. Red.); *Pastor Bonus*, Trier, 1895 (duo art. P. Jansen cum 2ci resp. P. Lehmkuhl), 1896 (Cathrein, S. J.); *Zeitschrift für kathol. Theologie*, Innsbrück, 1895 (Dr Huppert), 1896 (Noldin, S. J.); *Kathol. Seelsorger*, Paderborn, 1895 (Jansen, C. SS. Red.), 1896 (Dr Pruner); *Stimmen aus Maria-Laach*, 1894, 1897 (Lehmkuhl); *Theolog. Quartalschrift*, Tübingen, 1897 (Dr Koch); *Revue thomiste*, 1898 (Jansen) 1899 (idem respondet operi citato P. Le Bachelet); Wouters, C. SS. Red., in periodicis; *Divus Thomas*, 1899, 1900, 1901; *De Katholiek*, 1899-1900; *Kath. Seelsorger*, 1900. — Tandem anno 1901, P. De Caigny, nunc O. S. B, proposuit viam quamdam conciliationis in duplici dissertatione: *De gemino probabilismo licito*, et: *De genuino morali system. S. Alphonsi* (Cfr. *Collat. Brug.*, T. VII, p. 409 sqq.). Hujus tentaminis fortuna parum prospera videtur. Cfr. v. g. *Revue Thomiste*, 1902, p. 104 sqq. (Wouters, C. SS. R.), cum responso P. De Caigny, *ibid.*, p. 568 sqq. — Unum advertere liceat: studium, usque nunc adhibitum ad infaustas lites protrahendas, potius convertatur in parandam editionem vere criticam operum S. Alphonsi: determinatis textu genuino et tempore scriptionis pro singulis operibus, tunc demum cum spe fructus licebit accedere ad inquirendam mentem genuinam S. Doctoris.

(1) Prop. 3a: « Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive

esse sequi sententiam vel *tenuiter et dubie probabilem*. Laxismus, prout est systema, est abusus probabilismi, non sane ab ipso originem ducens sed ex hominum malitia vel imprudentia proveniens, ut bene notatur apud Cl. Bouquillon (1).

Nota. Sola recensuimus systemata *absoluta*. Sunt et alia quædam, quæ vocantur *mixta*, quæ generatim Auctoribus parum placuerunt. Illa videsis apud Cl. Bouquillon, *l. cit.*, ed. 2ª, n. 288; ed. 3ª, n. 294.

H. M.

V

Q. *Da definitionem scandali activi eamque explica.*

R. Scandalum activum definitur: *dictum vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis* (Cfr. S. Thom. 2ª 2ª, q. 43, a. 1 in corp.).

Explicatio. *Scandalum*, græce σκάνδαλον vel σκώλον significat offendiculum. Unde *activum* est positio offendiculi seu illius in quod viator possit pede impingere, *passivum* est ipsa impactio in offendiculum. Si de ordine spirituali sermo sit, intelligitur *activum* scandalum id quod in vita spirituali, tanquam via qua tendimus ad patriam, ab aliquo ità fit aut dicitur ut alteri sit causa vel occasio ruinæ spiritualis seu peccati; scandalum *passivum* verò est ipse casus proximi seu ejus spiritualis ruina. Activum igitur scandalum est ratio passivi, et de activo solo hic proprie agitur; de passivo eatenus tantum quatenus correlativum est scandali activi, ejus objectum nempe vel effectus. Cæteroquin passivum non est speciale peccatum habens propriam malitiam contra

---

extrinseca, *quantumvis tenui*, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus». Denzinger, *Enchiridion*, n. 1020. Cfr. Bouquillon, *op. cit.*, ed. 2ª, p. 521, nota 2.

(1) *Op. cit.*, ed. 1ª, n. 332. — Hunc pseudo-probabilismum aperte confundit cum probabilismo R. P. Mandonnet, Ord. Præd., in nuperrimo art.: *Les dangers du Probabilisme* (*Revue Thomiste*, 1902, p. 503 ss.).

charitatem, sed potest fundi per singulas peccatorum species. — Hoc prænotato, dicitur scandalum activum:

1/ *dictum vel factum*, i. e. *actus externus, vel reductive etiam omissio dicti aut facti externi, quod debet dici aut fieri:* ità parentes, officia omittentes hominis christiani, facile scandalum prolibus præbere possunt (1). Non tamen intelligitur sub nomine dicti vel facti actus internus seu concupitum, ut in definitione peccati, quia peccatum internum non innotescit proximo, adeoque non potest ipsi præbere occasionem peccandi;

2/ *minus rectum* non hoc sensu quod sit rectum et ab aliquo alio superetur in rectitudine, sed *quod habeat aliquem rectitudinis moralis defectum*, sive quia secundum se malum est et peccatum, abstrahendo a malo scandali effectu; sive quia habet ex circumstantiis aliquam speciem seu apparentiam mali qua proximo præbet occasionem peccati, ità ut dictum vel factum in se bonum, evadat minus rectum seu malum, attento malo ejus influxu (2). Ità si dispensatus carnes comedit feria sexta coram ignorantibus, actus in se bonus potest esse scandalosus adeoque minus rectus, spectato malo ejus influxu.

3/ *occasionem,* quo verbo sane non intelligitur causa perfecta physica ruinæ spiritualis seu peccati proximi; causa enim hujusmodi est sola peccantis voluntas; intelligimus nempe *causam moralem* seu quæ influxu morali agit in voluntatem alterius peccantis, adeoque quæ aliquo sensu vero, sive perfecto sive imperfecto, *moraliter causet* peccatum alterius, ut cùm quis suasione, consilio, exemplo etc. inducit alium ad peccandum. Non tamen requiritur ut ruina proximi *effectu* sequatur, sed sufficit ut ei præbeatur occasio sensu explicato.

---

(1) Etenim « agere et non agere, cum quis agere debet, ad idem genus reducuntur, secundum quod peccatum omissionis ad peccatum actus reducitur ». S. Thomas *De Verit.*, q 15, a. 1.

(2) Et ità *in sensu composito* cum malo ejus influxu scandalum est semper peccatum, non verò semper *in sensu diviso.*

Neque est necesse scandalizantem *intendere* peccatum alterius, sed sufficit eum facere vel dicere id ex quo, attentis adjunctis, natum est sequi peccatum proximi.

4/ *præbens:* requiritur scil. ut dicta occasio peccandi a scandalizante præbeatur seu offeratur i. e. ut dictum vel factum, attentis adjunctis, *natum sit* alium ad peccatum commovere. Nam interdum aliquis *sumit* ex dicto vel facto occasionem peccandi quam dictum vel factum non præbet; tunc scandalum est pure passivum estque peccatum tantùm in sumente, non verò in eo a quo sumitur. Oportet igitur ut occasio peccati sit vere et *moraliter data. Occasionem* ergo ne intelligamus eo sensu quo in philosophia dicitur esse « id ad cujus præsentiam aliquid fit », nam semper ad scandalum activum requiritur ut actus scandalizans aliquo modo *moveat* ad peccatum alterius.

5/ *ruinæ spiritualis* i. e. *peccati.* Unde scandalum proprie non consistit in actu qui alterum a perfectione, putà a frequentatione sacramentorum, a consiliis evangelicis etc. retrahit, quamvis in hoc haberi possit culpa etiam gravis contra charitatem vel aliam virtutem. A fortiori non aderit scandalum theologicum, si dictum vel factum minus rectum provocat *tantùm* indignationem, admirationem, non ruinam (1). Hinc vides corrigendam esse opinionem plurium de vulgo qui, dum videntes aut rescientes aliorum peccata, juste commoventur, pudore suffunduntur, indignantur, dicunt se esse scandalizatos: scandalizari (passive scil.) enim est peccando pati ruinam spiritualem; isti autem per se non peccant, quemadmodum non eo ipso peccant qui solam justæ indignationis vel admirationis causam præbent.

A. C.

---

(1) Cfr. Ill^{m} ac Reveren d^{m} Waffelaert, *Annot. in Tract. de Virt. theol.*, Brugis 1900, n. 533.

VI

Q. *Infra octavam aliquam B. M. V., die qua officium fit semiduplex de aliquo Sancto, celebranda est juxta intentionem petentis missa in honorem Immaculatæ Conceptionis ejusdem B. M. V.; quænam missa est celebranda et quænam servanda quoad* **Gloria in excelsis**, **Credo** *et Præfatione?*

R. Utiliter præmittuntur quæ habet Decretum generale *De missis votivis*, 30 Junii 1896 (1) datum, ad V, 1 : « Missa votiva de Beata Virgine, sive sit privata, sive solemnis, etiam pro re gravi, debet esse una ex votivis B. M. V. in fine Missalis positis pro diversitate temporum, *aliave approbata ut votiva dicatur*, ut missa *Gaudens gaudebo* de Immaculata Conceptione et Missa Septem Dolorum. Missæ vero propriæ de festivitatibus Beatæ Mariæ non celebrentur, *nisi diebus in quibus dictæ solemnitates occurrunt et per earum octavas :* quod servetur etiam si hujusmodi missæ ex præscripto et institutione fundatorum petantur; quibus fiet satis celebrando aliquam ex votivis B. M. V. juxta temporis occurrentiam. »

« Contra vero, in festivitatibus *et infra octavas* ejusdem Beatæ Virginis celebretur missa festivitatis aut *de die infra octavam*, tanquam *non votiva*, sed *festiva*.

« Pariter die quo officium votivum de Beata Virgine ex indulto recitatur, missa votiva sumatur quæ respondeat officio (2).

« Immo in Vigilia Assumptionis (similiter et Immaculatæ Conceptionis) B. M. V., etiam in implementum oneris, celebretur Missa de Vigilia; quippe qua et universalis Ecclesiæ ritui et particulari oneris implemento consulatur. »

---

(1) n° 3922 in nova collect.

(2) Intelligendum de illo qui recitavit officium votivum. Cfr. dicta *Collationes Brugenses* 1896, p. 401 seqq.

Ut votivæ ergo, in honorem B. M. V., celebrari possunt quinque missæ in quinta parte Missalis pro diversis anni temporibus positæ, missa de Immaculata Conceptione et missa de Septem Doloribus, quæ duæ ultimæ in respectivis festivitatibus rubricam habent indicantem, quo modo ut votivæ celebrandæ sint, et quæ ut votivæ permittuntur pluribus decretis (1), inter quæ decretum generale citatum. Nunquam autem licet extra ipsos dies festos vel eorum octavas adhibere formulare missarum aliis festivitatibus propriarum, v. gr. de Assumptione, Purificatione, Annuntiatione, Nativitate (2) et sub hac prohibitione comprehenduntur (secluso indulto) etiam « missæ sub variis titulis B. M. V., ex. gr. de Monte Carmelo, SS. Rosarii, Boni Consilii, Auxilii Christianorum, Puritatis etc. » (3) concessæ. In ipsis autem festivitatibus vel infra illarum octavas, si habentur, hæ missæ festivitatum, loco votivæ, celebrari *debent*.

His præmissis: in casu proposito 1° nisi octava occurrens sit de ipso festo Immaculatæ Conceptionis, celebranda est, non missa *Gaudens gaudebo* de Imm. Concept. (quæ tamen ut votiva per se permittitur), sed missa de octava currente v. gr. Nativitatis, Assumptionis, juxta dispositionem decreti generalis supra citati: « in festivitatibus et infra octavas ejusdem B. V. celebretur missa festivitatis aut *de die infra octavam* ». Hoc autem applicandum esse etiam in casu, quo speciali modo intenditur honorare ipsam *Immaculatam Conceptionem*, probatur ex decreto 26 Jan. 1793 (4). In eo enim agitur de indulto celebrandi in ecclesiis Patrum Ordinis Reformatorum S. Francisci Provinciæ Bahiensis in Brasilia, « missam solemnem festivam cum cantu

(1) Cfr. decr. 23 Feb. 1884, n° 3605, V, 1.
(2) Decr. 29 Jan. 1752, n° 2417 ad 6.
(3) Decr. cit 23 Feb. 1884.
(4) n° 2542.

de *Immaculata Conceptione B. M. V.* singulis sabbatis non impeditis festo duplici primæ vel secundæ classis, vigiliis vel octavis privilegiatis »; quæritur autem: « an in sabbatis in quibus occurrit B. M. V. *quævis* festivitas, aut *infra octavam ejusdem*, celebrari debeat missa ejusdem festivitatis,.. an vero semper missa ut in brevi assignatur » (scilicet Imm. Concept.), et respondetur affirmative ad primam partem, nempe, celebrandam missam festivitatis, aut de die infra octavam », sive de eadem octava recitetur officium, sive recitetur officium alterius festi (prouti in casu nostro supponitur). Ratio autem assignari potest, quia cum celebretur octava aliqua B. M. V. « etiamsi de eadem non fuerit eo die recitatum officium, non convenit aliud mysterium ejusdem B. Mariæ V. ob solum votum seu desiderium honorare per missam votivam, relicto mysterio quod Ecclesiæ determinata voluntate liturgice tunc temporis colitur;... et si expresse jam *(alterius)* mysterii propria missa desideraretur, remittenda foret missa votiva ad alium diem liberum » (1). Eamdem rationem innuit decretum generale supra citatum, dum præscribit in vigilia Assumptionis vel Conceptionis « etiam in implementum oneris », non missam votivam B. M. V., sed missam de vigilia celebrandam esse « quippe qua universalis Ecclesiæ ritui consulatur ».

2° Quænam servanda in casu quoad *Gloria in excelsis* et *Credo?* Utrumque dicendum. Decretum enim generale disponit: « infra octavas ejusdem B. V. celebretur missa de die infra octavam, tanquam *non votiva*, sed *festiva* ». Jamvero missa festiva octavæ B. M. V. requirit et *Gloria* et *Credo*. Quod etiam expresse docet idem decretum, l. c., 2: « In missis votivis de B. M. V., quæ celebrantur in sabbatis per annum et in sabbatis Adventus, dicatur Hymnus *Gloria in excelsis*, etiamsi officium non fiat de ea; nunquam vero dicatur extra sabbatum, *nisi infra octavas ejusdem beatæ Virginis* »,

(1) Ill. Vanderstappen *de rubricis Missalis*, q. 213.

quo casu, ut supra dictum est, missa *tanquam non votiva* sed *festiva* celebratur. Quoad Symbolum idem decretum habet, l. c.: « *Credo* in missis votivis B. M. V. semper omittatur, *nisi sint de die infra ejusdem octavas* », iterum quia in die infra octavam missa est festiva, non votiva, et octava B. M. V. requirit Symbolum. Eadem dispositio expresse invenitur in eodem decreto, paulo superius, § III, ubi *in genere* agitur de missis votivis privatis, ad 3: « missæ votivæ hujusmodi fiant sine *Gloria* et sine *Credo*, etiamsi de Patrono vel Titulari, vel, per speciale indultum, in die Dominica et in festis duplicibus, vel etiam intra octavas celebrentur, *nisi sint de die infra ipsam octavam (Patroni vel Titularis vel alterius festi, quæ requirit Hymnum angelicum* et *Symbolum);* quo in casu celebrandæ essent *ut in festo*, id est, cum *Gloria* et *Credo* ». Quæ omnia iterum confirmantur decreto recentiori *Plurium Diœcesium* 24 Aprilis 1899 (1): « Quando Sacerdos recitans Officium *de festo aliquo*, in quo occurrit dies infra octavam et festum simplex, de quibus sola commemoratio facta est, et celebrans in ecclesia ubi officium ritus duplici inferioris agatur, velit recitare missam *de die infra octavam* vel de Sancto simplici (2), istane missa *votiva seu more votivo* dicenda erit; vel potius *festiva* et *ut in festo* celebranda »? Respondetur: « Negative ad primam partem; affirmative ad secundam ». Jure ergo infertur: quando aliqua octava, cujuscumque sit festi, fert symbolum in missa, si de dicta octava missa fiat, etsi de ea non celebretur officium, eadem missa celebranda erit ut in festo et consequenter non tantum *Gloria* sed et Symbolum habebit (3).

---

(1) n° 4020.

(2) Cfr. decr. *Urbis et Orbis* 9 Dec. 1895, n° 3862, *Collat. Brugen.* 1896, p. 90 et p. 259.

(3) Cfr. *Ephem. liturg.* 1900, p. 561 et 1901, p. 501. — Auctores hucusque communiter docuerunt in casu nostro, quando scilicet infra octavam B. M. V., die, qua fit officium non de octava, sed de alio festo semiduplici, missa celebranda est de B. M. V., hanc quidem dicendam esse de octava.

Notandum etiam est in hac missa octavæ B. M. V., si cum cantu celebretur, *Gloria in excelsis* intonandum esse tono proprio missis B. M. V. (1).

3° Quoad præfationem: Cum missa dicatur de festo seu de octava B. M. V. currente, Præfatio erit propria ejusdem festi seu octavæ; scilicet Præfatio de Beata cum designatione festi, prouti in Missali indicatur: v. gr. « *Et te in Assumptione*, vel *Nativitate*, vel *Conceptione Immaculata* etc.; excepta tamen octava Purificationis, ubi ratione Tituli, Patronatus, vel privilegii celebratur; per totam enim hanc octavam usurpanda est « Præfatio Nativitatis ut in die festo », juxta decretum *in Lucionen.* 29 Decembris 1884 (2) ad II. Si autem missa fiat in cantu, Præfatio cantanda erit in tono solemni propter eamdem rationem, quia missa est festiva et de die infra octavam. Tono enim solemni, uti in alio responso (3) notavimus, juxta rubricas utendum est in omnibus missis cantatis officiorum, quæ ritu saltem semiduplici celebrantur, inter illa autem habetur officium de die infra octavam.

H. V. D. W.

---

sed *more votivo* sine *Credo*, cum *Gloria* tamen ratione solemnitatis seu propter octavam: De Herdt I, n° 28; Erker *Enchir. liturg.* n° 271, 1 et 5; Schöber *de Cærem. Missæ*, Append. III, cap. III, 2, (g); III. Vanderstappen, l. c., q. 210 et q. 250; P. Victorius ab Appelternn, *Manuale liturg.*, part. I, cap. II, q. 41. Innituntur decretis S. C. R. in quibus dicitur missam in casu *more votivo* celebrandam esse (*decr. citat.* n° 2542 ad 2), vel decreto (22 Aug 1744, n° 2378) quo videtur doceri *Credo* esse omittendum. Sed quoad primum notari potest, hanc missam, quæ dicitur festiva in decr. gen. cit., posse etiam dici simul votivam, quatenus scilicet non est præceptiva ex rubricis, nec conformis officio integro diei recitato, sed ex voto, desiderio celebrantis vel petentis et extra ordinem officii integri recitati celebrata. Unde in aliquibus sequitur rationem votivæ, v. gr., quoad commemorationem officii diei primo loco post orationem ipsius missæ faciendam, quoad ultimum Evangelium, quod debet esse semper *In principio*, non autem de feria majori vel vigilia occurrente. Quoad alterum, ex dictis superius concludendum decreta Symbolum excludentia, si habentur, quoad hanc dispositionem revocata esse decreto generali 30 Junii 1896.

(1) Cfr. decr. *Romana* 14 Martii 1896, n° 3891, *Collat. Brugen.* 1896, p. 258.

(2) n° 3424.

(3) 1902, p. 595.

Dissertatio.

De Pœnis Purgatorii.

Nuper in Periodico *Revue du Clergé Français* prodierunt duæ dissertationes quarum prima inscribitur: *Le feu du Purgatoire est-il un feu corporel?* auctore F. Dubois; altera vero: *La peine du dam et le Purgatoire*, auctore Ph. Dunand: prioris scripti conclusio est: ignis purgatorii non est corporalis; posterioris vero: nec est nec concipi potest pœna damni in purgatorio, sed admittenda est *quædam* pœna quæ recte vocaretur pœna spiritualis.

Quum novæ sint illæ opiniones et ab earum auctoribus proferantur ut pro doctrina jam antiquitus in scholis catholicis recepta subjiciantur, utile duximus lectoribus nostris exponere quomodo sententias suas explicent laudati scriptores easque propugnent, et simul indicare quid de valore argumentorum quæ afferuntur censendum videatur.

I

Primo loco agemus de dissertatione circa pœnam damni in purgatorio (1). Tum indoles, tum scopus disputationis indicatur ab auctore his verbis: « C'est un essai... de vérification doctrinale et de théologie critique que nous voudrions présenter à propos des peines du purgatoire. Il règne sur cette question dans les écoles catholiques, un enseignement de vieille date qui soulève plus d'une difficulté... Ce qui caractérise cet enseignement c'est qu'il assimile les peines des âmes justes non purifiées d'outre-tombe aux peines des réprouvés, sauf en un point, celui de leur durée. Il

(1) *Revue du Clergé Français*, Huitième année, 1902, T. XXXII, pp. 354-368, 485-499.

désigne les unes et les autres sous les mêmes noms: Peine du *dam*, Peine du *sens*... » p. 355.

Jamvero errat omnino auctor in asserendo theologos tenuisse similes esse quoad omnia, excepta duratione, cruciatus in inferno ac in purgatorio. Etenim primo nec ullam invenit, ut puto, auctor theologum qui hoc statuat. Deinde licet non omnes theologi *explicite* proponant varia quibus valde inter se discrepant tum inferni tum purgatorii pœnæ (1), tamen attente consideranti quid doceant de natura tormentorum purgatorii apparet facile illos tenere non solum duratione sed intrinseca puniendi vi et natura differre pœnas purgatorii ab inferni pœnis, et *statum*, *modumque agendi* et *patiendi* alium prorsus esse in inferno ac in purgatorio (2). Theologorum doctrinam in compendium redigens exposui præcipuas differentias inter pœnas purgatorii et inferni (3).

Post generalem accusationem, singillatim inquirit auctor 1/ de origine hujus denominationis *pœna damni*, *pœna sensus*, 2/ de ratione cur pœna damni dicta a theologis fuerit tum de inferno tum de purgatorio, 3/ quid deberet esse pœna *damni* in purgatorio; et simul ostendere conatur ibi nihil a parte rei esse quod respondeat notioni pœnæ damni.

1. Quoad *originem* denominationis scribit auctor inter alia: Il (ce terme: pœna *damni*) paraît également

(1) Quasdam rationes differentiæ, præter æternitatem, *explicite* indicant Bellarminus, *De Controversiis*, T. II, *De Purgatorio*, L. II, cap. II, 1; Suarez, *De Pœnitentia*, Disp. XLVI, Sect. I, n. 5; Billuart, *De Spe*, Diss. un. a. 3; Lambrecht, *De Novissimis*, Gandavi, 1888, p. 89; Billot, *De Natura et Ratione Peccati personalis*, Romæ, 1894, p. 77 et p. 114; Hurter, *Theologiæ dogmaticæ Compendium*, Œniponte, 1896, T. III, n. 672.

(2) Cf. S. Thomas in III, D. XIX, Q. I, a. 3, q. 2, ad 3 et D. XXII, Q. II, sol. II, et in IV, D. XLV, Q. I, a. 3; Lessius, *De Perfectionibus divinis*, L. XIII, c. 17; Suarez, op. c. disp. XLVI; Jungmann, *De Novissimis*, n. 98; Mazzella, *De Deo Creante*, n. 1341; Einig, *De Deo Consummante*, Treveris, 1898, p. 34.

(3) V. *Collationes Brugenses*, T. III, p. 261.

avoir été ignoré d'un des principaux commentateurs du livre des Sentences, Durand de Saint-Pourçain... En tout cas ce docteur n'en a pas fait usage... S. Thomas dans sa somme théologique n'emploie jamais l'expression *pœna damni* pour désigner la peine spirituelle des réprouvés... (p. 357).

Jamvero **Durandus a Santo Porciano** in III, D. XXII, Q. 4 scribit: « Sciendum est quod quadruplex est infernus secundum quadruplex genus pœnarum: quibusdam enim debetur **pœna damni**, hoc est *perpetua carentia visionis divinæ* et perpetua pœna sensus ratione peccati mortalis actualis in quo decesserunt. Et ii dicuntur esse in inferno damnatorum. Aliis debetur perpetua **pœna damni** absque pœna sensus sc. decedentibus in solo peccato originali qui dicuntur esse in limbo puerorum. Aliis debetur **pœna** sensus et **damni** non quidem perpetua sed **temporalis**, illis scilicet qui decesserunt in gratia debitores alicujus pœnæ, eo quod in præsenti vita non satisfecerunt plene de culpis commissis. Et isti dicuntur esse in purgatorio. Aliis vero debetur sola **pœna damni** solum **temporalis** absque ulla pœna sensus. Et isti dicuntur esse in limbo patrum... » (1).

Ergo Durandus a santo Porciano et cognovit et adhibuit denominationem *pœna damni,* et hac usus est ad designandam *carentiam visionis Dei* tum *perpetuam* tum *temporalem.*

S. Thomas in **Summa theologica**, I-II^ae, Q. LXXXVII, a. 4 scribit: « Pœna proportionatur peccato. In peccato autem sunt duo: quorum unum est aversio ab incommunicabili bono... aliud quod est in peccato est inordinata conversio ad commutabile bonum... Ex parte igitur aversionis respondet peccato **pœna damni**, quæ etiam est infinita: est enim amissio infiniti boni, scilicet

(1) Edit. facta Parisiis, 1550, fo. 215.

Dei. Ex parte autem inordinatæ conversionis respondet ei pœna sensus » (1).

Ergo S. Thomas in Summa theologica damnatorum pœnam præcipuam vocat *pœnam damni*. Notemus etiam eamdem prorsus doctrinam *eisdemque denominationibus* exponi a S. Thoma in scriptis quæ *ante* Summam theologicam confecit: ita in III, D. XXII, Q. II, a. 1, sol. 1, et in *Summa contra Gentiles*, L. IV, c. 90. Et hæc vocabula *pœna damni*, *pœna sensus* videntur adhiberi a S. Thoma ut jam nota et usu recepta eo tempore quo scribit (2). Cæterum illa vocabula jam ante S. Thomam fuisse usurpata constat ex Alberto Magno qui in

---

(1) Idem habet S. Thomas, II-IIæ, Q. LXXIX, a. 4, ad 4.

(2) Auctor, uti diximus, asserit Durandum non adhibuisse vocabula *pœna damni* et ut confirmet hoc assertum refert hæc Durandi verba: « Utrum in inferno sit tantum pœna ignis?... Dicendum est quod præter pœnam ignis et quamcumque pœnam corporalem est in inferno *quædam* (auctor omisit hoc vocabulum) pœna spiritualis quæ dicitur pœna vermis ». Post hæc verba in ulteriori explicatione scribit Durandus: privatio secundi boni sc. beatitudinis est maxime perceptibilis a damnatis, et ex hoc sequitur in eis *maxima* tristitia, quia sicut maxime appetunt beatitudinem ita maxime dolent de carentia ejus ut est bonum commodi, et quia non privantur bono divino nisi propter culpam suam, ideo *valde* dolent de culpa sua, non quidem ut fuit actus deordinatus et contra præceptum Dei, sed ut est impeditiva sui commodi, et hæc tristitia de carentia visionis divinæ propter culpam commissam vocatur vermis conscientiæ... » In IV, D. L, Q. I. Hic igitur Durandus distinguit duplicem tristitiam: unam quæ est illa maxima tristitia de *carentia beatitudinis* ut est bonum commodi, alteram quæ est magna tristitia de *culpa* prout est impeditiva beatitudinis: et hæc secunda tristitia vocatur *vermis*. Summa tristitia quæ immediate sequitur ex carentia beatitudinis vocatur proprie pœna damni; hæc altera tristitia de culpa, prout est impeditiva beatitudinis, vocatur vermis. Et hæc eadem est doctrina quam exponit S. Thomas quando dicit: « vermis qui in damnatis pónitur non debet intelligi esse corporalis sed spiritualis, qui est *conscientiæ remorsus* ». In IV, D. L, Q. II, a. 3, sol. II. Et hæc erat doctrina scholasticorum qui a pœna damni distinguebant pœnam vermis, seu remorsum conscientiæ. Ad rem Suarez: « Nec aliud sensit Scotus qui in contrarium citari solet: nam d. 50, circa finem, § *Ad primam quæstionem*, distinguit etiam spiritualem et corporalem pœnam, et priorem subdistinguit in pœnam damni et vermis. » De Pœnitentia, Disp. XLVI, sect. I, n. 7. Præter pœnam corporalem habetur ergo *quædam* pœna spiritualis quæ vocatur *vermis:* hæc est doctrina Durandi.

Commentario in Libros Sententiarum hæc habet. « Utrum parvuli qui in utero matris moriuntur, vel nati sine baptismo discedunt, æterno supplicio vel sensibili puniantur, an pœna damni tantum? » Solutio: « Quod concedimus (sc. eos non puniri pœna sensibili) dicentes quod non patiuntur nisi pœnam damni. Distinxerunt enim antiqui et bene inter **pœnam damni** et **pœnam sensus**, dicentes quod pœna damni est in ablatione alicujus quod debetur nobis per ordinem naturæ, sicut est carentia visionis Dei et carentia felicititatis æternæ; pœna autem sensus est qua sentitur dolor contrarius ex aliquo afflictivo, ut ustio ignis vel constrictio frigoris, vel hujusmodi, quales pœnæ erunt in inferno. » In IV, D. IV, a. 8. Ergo Albertus Magnus et ipse has denominationes adhibet et præterea affirmat *ab antiquis* hanc distinctionem esse inductam.

In duobis aliis locis laudati Commentarii, nempe in II, D. XXXVII, a. 3 et in III, D. XXII, a. 4, eadem adhibet vocabula Albertus Magnus. Ad significationem quod attinet: nomine pœnæ *damni* intelligit *privationem* alicujus boni debiti; nomine vero pœnæ *sensus*, *aliquid existens et affligens*, ut ignis.

2. « Pour connaître *les raisons* qui ont conduit les théologiens à faire de la *pœna damni*, une des peines du Purgatoire et la principale, il n'y a qu'à écouter et noter leur langage » (p. 360). Refert deinde auctor quædam verba ex aliquibus theologis (1): quibus ex citatis aperte constat theologos docere animas in purgatorio *privari ad tempus visione Dei intuitiva*, et ex hac privatione valde dolere: hanc autem pœnam vocant pœnam damni, sicut etiam privatio visionis Dei in inferno vocatur pœna damni. Nihil aliud concludi potest: et

(1) Citat auctor S. Thomam, in *Suppl.* Q. C. a. 3, qui locus desumitur ex IV, D. XXI, Q. I, a. 1, sol. 3; Bellarminum, *De Controversiis*, T. II, p. 371, Pragæ et Francofurti, 1721; Dens, ap. Migne, *Cours complet de théologie*, T. VII. col. 1607; Hurter, *Theol. dogm.* T. III; Mazzella, *De Deo Creante*, 1877, p. 888.

prorsus errat auctor concludendo: « Les peines de l'enfer et celles du Purgatoire paraissant *semblables*, ils (les théologiens) ont conclu à leur *identité* en tant que peines du dam. Toutes réserves faites au sujet de l'intensité et de la durée de ces peines, on a vu entr'elles une différence non d'essence et de nature, mais simplement de degrés » (p. 362) (1).

Certo certius non requiritur ut privatio temporalis visionis divinæ in purgatorio vocetur pœna damni. Unde si velit auctor ut potius dicatur sic : pœna purgatorii est duplex nimirum *pœna dilationis gloriæ* et pœna sensus (2) non contradicemus. Sed negamus ex hoc facto quod theologi nomen *pœna damni* adhibuerunt de purgatorio posse concludi illos non intellexisse diversæ esse rationis *amissionem* summi Boni et ejusdem possessionis *dilationem* temporalem.

Præterea, ut nobis videtur, recte potest *dilatio* visionis Dei vocari *pœna damni.*

Ut clare res exponatur imprimis determinandum est quid designetur nomine *pœnæ*. Pœna definiri potest: privatio alicujus boni delectabilis quam ratione culpæ contra naturalem appetitum suæ voluntatis patitur creatura (3). Sed consideremus attente quod « non oportet ut omnis pœna sit semper conjuncta cum dolore et tormento. Ad pœnam enim sufficit ut sit contra voluntatem solum habitualem, eo modo quo contra habitualem voluntatem est privatio boni de quo *doleret homo si illam cognosceret*, etiamsi forte non dolet quia de facto illam non cognoscit. Et sic se habet pœna damni in iis qui cum solo originali (peccato) decedentes omnia bona quæ naturæ debita sunt possident, et de ordinatione

(1) Explicite *naturæ* differentiam inter pœnam damni in inferno et in purgatorio notat Billot, op. c. p. 77.

(2) Cf. Billot, *De Novissimis*, Romæ, 1902, p. 102.

(3) Cf. Billot, *De Natura et Ratione Peccati personalis*, p. 70; Buonpensiere, *Commentaria in I P. Summæ theologicæ*, Romæ, 1902, n. 1063; *Collat. Brug.* T. VII, p. 464.

hominis ad supernaturalem visionem gloriæ nihil sciunt nec velle possunt » (1). Distinguendum igitur est inter *pœnam secundum se consideratam* et *tristitiam* quæ ex pœna consequitur. Hæc eadem distinctio exponitur a Suarez (2). Plerumque tamen sub nomine *pœna damni*, quando agitur de inferno et de purgatorio, designatur *et* ipsa privatio visionis Dei et tristitia quæ ex hac immediate consequitur (3).

Porro ulterius considerandum est nomina non solum dici univoce sed etiam analoge. Nomina dicuntur univoce de pluribus quando forma (h. e. quæcumque determinatio qua subjectum aliud concipitur) per nomen significata prædicatur eadem omnino ratione de pluribus. Analogice dicuntur nomina quando forma per nomen significata non eodem modo prædicatur de pluribus.

Inter varios analogiæ modos ille est considerandus qui habetur quando forma per nomen significata inest uni secundum *perfectum* sui rationem, in alio autem *deficienter* tantum, cum inequali perfectione inveniatur. Ita privatio visionis Dei in inferno est *perpetua et aeculata*, et tristitia quæ ex hac consequitur est, de genere suo, summa; privatio visionis Dei in purgatorio est tantum *secundum quid*, nempe ad tempus, et ideo tristitia quæ ex hac dilatione sequitur est diversæ rationis a tristitia quæ habetur in inferno: quia autem in utroque ipsa habetur *privatio* visionis Dei sed diversa ratione ideo *pœna damni* dicitur *analogice* tum de præcipua pœna inferni, tum de præcipua pœna purgatorii.

Nec unicus est in sermone theologorum talis loquendi modus. V. gr. *peccatum* dicitur analogice tum de *originali*, tum de *mortali*, tum de *veniali* peccato. Audiamus S. Thomam: « Peccatum non dicitur univoce de omni-

(1) Billot, *De Novissimis*, p. 76.

(2) *De Poenitentia*, Disp. XLVI, sect. I, n. 4 et n. 5. — Cf. Casajuana, *Disquisitiones scholastico-dogmaticæ*, Vol. IV, disp. VI, cap. I, a. 2, n. 20.

(3) Cf. Billot, *De Novissimis et Ultimis Poenis quoad...* p. 76; Cahier, *Bull.*, T. III, p. 81.

bus generibus peccatorum sed per prius de peccato actuali mortali, a quo peccatum veniale deficit ex hoc quod non omnino a fine deordinat. Sed aliquo modo a fine retardat, ordine ad finem salvato; unde deficit ex parte illa ex qua peccatum formaliter rationem mali habet. Originale autem deficit ab eo ex parte ipsius substantiæ actus: actuale enim mortale est voluntarium voluntate propria illius in quo est; sed originale est voluntarium voluntate alterius: unde deficit ex parte illa ex qua peccatum habet rationem culpæ. Et ideo non oportet quod definitio peccati in genere conveniat nisi illi peccato in quo *perfecte* ratio generis invenitur. Potest autem et definitio peccati in genere eis *secundum quid* convenire, sicut et ratio generis in eis per posterius invenitur » (1).

Unde tamen non inferamus originale et veniale non dici peccatum *proprie* sed *metaphorice:* ratio peccati *vere* inest tum in mortali, tum in originali, tum in veniali, sed *aliter* in singulis: in mortali nempe *perfecte*, in aliis *deficienter* (2). Unde concludimus a pari: ratio pœnæ damni vere et proprie est tum in inferno, tum in purgatorio, sed *aliter* in utroque: ideo *analogice* dicitur pœna damni.

3. Auctor non solum impugnat nomen, sed non admittit a parte rei esse in purgatorio id quod designant theologi nomine *pœna damni*. Qua autem in re consistat præcipua pœna purgatorii auctor non exponit: totus est in hoc ut removeat ab animabus purgantibus quidquid simile esse possit pœnæ damni.

« Et d'abord, prenons le soin de préciser ce que l'on doit entendre par une *peine de dam temporelle*... Puisqu'on lui assigne pour type la peine du dam éternelle, nous n'avons qu'à prendre la définition de cette peine

---

1) In II. D. XXXV. Q. I. a. 2. ad 2.

2) Cf. De Baets. *De Ratione ac Natura Peccati originalis*, Lovanii, 1899, p. 16.

éternelle telle que la présentent les docteurs et à l'appliquer *mutatis mutandis* à la peine du dam du Purgatoire.

D'après le docteur Pierre Dens, la peine du dam des réprouvés consiste dans la privation à jamais de la vision béatifique en punition du péché, privation à laquelle se joint l'inimitié perpétuelle de Dieu et une affreuse tristesse. (Dans Migne, *Theol. Cursus completus*, col. 1598, 1596).

« A ce compte la peine du dam des âmes justes devrait se définir : la privation pour un temps de la vue de Dieu, en punition du péché véniel avec l'inimitié, l'éloignement de Dieu à quelque degré et une grande tristesse ». p. 364.

Imprimis claudicat hæc definitio inquantum asserit ob *solum veniale* peccatum haberi in purgatorio pœnam damni : etenim purgatorii pœnæ luuntur etiam propter peccata *mortalia,* remissa quoad reatum culpæ, non vero quoad reatum pœnæ temporalis.

Præterea *inimicitia Dei* non ingreditur definitionem stricte dictam pœnæ damni et *separatio a Deo* jam sufficienter indicatur quando dicitur privatio visionis Dei. Igitur pœna damni prout hæc habetur in inferno recte definitur : visionis Dei *privatio* simpliciter dicta seu *amissio* et *summa tristitia* ex illa amissione consequens ; pœna damni prout hæc habetur in purgatorio recte definitur : visionis Dei *privatio temporalis* seu *dilatio* et *magna tristitia* ex hac dilatione consequens.

In reliqua dissertatione plura congerit auctor de felicitate animarum in purgatorio : qua in parte quædam vera proponuntur sed quædam prorsus mira. Auctor quum non amet *distinctiones* et præsertim « les divisions symétriques (*sic*) et le parallélisme des idées qui constitue l'un des caractères de l'esprit scolastique » (p. 362), *confundit* res omnino diversas. Quædam in exemplum referemus.

« Qu'on ne parle donc pas de séparation entre les

âmes du Purgatoire et Dieu. Par les fibres les plus secrètes... par l'amour le plus fort et le plus indestructible elles lui sont indissolublement unies » p. 367 (1). Hic confundit auctor *unionem* quæ habetur formaliter per *amorem*, cum *unione* quæ habetur per *visionem Dei intuitivam*. Quicumque enim loquitur de separatione animæ purgantis a Deo intendit hanc separationem quæ est ex dilatione visionis Dei.

« Elles (les âmes du Purgatoire) ne sont pas encore admises, à la delectation, à la gloire, inhérentes à la beatitude complète, mais elles possèdent l'essentiel de la beatitude, c'est-à-dire l'état de grâce et de charité à perpetuité » p. 487. Hic confundit auctor *essentiam beatitudinis* cum *essentia justificationis*. Beatitudo enim *essentialiter* consistit in *visione* Dei *intuitiva*; justificatio *essentialiter* consistit in *gratia sanctificante*.

« Tout peché mortel ou véniel est, dit-on, incompatible avec la vision béatifique. Nous repondons : tout peche mortel, oui ; le peche véniel, non (*sic*). Celui-ci est si peu incompatible (*sic*) avec la vision de Dieu et le bonheur du paradis que les âmes non purifiées possèdent un droit (*sic*) à cette vision dont tous les peches veniels imaginables ne sauraient les deposséder. »

Ecce quomodo confundit auctor *jus* ad visionem Dei mox possidendam cum *actuali possessione* Dei per visionem intuitivam.

« Sur la terre, nous sommes de fait privés (*sic*) de la vision beatifique, même en état de grâce et en l'absence de tout peche veniel. Est-ce qu'il y a lieu pour cela de

---

1 Sequitur poema purgatorii desumptum : « Et puis, qu'on ne s'y trompe pas, elles (les âmes du Purgatoire) habitent un coin de son royaume (du royaume de Dieu) et nullement un pays d'exil, une region étrangère. Si le purgatoire n'est pas la partie resplendissante du royaume de Dieu, il en est le vestibule et le parvis, vestibule et parvis, appartements d'honneur et salles d'apparat. C'est toujours le palais du grand roi, c'est toujours la maison du pere de famille, c'est toujours le royaume de Dieu » p. 367-368.

voir en cette privation de fait une *pœna damni?* » p. 492.

Nunc confundit auctor *carentiam* seu *negationem* alicujus perfectionis cum ejusdem *privatione*. Privatio enim est carentia perfectionis debitæ. Quum homini quamdiu sit in *via* non *debeatur* visio Dei intuitiva, hujus carentia homini in terra viventi nec rationem *pœnæ* habere potest, nec tristitiam gignit quæ propria est animabus in purgatorio degentibus.

« Est-il bien sur d'ailleurs qu'il y ait, pour les âmes du Purgatoire, *aliqua mora in conjunctione cum ultimo fine?* In fruitione, in gaudio perfecto conjunctionis, concedo; in conjunctione ipsa, nego » p. 493.

Hæc distinctio inepte hic proponitur: conjunctio enim ipsa cum ultimo fine est ipsa intuitiva Dei visio, et ex hac intuitiva Dei visione consequitur *immediate et necessario* gaudium perfectum conjunctionis.

Tandem eo advenit auctor ut scribat: « Sans être un *châtiment proprement dit*... le retardement de la vision béatifique peut s'assimiler à une souffrance morale » p. 494. Sed quid huic tristitiæ morali seu spirituali deest ut sit proprie dicta pœna et proprie dictus cruciatus?

II

Altera in dissertatione expenditur quæstio: *utrum ignis purgatorii sit corporalis.*

Postquam auctor exposuit (p. 271 et s.) sententiam S. Thomæ de modo quo ignis possit cruciare animam separatam vel spiritum, illum rejicit et rationem dat his verbis: « Que vaut donc cette théorie de l'action du feu sur l'âme élaborée si subtilement par l'Ange de l'École? Elle n'échappe point, semble-t-il, à de graves objections. Elle concède d'abord que le feu n'exerce pas son effet propre sur l'ame, mais qu'il produit en elle une *tristesse spirituelle* provenant de ce que l'ame se voit et se sent emprisonnée dans le feu sans pouvoir exercer

ailleurs son activité. Mais alors pourquoi du feu? Si le feu ne doit pas avoir son effet propre qui serait de produire dans l'esprit une sorte de désorganisation *(sic)* (1), analogue à la dissociation des éléments qu'il produit dans les corps, il semble qu'un autre élément corporel, l'eau par exemple, pourrait aussi bien lier l'esprit et causer ce sentiment de tristesse qu'engendre la captivité » (p. 273).

Sed quid inde? Ultro conceditur ignem non posse agere in animam sicut in corpus quoddam et consequenter animam non posse *alterari* ab igne. Inde recte omnino statuitur a S. Thoma tormentum ex igne ut *instrumento Dei* proveniens in anima esse *tristitiam spiritualem* ex hoc quod anima cognoscat se *igne alligari*. Etiam conceditur eamdem tristitiam posse provenire ex corpore ab igne diverso quod assumeret Deus ut instrumentum. Sed quid ex hoc concludi potest contra existentiam ignis corporalis in purgatorio? Quum artifex possit facere statuam *vel* ex marmore, *vel* ex ligno, *vel* ex ære, an quis possit a priori concludere illum artificem nullam adhibuisse materiam, nec confecisse statuam, *quia* plura *sint media ad finem obtinendum?* Sicut a libera artificis electione pendet qua ex materia conficiat statuam, ita, quum possit Deus *vel* igne, vel *aqua* uti ad cruciandas animas, ex libera Dei electione unice pendet quodnam adhibeat instrumentum. — Nec deest ratio *convenientiæ* ad hoc quod Deus elegerit *ignem* tamquam instrumentum punitionis spirituum et animarum separatarum a corpore.

Etenim in omni peccato personali, sive mortali, sive veniali, habetur quod peccans se subtrahit a subjectione

(1) Auctor p. 269 exponit opinionem alicujus qui ut explicet modum quo ignis in purgatorio cruciat animam dicit: « Peut-être pourrait-on le concevoir comme une sorte de fièvre produisant une *désorganisation mentale* analogue à la dissociation des molécules produite dans les corps par le feu ». Hanc hypothesim vocat auctor : une conjecture *très ingénieuse* et *très vraisemblable*.

sui superioris, scilicet Dei: inde conveniens est ut puniatur per subjectionem ad inferiora, scilicet *corporalia:* sic enim punitur voluntas in contrario ejus quod diligendo peccavit. Nam in hoc peccavit quod voluit et amavit non subjici superiori, punitur vero ex eo quod contra suam inclinationem subditur inferiori (1).

Præterea in omni peccato habetur quædam inordinata conversio ad commutabile bonum, nempe ad creaturam: convenit igitur ut etiam ex aliqua creatura inferatur pœna: porro « oportet quod ex illo hæc pœna proveniat quod potest afflictionem inferre. Nihil autem afflictionem infert (spiritui vel animæ separatæ) nisi inquantum est contrarium voluntati. Non est autem contrarium naturali voluntati rationalis naturæ quod *spirituali* substantiæ conjungatur, quinimmo hoc est delectabile ei, et ad ejus perfectionem pertinens... Est autem contrarium naturali voluntati spiritualis naturæ ut *corpori subdatur*, a quo secundum ordinem suæ naturæ libera esse debet: conveniens igitur est ut substantia spiritualis per *corporalia* puniatur » (2).

Quamvis diversa corpora possint ut instrumenta Dei spiritum cruciare, tamen conveniens est ut eligatur illud corpus quod *de se* maxime afflictivum est quando secundum propriam naturam agit: talis est ignis: maxime enim capax est dissolvendi corpora, lædendi organa et sic in sensibilia entia intensissimum inferendi dolorem. Licet ignis non *alterando*, sed tantum *alligando* cruciet spiritum, tamen remanet illud corpus quod de se naturaliter agendo maxime est doloriferum (3).

Habetur quædam specialis ratio convenientiæ quoad homines: etenim pœnæ inferuntur a Deo etiam ut homines retrahantur a peccato: jamvero homo hac in

---

(1) Cf. S. Thomas, *S. cont. Gent.*, L. IV, c. 90; Ferrariensis, *Comment.* in h. l.

(2) S. Thomas, op. c. l. c.

(3) Cf. Suarez, *De Angelis*, L. VIII, c. 12, n. 17.

terra non sufficienter percipit quantum sit malum aversio ab ultimo fine, nec quanta sit pœna privatio ultimi finis: inde conveniens est ut infligatur etiam pœna *corporalis,* nempe a *corpore* illata. Porro quum hac in terra *ignis* plus quam alia corpora cruciet homines et ut talis cognoscatur, conveniens est ut ignis eligatur in instrumentum vindictæ (1).

A p. 274 exponit auctor suam opinionem. Describit nempe quemdam *mysticorum* statum qui vocatur *purgatorium:* quum plura inveniat similia tum in *purgatorio mysticorum*, tum in *purgatorio animarum* quæ post hanc vitam privantur ad tempus visione Dei intuitiva, concludit: « Ce simple exposé des *purifications passives* des mystiques d'après Saint Jean de la Croix nous permet déjà d'apercevoir une *analogie* frappante entre notre purgatoire et le purgatoire des mystiques. Il n'y a pas seulement similitude superficielle de nom, mais une analogie de but entre les épreuves subies par l'âme dans les deux purgatoires. Les unes et les autres ont pour *but* de purifier l'âme et de la préparer à l'union parfaite avec Dieu... De l'analogie du but est-il téméraire de conclure à celle des moyens employés par Dieu pour nous y conduire » (p. 278). In hac illatione, nempe ab analogia finium ad analogiam mediorum nititur unice auctoris opinio.

Sed imprimis negatur omnino consequentia hujus asserti: si similes sunt fines similia esse debent media: non enim repugnat ut fines similes, imo ejusdem omnino rationis, obtineri possint per media prorsus diversa. Ita v. gr. duo sint homines qui volunt pecuniam lucrari: unus statuam sculpit, alter pingit imaginem: media sunt omnino diversa, fines prorsus similes.

Præterea si velit auctor aliquid statuere de natura pœnarum purgatorii, non præcise de fine ad quem ordinantur illæ pœnæ, sed de ipso effectu qui produci-

(1) Cf. S. Thomas, *S. cont. Gent.*, L. III, c. 145 et c. 146.

tur in animabus ipsi inquirendum est : jamvero si comparatur purgatorium mysticorum et purgatorium animarum quæ privantur ad tempus visione Dei apparet hæc esse *res* omnino diversas.

Mysticorum purgatorium est aliquis *status orationis* (un état d'oraison) in quo cruciantur mystici (1): quatenus scilicet in ipsis vehemens excitatur desiderium majoris cum Deo unionis, et quum huic desiderio non fiat satis, ideo dolent. Hæc tristitia aliqua ratione similis est cum *pœna damni* prout hæc a pœna sensus distinguitur (2). Purgatorium autem quod post hanc vitam habetur est status animæ luentis pœnas inflictas a justitia divina. Ille status orationis mysticorum est quædam gratia Dei : pœnæ vero purgatorii non habent rationem gratiæ, sc. doni gratis dati, sed tantum rationem pœnæ habent.

Tandem in quo consistit illa *analogia* de qua loquitur auctor? Est quædam *metaphora*. Etenim varii sunt modi analogiæ, inter quos habetur ille secundum quem vocabulum de uno dicitur *proprie*, de alio *metaphorice*, quatenus scilicet forma per nomen significata in uno *vere* inest, in alio autem non inest ipsa sed tantum aliqua ejus *similitudo*. Ita v. gr. *risus* dicitur *proprie* de homine, *metaphorice* de prato. Quum status ille mysticorum, propter dolorem ei annexum de separatione a Deo, habeat quamdam similitudinem cum purgatorio alterius vitæ, ideo ille status mysticorum vocatus est *metaphorice* purgatorium. Sed quemadmodum nemo concludet amænitatem prati, quæ dicitur risus, causari ex eodem

(1) Cf. Poulain, *Les Grâces d'Oraison*, Paris, Retaux, 1902, ch. XVI. « Ainsi les deux nuits (quæ vocantur *purgatoria*) de Saint Jean de la Croix sont des périodes de souffrances ; mais sous peine d'oublier le principal, il faut ajouter que ces souffrances ont une *cause* d'un genre particulier. Elles sont provoquées chacune par un *état de contemplation*. Dans l'une, on a, du moins en apparence, une contemplation de pure foi, une contemplation *acquise*, d'une certaine espèce, et dans l'autre, une contemplation *mystique*. Poulain, op. c. p. 218.

(2) Cf. Poulain, op. c. p. 212.

quod producit risum in homine, ita nemo, recte utens ratione, concludet purgatorium alterius vitæ eadem produci causa immediata e qua provenit purgatorium mysticorum (1).

J. V. D M.

(1) Sæpe mystici utuntur metaphoris ad suum describendum statum : « Ailleurs il (S. Jean de la Croix) déclare plus explicitement sa pensée : Ces trois *nuits*, dit-il, n'en forment qu'une, divisée en trois parties. Or la troisième est, pour lui, le *mariage* spirituel et la seconde est déjà, comme on le dira plus loin, l'état mystique. Donc la nuit du sens est elle-même mystique d'une certaine façon, dans son fond. Il dit encore : La première nuit est la *porte* et le principe de l'autre... ce qui suppose qu'elles sont de même nature intime Voir encore la comparaison du *feu* qui embrase le bois... Il fait remarquer que ce feu est unique, mais qu'il produit successivement trois effets différents : noircir le bois, le couvrir de flammes, le transformer. La première de ces actions *symbolise* la première nuit. Poulain, op. c. p. 210. Ut patet, vocabula *nox, matrimonium, porta, ignis* adhibentur hic *metaphorice*.

Ex S. Congr. Rituum

URBIS.

Quarumdam Ecclesiarum Rectores insequentium dubiorum solutionem a Sacra Rituum Congregatione humiliter expostularunt; nimirum:

Dubium I. Utrum in Ecclesiis Collegialibus aspersio aquæ benedictæ de præcepto sit præmittenda Missæ Conventuali quæ canitur in Dominicis, sive cum Diacono et Subdiacono, sive absque sacris Ministris? Et utrum in Ecclesiis non Collegialibus eadem aspersio præfatis diebus fieri saltem possit?

Dubium II. In Ecclesiis alicui Religiosæ Familiæ concreditis, Sacerdotes exteri in illis celebrantes tenentur ne sequi Calendarium ejusdem Familiæ proprium, si habeatur?

Dubium III. Num idem sit dicendum de Ecclesiis, quæ non Religiosæ Familiæ, sed tantum alicui personæ privatæ, etsi ad eamdem Familiam pertinenti, commissæ sunt?

Dubium IV. Utrum Officia ad libitum infra octavas quascumque occurrentia recitari valeant?

Et Sacra Rituum Congregatio, re mature perpensa auditoque voto Commissionis Liturgicæ, rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative, ad utramque partem ».

Ad II. « Affirmative ».

Ad III. « Negative ».

Ad IV. « Negative ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 15 Decembris 1899.

Consultationes

I

Titius famulus invenit horologium aureum quod paucis ante diebus dominus ejus perdiderat. Illud de industria abscondit non quidem cum animo illud sibi appropriandi ac perpetuo servandi, verùm intendens illud post paucos dies domino restituere, scil. post iter quod instituendum in animo habebat Titius dominica proxime insequenti, et quod de facto die statuta instituit secum gerens horologium domini, tempori viæ ferreæ accomodatum. At vero Titius domum revertens et ipse horologium perdit. Titius autem optimus famulus infortunium hucusque non revelavit domino, qui interim horologium suum deperditum esse publico diario evulgavit.

Quæritur autem 1° Utrum Titius teneatur *obligatione restituendi?* 2° Utrum teneatur, quo facilius ac citius horologium reperiatur, *de eventu dominum certiorem facere?*

R. ad I^m^. Imprimis Titius *impensas* quas dominus ejus fecit ad divulgandum publico diario horologium suum esse deperditum, non debet restituere si, (quod ex adjunctis omnino probabile est), eas ne in confuso quidem prævidit. Etenim, ut docent Auctores communiter, non debet restituere (1) qui ex actione sua dam-

(1) Scil. *vi culpæ theologicæ*. Nam loquimur hîc de obligatione restituendi in conscientia independenter a quavis obligatione reparandi damnum orta sine culpa theologica, ex culpa juridica seu lege civili aut contractu vel quasi-contractu. Ut Theologi communiter docent, non adest obligatio in conscientia ante sententiam judicis reparandi damnum illatum per culpam mere juridicam. Attamen, post sententiam judicis, adest in casibus a lege determinatis, obligatio in conscientia reparandi damnum illatum etiam absque culpa theologica. Quoad damna per factum personale illata (ut in casu proposito) cfr. art. C. C. 1302, 1382 et 1383.

num infert non prævisum saltem in confuso, probabilius etiam si hæc actio illicita sit aliunde, imo et injusta (1). *Ratio* est quia tale damnum non est agenti imputabile, adeoque deficit elementum ad injuriam formalem essentialiter requisitum.

Quæstionem autem utrum, dimissa utique spe probabili reperiendi horologium, *hujus valorem* domino restituere in conscientia debeat, e sequentibus principiis resolvendam arbitramur. Titius ab ipso momento quo statuit horologium post aliquot dies tantùm se esse restituturum, evasit *possessor malæ fidei*. Etenim cùm solus dominus jus habeat rem suam possidendi eaque fruendi, tenetur etiam qui inculpate accepit vel possidet rem alterius, eam ipsi *quamprimùm* reddere statim ac animadvertit se absque titulo illam possidere; secus evadit malæ fidei, nam res clamat domino. Nec omnino inculpate Titius decreverit horologium illud sibi per aliquod tempus servare, cùm saltem confuso modo animadvertere debuerit dominum rationabiliter, licet leviter, invitum fuisse ne ità ageret, eo vel magis quod dominum circa rem perditam plus minus anxium fore conjicere potuerit. Mansit igitur malæ fidei possessor ex mora culpabili quamdiu horologium, invito domino, retinuit.

Jamvero, possessor malæ fidei tenetur domino restituere rem ipsam, si in se exstat; secus ejusdem pretium, etiam si eam in æquivalenti non servet seu ex ea ditior non evaserit. Id etiam valet, ut omnes Theologi (2) tenent, si res apud injustum detentorem sine ulla ipsius culpa, puta ex *casu fortuito* (3), perierit. *Ratio* est, quia

(1) Cfr. Ill^m ac Reverend^m Waffelaert, *Tract. de Just.* Brugis 1886, T. II, n. 268.

(2) Ut ait De Lugo, Disput. 17, n° 137. — Cfr. Carrière, *De Jure et Just.* Parisiis 1839, T. III, p. 109. — Ill^m ac Reverend^m Waffelaert, *o. c.*, T. II, n. 244. — Marres, *De Just.* Ruræmundæ, T. I, p. 253. — *Collat. Brug.*, T. II, p. 517.

(3) Nisi tamen ex eodem periculo æque apud dominum periisset, puta ex vitio intrinseco aut communi incendio.

rem injuste et culpabiliter retinendo et se loco domini constituendo, censetur omnes casus quibus res subjici potest et qui saltem confuso modo et in genere prævideri possunt in se suscepisse. Et sicut res, etiamsi casu fortuito periisset, domino periisset, ita res quæ eodem modo perit, ei perit qui rei dominium injuste usurpat. Damnum ergo quod ex hoc casu fortuito oritur reparandum est quia processit ex aliqua culpa, sine qua merito supponitur casus fortuitus non evenisse.

Actio igitur Titii damnificativa fuit culpabilis. Gravitas autem injuriæ formalis pensanda est ex nocumento quod actio injusta domino inferre nata est quodque eum modo juxta communem hominum æstimationem proportionato invitum reddit. Dominum autem Titio, restitutionem in dictis adjunctis differenti, rationabiliter fuisse graviter invitum communis hominum æstimatio certò non tenet; nàm hæc ipsa mora domino grave nocumentum inferre minime nata erat (1). Damnum tamen de facto illatum ex mora leviter culpabili fuit grave (2). *Unde statim oritur quæstio: an et quanta sit obligatio reparandi damnum grave injuste illatum cum culpa veniali (3) ex defectu cujusdam elementi ad gravem injuriam requisiti?* Huic autem quæstioni cum sententia probabiliori (4) et practice tuta respondemus: nihil esse restituendum sub gravi, cùm deficiat injuria gravis; imo probabilius nihil sub levi, « quia,

---

(1) In hoc contradicimus iis quæ de casu simili tenet Crolly, *Disput. theol. de Jure et Just.* Dublinii 1877, T. III, n. 707.

(2) In hypothesi suprà facta, quod scil. horologium brevi non reperiatur.

(3) Iterum monemus hìc non agi de obligatione reparandi quæ ex culpa juridica seu ex lege civili, aut ex contractu et quasi-contractu oriri potest.

(4) Ipsi patrocinantur v. g. Sanchez (*In Decal.* l. II, c. 25, n. 160). — Lessius (Lib. II, c. 7, n. 27). — Lugo (Disp. VIII, n. 57). — Sporer (Tract. IV, c. 2, n. 50, 51). — S. Alphonsus (Lib. IV, n. 552). — Gousset (*Theol. Mor.* I, n. 944). — Marres, (*o. c.*, T. I, p. 271). — Ills ac Reverends Waffelaert (*o. c.*, T. II, n. 266).

ait S. Alphonsus (l. III, n. 532), culpa venialis ex indeliberatione non est simpliciter delictum et injuria [sc. ipse actus injuriosus est imperfectus, ut ait Ill^s ac Reverend^s Waffelaert (1)], et ideo non potest parere obligationem restitutionis, sicut ex contractu, ubi non adfuit consensus plene deliberatus, non oritur obligatio; et sicut etiam non obligat votum emissum sine plena deliberatione. Actus igitur non perfecte deliberatus nequit esse causa perfectæ obligationis » (2).

Unde Titius probabilius non tenetur in conscientia obligatione restituendi valorem horologii. Hæc sententia est practice tuta.

Præterea non immerito forsan in dato casu præsumeretur *domini condonatio*, ità ut omnis restituendi obligatio, si quæ existeret (3), et ex hoc capite tolleretur. Condonatio enim facilius præsumitur erga famulum de hero suo bene meritum quam erga personam extraneam, eo vel magis quod damnum de facto ortum sit ex mora restituendi leviter culpabili et casu plane fortuito qui, licet in genere et confuso modo susceptus, in specie tamen nullo modo prævisus fuit. Si igitur persuasum est Titio, quod si rem integram prouti vere accidit cognosceret dominus, ipse liberaliter condonaret, vel saltem nollet ad restitutionem obligare, jam datur voluntas præsumpta domini sufficiens ut restitutionis obligatio, si quæ adesset, exstingueretur.

(1) *o. c.*, T. II, n. 266.

(2) Dicet quis hanc solutionem æquo benigniorem ansam præbere posse abusibus. Quod profecto non esse timendum ex eo constat quod in similibus casibus *gravis* urget restituendi obligatio si dominus rei injuste detentæ *graviter* invitus fuisse rationabiliter præsumitur. Ità etiam si, in casu rariori, culpa, de se gravis, levis fit tantum ex erronea conscientia agentis; totum quidem est restituendum sub levi quamdiu error perdurat; post detectum errorem videtur sub gravi restituendum. — Cfr. Ill^m ac Reverend^m Waffelaert. *o. c.*, T. II, n. 266.

(3) Contra sententiam probabiliorem statim suprà adductam quidam Auctores tenent in casu exposito esse obligationem reparandi vel totum damnum sub gravi vel levi (Vasquez), vel levem partem sub levi (Molina, Laymann, Billuart, Carrière, etc.).

R. ad II^{m}. *Titius non tenetur de eventu dominum certiorem facere:* hæc enim notitia nihil conferre potest ad horologium citius ac facilius inveniendum, cùm ipse dominus jam debitam diligentiam ad rem divulgandam adhibuerit. Eo magis ab illa revelatione Titius abstinere posse videtur, quod non omne periculum absit ne illa confessio, utut sincera, sensum aliquem diffidentiæ et forsan furti suspicionem apud dominum suscitet: hoc autem, etiamsi famulatus certò inde non sit amittendus, famulo bene merito et in herum devotissimo maximum crearet incommodum. Quod incommodum damnum domino ex repetita forsan rei deperditæ evulgatione exoriundum ità notabiliter superat, ut Titius, licet a morali diligentia in horologio recuperando non excusetur, suam tamen levem negligentiam fateri non debeat, neque ad dictam inquisitionem cum proximo se prodendi periculo teneatur.

A. C.

II

Caius mercator contractum assecurationis de domo sua assecuranda cum belgica societate iniverat. Juxta tenorem conventionis scripto initæ (la police) omnino declaranda est circumstantia periculum augens, utrum nempe cadi petrolei in ædificio assecurato asserventur necne; ità ut vi specialis stipulationis contractus, ex falsa aut erronea hac de re declaratione, assecurantis obligatio damnum compensandi cesset. Tempore autem quo contractus initus est recte declaravit Caius se neque petroleum vendere neque in domo sua cados petrolei conservare. Duobus autem annis post initum contractum, mutata mente, petroleum vendere statuit cadumque petrolei in suam officinam introducit sibi proponens, prima occasione data, societatem assecurantem hac de re certiorem facere. Sed antequam occasionem opportunam nanciscatur, ecce tota domus destruitur incendio, cujus causa hucusque ignoratur at

certo certius, testante Caio, præsentiæ petrolei non est adscribenda. Administri autem societatis assecurantis cum ignorarent domum combustam ex introducto petroleo majori periculo fuisse expositam, statutam contractu compensationem solverunt Caio, qui bona fide pretium accepit et sibi retinuit, at post paucos dies dubius et anxius me rogavit utrum tuta conscientia acceptum pretium servare possit.

Respondetur. Caius acceptum pretium tuta conscientia servare non potest.

Ratio est quia societatis assecurantis obligatio periculum in conventione statutum assecurandi et damnum exortum compensandi, jure naturali et positivo cessavit ipso momento quo Caius, inscia societate, cadum petrolei in domum introduxit.

Quoad jus nostrum positivum, sufficiat afferre art. 31 legis 11 Junii 1874 (*Code de Commerce*, Livre I Tit. X): « Les obligations de l'assureur cessent lorsqu'un fait de l'assuré transforme les risques par le changement d'une circonstance essentielle ou les aggrave de telle sorte, que si le nouvel état de choses avait existé à l'époque du contrat, l'assureur n'aurait point consenti à l'assurance ou ne l'aurait consentie qu'à d'autres conditions » (1). Hujusmodi autem esse circumstantiam qua Caius petroleum in domum introduxit ac conservavit ex natura rei patet et, ut in ipso quæstionis tenore dicitur, ex speciali scriptæ conventionis (police) stipulatione elucet.

Juri autem naturæ jus nostrum positivum omnino consonat. Non enim perseverat assecurantis consensus jure naturæ ad subsistentiam seu perdurationem contractus requisitus, quando materia contractus seu periculum redimendum ità notabiliter augetur ut, si asse-

(1) Additur restrictio scitu utilis: « Ne peut se prévaloir de cette disposition, l'assureur qui, après avoir eu connaissance des modifications apportées au risque, a néanmoins continué à exécuter le contrat ».

curans illud cognovisset, aut nullatenus aut non eo pretio assecurare voluisset. Periculum enim redimendum est ipsa contractus substantia. Unde juri naturæ profectò congruit specialis illa contractus stipulatio allegata qua statuitur cessare assecurantis obligationem reparandi damnum quando res assecurata exponitur periculo quod in contractu non comprehenditur (1).

Quod autem, testante Caio, causa incendii novo illi periculo e præsentia petrolei exorto, *de facto* (2) non sit tribuenda, non inde mutanda est solutio proposita, ut additas rationes perpendenti satis patebit. Attamen non dubitamus quin futurum sit ut Caius rem integram societatis administris aut illius proxenetæ (agent) sincere exponendo, bonamque fidem qua damni compensationem accepit, et verbis et ipsa sua agendi ratione asserendo, indemnitatem vel integram servare possit, vel saltem aliquam compensationem obtineat (3): hoc modo contractum re ipsa irritum ratum habere possunt assecuratores. Etenim licet in proposito casu infortunii facultas denegandi solutionem jure naturali ac positivo competat societati assecuranti, ipsius tamen interest damni compensatione non tantum e stricta justitia debita, sed etiam liberali alios contrahentes allicere. Cæterum hac in re clausulis contractui additis præsertim sibi cavent assecuratores contra dolum ac fraudem, quæ in casu abfuisse haud difficile constabit.

A. C.

---

(1) Circa contractum assecurationis videsis Ill^{m} ac Reverend^{m} Waffelaert, *Tract. de Justitia*, Brugis 1886, Tomo II, p. 493 ss.; Marres, *De Justitia*, Ruræmundæ 1888, Tomo II, p. 472 ss.

(2) Licet probabiliter damnum exinde majus evaserit.

(3) Hunc in similibus adjunctis esse modum agendi plurium assecurationis societatum a viris hac in re peritis audivimus.

III

Q. Titius sacerdos baptizando ita protulit formulam: Ludovice, ego te absolv... baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus S^tⁱ. Anxius autem hæret circa valorem sacramenti, eo vel magis quod invenerit Gury, *Casus conscientiæ*, II, Casus 4us, circa sacramenta in genere, dubitantem de validitate formulæ sacramentalis simili modo vitiatæ (1). Liceat postulare quid tenendum videatur.

R. Vulgatum est principium eam formæ mutationem esse valoris sacramenti destructivam, quæ ipsum *sensum* formæ quomodocumque pervertat, ita ut, *attenta hominum æstimatione communi*, aliud significetur quam quod ex intentione Christi et Ecclesiæ significari oporteat. In illa vero æstimatione communi locus esse potest alicui *accommodationi* seu benignæ interpretationi, quatenus nempe dari possunt alterationes, quæ quidem, si stricte inhæreatur verbis, sensum formulæ immutent, sed in hac dispositionem conservent et aptitudinem ut per accommodationem usualem trahi valeat ad debitam significationem. Quod in specie est præ oculis habendum in dijudicanda formula *per lapsum linguæ* alterata: valor nimirum manet in tuto quotiescumque, perspecta formula vitiata et ratione habita benignæ interpretationis communis, clare appareat alienæ vocis interjectionem lapsui linguæ esse tribuendam.

Jamvero id in casu proposito non videtur posse negari, præsertim quod vox *absolvo* non fuerit ex integro prolata nec adeo determinatum sensum inducat. Facilius nempe posset dubium exsurgere si Titius perfecte pronuntiasset formulam « ego te absolvo », et tunc sine

(1) « Sidonius sacerdos, sacrum faciendo, cum ad verba consecrationis panis devenisset, lapsu linguæ aut distractione dixit: « *hoc est calix* », et statim ad errorem advertens, retractavit mentaliter verbum *calix*, et reliquam formæ partem protulit, seu *Corpus meum* ». Quo in casu docet formam esse repetendam propter dubium circa valorem.

repetitione addidisset: « baptizo in nomine... ». Posset quidem et tunc intelligi hoc esse ex lapsu linguæ, sed in ipsa formula in se et objective spectata importaretur alienus sensus determinatus, adeoque facilius deficeret illa dispositio ut per accommodationem deducatur ad debitum sensum significandum; aliis verbis, si rectus sensus intelligeretur, hoc videretur magis provenire, uti monet Billuart, (in *Summa S. Thomæ, Tract. de sacram. in communi*, Dissert. I, art. VI) ex *sola* bonitate et perspicacia intelligentis, et non ex ipsa formula *secundum se*, juxta accommodationem usus communis intellecta.

Quibus attentis apparet non esse paritatem inter nostrum casum et casum a Gury l. c. allatum de formula Sidonii sacerdotis, in qua verbum interpositum erat recte et perfecte prolatum ac alium importabat sensum, licet minus completum quam in modò relato exemplo illius qui baptizaret dicendo: « ego te absolvo » et addendo « baptizo... ». Non est igitur cur solutio a Gury proposita anxiet Titium eumve ad iterandum Baptisma impellat.

A. D. S.

IV

Q. Juxta novum tractatum *de casibus reservatis* in diœcesi Brugensi, p. 24-25, manet reservatio quando pœnitens validè accepit absolutionem ab habente facultatem a reservatis, et reservatum vel reservata fuerunt citra gravem culpam in confessione omissa. Quæritur autem utrum idem sit dicendum casu quo peccatum reservatum ita omissum fuerit ejusdem omnino speciei ac peccata in confessione exposita; quatenus v. gr. pœnitens sese accusaverit de incestu cum sorore quinquies admisso, postea vero recordetur se sexties peccasse cum sorore?

Respondendum videtur *negative*, adeoque hujusmodi pœnitentem in confessione sequenti posse absolvi a

communi confessario. Ratio est quia ex una parte peccatum reservatum non potest simpliciter dici omissum sed potius non complete expositum, nempe quoad numerum adæquatum; et ex alia parte non obtinet ratio ob quam Illustrissimus Episcopus voluerit urgere reservationem in peccatum reservatum etiam bona fide in confessione omissum: vult nimirum Ill. Reservans consulere disciplinæ et obtinere reservationis finem, exigendo ut reservata judicio submittantur et curæ peritioris medici, qui finis in nostro casu jam est salvus, cum de peccato incestus jam cognoverit peritior judex.

A. D. S.

V.

Q. In nostra paræcia mos est ut singulo mense communionem generalem instituant non modò neo-communicantes, de quibus agitur apud *Coll.* VII, p. 663 et seq., sed etiam pueri qui jam a duobus vel tribus annis et infra primam communionem peregerunt. Quæ communio generalis dominica præcedente, sub omnibus missis, e cathedra indicitur, monitis pueris ut sabbato sequente simul ad confessionem accedant, prævia instructione præparandi, ac postridie, hora statuta, in corpore et ex ordine communicent.

Porro petitur utrum confessarii etiam in gratiam horum pœnitentium facultate gaudeant a reservatis absolvendi, qualis facultas omnibus confessariis suffragatur « in favorem pœnitentium qui cupiunt ad sacram mensam accedere, die qua congregatio aut sodalitas, cujus sunt membra, communionem generalem instituit ». Cf. Libellum, p. 22.

R. Videtur negandum, nisi pœnitentes de quibus quæritur, ad instar neo-communicantium, de quibus l. c., speciali vinculo existant ad invicem devincti, ac adeo censeantur congregationem efformare aut sodalitatem, saltem lato sensu.

Ad hoc autem, uti l. c. jam notavimus, non sufficit ipsa communio generalis nec confessio menstrua, nec etiam instructio illa peculiaris in præparationem ab omnibus simul suscepta; requiritur aliqua consociatio eos independenter a communione et confessione ad eam præparatoria vinculans et in unum conjungens.

Neque proficit quod forsitan scholam diurnam vel dominicalem frequentant eamdem: licet namque alumni scholæ diurnæ vel dominicalis sodalitatem constituant sensu ab Illustrissimo Reservante intento, ad hoc tamen ut facultate a reservatis muniantur confessarii in eorum gratiam, opus esset, juxta tenorem indulti, ut ipsa schola, qua sodalitas, communionem generalem instituat et non est satis quod quædam membra, quamvis multa, alio titulo ad generalem communionem convocentur.

Frustra tandem provocatur ad identitatem rationis, quatenus scopus concessionis plane verificetur pro ipsis: privilegium enim, uti jam pluries monuimus, sine imprudentia extendi nequit ultra tenorem indulti.

Quodsi contingat hac occasione pœnitentem occurrere, peccato reservato vel censuræ reservatæ obnoxium, erga quem non gaudet confessarius memorata facultate, quique, si non absolvitur et a sacra mensa arcetur, gravem incurret infamiam coram reliquis pueris ad S. Synaxim convocatis, profectò, quemadmodum ex principiis generalibus liquet, potest et debet confessarius illum absolvere: *indirecte* a peccato reservato, a censura vero vel *directe* et cum onere recurrendi Romam, si est Rom. Pontifici reservata, vel *ad effectum*, si agitur de censura Episcopo reservata.

A. D. S.

VI

Q. In diœcesi Brugensi, vi indulti 27 Junii 1867, in ecclesiis parochialibus, biduo in qualibet hebdomada

licet celebrare missas *de Requie* cantatas, etiam dum recurrit officium ritus duplicis, « exceptis tamen ab hac concessione duplicibus primæ et secundæ classis, festis de præcepto servandis, feriis, *vigiliis* et octavis privilegiatis » (1). Quæritur an Vigilia Epiphaniæ sub hac exceptione comprehendatur.

R. Negative. — Profecto, nonnisi uti *privilegiata*, Vigilia hæc inter dies in indulto exceptos haberi posset. Jamvero, ut alio in loco notavimus (2), inter ferias *majores* quidem hæc vigilia annumeranda est; habet enim officium ritus semiduplicis et sub hoc respectu Dominicæ æquiparatur; prohibet sicuti duplex et Dominica missas *quotidianas* de *Requie* et votivas privatas; sed eam inter vigilias *privilegiatas* esse computandam non omnes conveniunt; et hoc saltem certum est, eam non in eodem gradu privilegiatam esse ac vigilias Nativitatis Domini et Pentecostes; hæ enim, præter alia, privilegio gaudent prohibendi non tantum missas quotidianas de *Requie*, sed etiam cantatas de diebus tertia, septima, trigesima et anniversaria, quæ missæ (privilegiatæ) certe in Vigilia Epiphaniæ permittuntur, juxta doctrinam communem Auctorum et decreta S. C. R., in specie decretum generale 2 Decembris 1891. Hoc enim ultimum inter dies impedientes anniversaria expresse recenset Vigilias Nativitatis et Pentecostes, nullam autem mentionem facit de Vigilia Epiphaniæ (3).

Cum autem indultum, de quo hic agitur, excipiat, si præscindatur a Vigilia Epiphaniæ, *omnes* et *solos* dies (duplicia 1 et 2 cl., festa de præcepto, ferias, vigilias et octavas privilegiatas) in quibus impediuntur anniversaria (4), jam opinari licet, missas cantatas *de Requie* biduo in hebdomada concessas, iisdem diebus, quibus

---

(1) Cfr. dicta *Collat. Brugen.*, 1902, p. 93.
(2) *Collat. Brug.*, 1902. p. 158.
(3) N° 3753.
(4) Cfr. *Collat. Brug.* 1902, p. 155.

anniversaria, permitti et consequenter nec vigiliam Epiphaniæ, de qua dubitari posset, excipi a concessione.

Indultum autem ita revera intelligendum esse clare constat ex decreto *Cadurcen.*, 9 Mai 1857 (1): « Ex indulto Apostolico... Diœcesi Cadurcensi conceditur, ut in singulis ecclesiis parochialibus... ter in qualibet hebdomada locum habere valeant missæ de Requie cum cantu, dum officia occurrunt duplicia, attamen exclusis semper duplicibus primæ et secundæ classis, festis de præcepto servandis, feriis, *vigiliis* et octavis privilegiatis. Quum autem ex rubricis diebus secunda *(octava S. Stephani, dup.)* tertia *(octava S. Joannis, dup.)*, quarta *(octava SS. Innoc., dup.)* et *quinta* Januarii *(Vigilia Epiphaniæ)*, missæ de Requie celebrari nequeant, quæritur an, *virtute supradicti indulti*, supraenunciatis diebus decantare ibi liceat missas *de Requie*, ac *præsertim* missas de diebus tertio, septimo, trigesimo et anniversario »? Datur generale responsum: « Affirmative. » Ex quo manifeste sequitur, non tantum diebus 2, 3 et 4 Januarii, quæ non sunt dies privilegiatæ, cantare licere missas vi indulti concessas, sed etiam die quinta seu in *vigilia Epiphaniæ* et consequenter hanc vigiliam, saltem in ordine ad missas de Requie celebrandas, non esse magis privilegiatam quam præcedentes dies.

Concludendum ergo: in vigilia Epiphaniæ (nisi in Dominicam incidat) licite uti possunt ecclesiæ parochiales facultate concessa indulto cantandi biduo in hebdomada missas cantatas quotidianas.

H. V. D. W.

(1) N° 3049.

Libri dijudicantur.

Theologia moralis fundamentalis, auctore *Thoma J. s. Bouquillon*, S. T. D. et in universitate catholica Americana Theologiæ moralis Professore. Editio tertia recognita et adaucta. Brugis, Beyaert, 1903. In-8°. VIII-744 pp. Pret. 10 fr.

Anno 1873, ut notum est, Eximius Auctor edidit *Institutiones Theologiæ moralis fundamentalis*, accommodatas prælectionibus quas tunc habebat in seminario Brugensi; anno dein 1880, munere fungens professoris in universitate catholica Americana (Washington), opus suum retractatum et multo adauctum denuò publici juris fecit sub titulo: *Theologia moralis fundamentalis*. Nunc prodiit ejusdem tertia editio, recognita et adaucta, quam tamen Auctor penitus absolvere non potuit: dum enim nova editio prelo subjaceret, pie Bruxellis obiit 5 Novembris 1902. Clarissimi Professoris tanta est apud omnes auctoritas in re morali, ut meritò abstineamus a celebrando laudes hujus operis, quas uno ore conclamant quotquot hoc ultimo annorum spatio de morali fundamentali scripserunt. Sufficiet igitur indicare additiones vel mutationes in hac nova editione factas. Imprimis retractata prorsus fuit *introductio*: in ejus parte *prima* magis evolvitur notio theologiæ moralis, attentis præsertim disputationibus hodiernæ ætatis, puta de mutua relatione inter moralitatem et religionem; in parte *secunda* recognita est et adaucta sectio II de fontibus theologiæ moralis: addita est tractatio valde utilis de usu rationis, prout est fons secundarius theologiæ moralis; amplificata expositio de usu scripturarum tum veteris tum novi Testamenti, et, mutato etiam ordine, de usu traditionis; in parte *tertia* historiam theologiæ moralis, uti facile conjicere licebat, eruditissimus Auctor multum perfecit; diffitendum tamen

non est illam partem adhuc esse perficiendam, notatim quod spectat ætatem Patrum, circa quam viri eruditi recentius majori diligentia inquisierunt et adhuc inquirunt. Ad singulas quæstiones notantur principaliora opera, sed, quod dolendum est, sat sæpe parum accurate, ita ut interdum vix inveniri posset locus ad quem remittitur.

Accedit deinde Auctor ad ipsam materiam suam tractandam. Quoad hanc meritò etiam inscribitur hæc editio *recognita et adaucta*. Etenim tractatus primus *de ultimo hominis fine*, qui jam in 2ª editione meritò in ipso limine repositus fuit juxta morem veterum theologorum, retractatus fuit, mutando terminologiam et complendo doctrinam; similiter recognita fuit in tractatu tertio pars prima *de Lege*: mutatus np. fuit ordo dicendi, ita ut analytice procedendo, prius exhibeantur *notio et species legis moralis*, ubi notanda venit præclara disputatio circa classicam definitionem legis, ex S. Thoma (1-2, q. 90, art. 4) acceptam, deinde disseratur successive *de lege æterna*, cujus natura fusius expenditur, *de lege naturali*, ubi ordo dicendi immutatur et additur caput VII de sanctione legis naturalis, *de lege supernaturali*, *de lege domestica*, ubi supprimitur caput de præcepto monastico (2ª ed., p. 453-455), *de lege ecclesiastica*, et ultimò *de lege civili*. Hanc partem de lege concludit appendix: *De liberalismi oppositione ad moralem obligationem* (2ª ed., p. 455-465). — Pars secunda *de Conscientia* fere integra remansit, nisi quod argumentum Traditionis in favorem Probabilismi non parum emolliatur, hoc sensu quod nunc tantum probetur, iisdem tamen argumentis ac prius, antiquissimus *principiorum reflexorum usus* ad solvendum dubium practicum. Notandum etiam Cl. Auctorem miro quodam modo in parvula nota p. 500 videri rejicere principium Probabilismi, saltem quatenus est verbis S. Thomæ expressum: « Nullus ligatur per præceptum aliquod nisi mediante scientia illius præcepti » (*De Verit.*,

q. XVII, a. 3), quo tamen principio, et quidem solo, verbis etiam Angelici relatis, usus est in toto numero, cui nota apponitur : nec videmus tantam difficultatem in locis S. Thomæ, ad quæ remittit, np. *Quodlib.* VIII, a. 13 et IX, a. 13 (lege 15): cfr. potius in 2ª ed., nota 4 ad p. 532. — In tractatu quarto et quinto nullam mutationem alicujus momenti advertimus (1).

Ex comparatione instituta, fidenter concludere licet hanc novam editionem priori adhuc præstare adeoque cuivis theologiæ moralis studioso esse maxime commendandam, tamquam verum monumentum theologicum. Quo utinam uterentur continuò sacerdotes, præsertim post absolutum studium theologiæ moralis specialis! Multiplicatis enim sic dictis compendiis theologiæ moralis, quæ utique suam utilitatem habent, periculum est ne sacerdotes « totum studium suum convertant in theologiam quamdam (si hoc nomen illa meretur) mere casuisticam, ejusque conclusiones ultimo practicas, ut ajunt; ita ut... in ipsa principia rei moralis vix incumbant... » Sed « quomodo habitus practicus prudentiæ et sapientiæ, quomodo veri nominis experientia umquam acquiri potest, nisi vera et solida scientia, studiumque speculativum principiorum, fundamenta et medullam rei moralis exhibentium, præluxerit? » (2). Hæc ipsa principia rei moralis in laudato opere solide et nitide enucleantur et vindicantur, adjecto omni apparatu scientificæ eruditionis.

H. M.

---

(1) Infeliciter mutatus est ordo numerorum, tum in Introductione, tum in ipso tractatu inde a tr. de lege.

(2) Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *Præfatio* ad *Medit. theologicas* (*Collat. Brug.*, T. I, p. 57 sqq.).

R. P. L. Delplace, S. J. **Catena Evangeliorum et Acta Apostolorum sacerdoti meditanti proposita.** Editio altera. Mechliniæ, ap. H. Dierickx-Beke. 2 vol. in 8°, pp. 416-400. Pret. 6 franc.

Hujusce *Catenæ,* cujus olim (*Collat. Brug.*, T. II, p. 547) materiam methodum et merita laudavimus, præjacet jam editio altera, minori et magis convenienti formâ digesta, sed non parum aucta et duplici nunc volumine constans. Adjectæ sunt imprimis 35 meditationes in prima Actorum Apostolorum capita I-XII, 17, quibus narratur mirabile Ecclesiæ exordium usque dum Petrus e carcere liberatus « abiit in alium locum ». Plures prædicationes et eventus hujus libri merito in meditationis materiam proponuntur et generatim ab auctore solide simul ac pie explicantur. Quum autem laudatus auctor omnes versus — juxta methodum pro textu evangelico adhibitam — perpendi velit, facile intelligitur nonnullis partibus minus corda moveri, quum textus ille ex natura rei, minus quam verba evangelica, natus sit sponte nutrire pios affectus et suggerere applicationes practicas quæ interdum a longe adduci debent.

Accedunt deinde duodecim meditationes de cultu SS. Cordis Jesu, pro recollectione menstrua in singulis primis feriis sextis peragenda. Adjiciuntur tandem, pro tempore annui secessus, meditationes et considerationes ad mentem *Exercitiorum* S. Ignatii conceptæ, quæ maximo adjumento esse possunt ut sacerdotes hæc annua exercitia pleno fructu peragere valeant.

C. C.

Collationes Brugenses

Lettre Encyclique

de N. S. Père le Pape Léon XIII

aux Évêques d'Italie

SUR LE SACERDOCE CATHOLIQUE. *

LÉON XIII, PAPE.

Vénérables Frères,

Salut et bénédiction apostolique.

Dès le commencement de notre Pontificat, en songeant à la situation critique de la société, Nous n'avons pas tardé à reconnaître que l'un des devoirs les plus urgents de la charge apostolique était de consacrer spécialement Nos soins à l'éducation du clergé. En effet, Nous voyions que vains seraient tous Nos efforts pour opérer dans le peuple une restauration de la vie chrétienne, si l'esprit sacerdotal ne demeurait intact et vigoureux parmi les ecclésiastiques.

Importance du sujet.

C'est pourquoi Nous n'avons cessé d'y pourvoir, autant qu'il était en Nous, soit par des fondations opportunes, soit par divers documents dirigés vers ce but. Et aujourd'hui une sollicitude spéciale pour le clergé d'Italie Nous amène, Vénérables Frères, à traiter encore une fois un sujet de si grande importance.

En effet, si ce clergé fournit de beaux et continuels témoignages de sa science, de sa piété et de son zèle; s'il Nous plaît de louer l'élan avec lequel, secondant l'impulsion et la direction des Évêques, il coopère au mouvement catholique qui Nous tient souverainement à cœur, Nous ne pouvons, toutefois, dissimuler la préoccupation de Notre âme, en voyant comment, depuis quelque temps, il se glisse ça et là un violent désir d'innovations téméraires, par rapport soit à la formation, soit à l'action variée des ministres sacrés.

Raison de le traiter à nouveau.

* Traduit de l'italien.

Or, il est aisé de prévoir les graves conséquences qu'on aurait à déplorer, si l'on n'apportait un prompt remède à cette tendance à la nouveauté. — C'est donc pour préserver le clergé italien des pernicieuses influences de l'époque qu'il Nous paraît opportun, Vénérables Frères, de rappeler dans Notre lettre les véritables et invariables principes qui doivent régler l'éducation ecclésiastique et tout le ministère sacré.

Mission propre du sacerdoce catholique.

Le sacerdoce catholique, divin dans son origine, surnaturel dans son essence, immuable dans son caractère, n'est point une de ces institutions qui puissent s'accommoder au changement des opinions et des systèmes humains. Participant au sacerdoce éternel de Jésus-Christ, il doit perpétuer jusqu'à la consommation des siècles la mission même confiée par le divin Père à son Verbe incarné : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (1).

Opérer le salut éternel des âmes sera toujours le grand mandat auquel il ne pourra jamais faillir; de même que, pour le remplir fidèlement, il ne devra jamais cesser de recourir à ces secours surnaturels, à ces règles divines de pensée et d'action que lui donna Jésus-Christ, quand il envoyait ses Apôtres à travers le monde entier pour convertir les peuples à l'Évangile.

Aussi, dans ses lettres, saint Paul rappelle que le prêtre n'est que le *légat*, le *ministre du Christ*, le *dispensateur de ses mystères* (2), et il le représente comme placé en un lieu élevé (3), à titre d'intermédiaire entre le ciel et la terre, pour traiter avec Dieu des graves intérêts du genre humain, qui sont ceux de la Vie éternelle. L'idée que les Livres Saints donnent du sacerdoce chrétien, c'est celle d'une institution surnaturelle, supérieure à toutes les institutions de la terre, et absolument séparée d'elles comme les choses divines le sont des choses humaines.

C'est la même haute idée qui ressort clairement des œuvres des Pères, de l'enseignement des Pontifes Romains et des Évêques, des décrets des Conciles et de l'enseignement unanime des Docteurs et des écoles catholiques. Bref, toute la

---

(1) Joann. XX, 21.
(2) II Cor. V, 20; VI, 4; I Cor. IV. 1.
(3) Hebr. V, 1.

tradition de l'Église n'a qu'une voix pour proclamer que le prêtre est un « autre Jésus-Christ, » et que le sacerdoce, « bien qu'il s'exerce sur terre, est digne de prendre rang dans » la hiérarchie céleste (1), parce qu'il doit administrer des » choses absolument célestes et qu'on lui a conféré un » pouvoir que Dieu ne confère même pas aux anges (2), » pouvoir et ministère qui concernent le gouvernement des âmes, c'est-à-dire l'art des arts (3).

C'est pourquoi l'éducation, les études, les mœurs, tout ce qui, en somme, appartient à la discipline sacerdotale, l'Église l'a toujours considéré comme un tout qui est à elle et qui est, non seulement distinct, mais séparé des règles ordinaires de la vie laïque.

Caractère distinct de l'éducation et de la vie ecclésiastique.

Cette distinction et cette séparation doivent donc demeurer inaltérables, même en notre temps; toute tendance à mêler ou à confondre l'éducation et la vie ecclésiastique avec l'éducation et la vie laïque doit donc être tenue comme réprouvée, non seulement par la tradition des siècles chrétiens, mais par la doctrine apostolique elle-même et par les prescriptions de Jésus-Christ.

Assurément, la raison demande que, dans la formation du clergé et dans le ministère sacerdotal, il soit tenu compte de la diversité des temps.

Aussi, loin de Nous la pensée de repousser ces changements qui rendent l'œuvre du clergé de plus en plus efficace dans la société parmi laquelle il vit. C'est même pour cette considération qu'il a paru convenable de promouvoir chez lui une culture plus solide et plus choisie, comme d'ouvrir un champ plus large à son ministère. Mais il faudrait considérer comme tout à fait blâmable toute autre innovation qui pourrait porter quelque préjudice au caractère essentiel du prêtre.

---

(1) « Sacerdotium enim in terra peragitur, sed cœlestium ordinum classem obtinet; et jure quidem merito. » (S. Jo. Chrysost. *De Sacerdotio*, lib. III, n. 4.)

(2) « Etenim qui terram incolunt in eaque commorantur, ad ea quæ in cœlis sunt dispensanda commissi sunt, potestatemque acceperunt quam neque Angelis, neque Archangelis dedit Deus. » (Ib. n. 3.)

(3) « Ars est artium regimen animarum, » (S. Gregor. M. *Regul. Past.* Part. I, c. 1.)

Qualités essentielles du prêtre : science-piété—vie exemplaire.

Le prêtre est, par-dessus tout, constitué maître, médecin et pasteur des âmes, et il est le guide vers une fin qui ne se renferme pas dans les limites de la vie présente. Or, il ne pourra jamais correspondre pleinement à de si nobles devoirs, s'il n'est pas, autant que de besoin, versé dans la science des choses sacrées et divines, s'il n'est pas abondamment pourvu de cette piété qui en fait un homme de Dieu ; s'il ne met pas tous ses soins à fortifier ses enseignements par l'efficacité de l'exemple, selon l'avertissement donné aux pasteurs sacrés par le Prince des Apôtres : *Forma facti gregis ex animo* (1).

Quelque changement qu'apportent les temps, quelles que soient les variations et les transformations des conditions sociales, ce sont là les qualités propres et supérieures qui doivent resplendir dans le prêtre catholique, selon les principes de la vraie foi ; tout autre talent naturel et humain sera sans doute recommandable, mais par rapport à la fonction sacerdotale, il n'aura qu'une importance secondaire et relative.

Si donc il est raisonnable et juste que le clergé se plie, dans les limites permises, aux besoins de l'âge présent, il est d'autre part requis et nécessaire que, bien loin de céder au mauvais courant du siècle, il y résiste avec force. De la sorte, tandis qu'il répondra naturellement à la haute fin du sacerdoce, il contribuera à rendre plus fécond son ministère par un accroissement de considération et de respect.

Il doit se garder de l'esprit du siècle.

Or, il est trop notoire que l'esprit de naturalisme tente de corrompre toutes les parties même les plus saines du corps social : c'est cet esprit qui enorgueillit les âmes et les pousse à la révolte contre l'autorité ; c'est cet esprit qui avilit les cœurs et les tourne à la recherche des biens caducs, au mépris des biens éternels.

Il est fort à craindre que cet esprit, si malfaisant et déjà trop répandu, ne parvienne à exercer quelque influence même sur les ecclésiastiques, surtout sur ceux qui ont le moins d'expérience. Tristes en seraient les effets, à savoir l'abandon de cette gravité de conduite qui convient si bien au prêtre, la légèreté avec laquelle on cède à la fascination de toute nouveauté, l'insolence prétentieuse avec laquelle on

(1) I Pet. V, 3.

se comporte vis-à-vis des supérieurs, la perte de cette modération et de cette mesure si nécessaires dans la discussion, spécialement en matière de foi et de morale. Mais un effet bien plus déplorable encore, puisqu'il amènerait le malheur du peuple chrétien, en résulterait dans le ministère sacré de la parole, parce qu'il y introduirait un langage non conforme au caractère du prédicateur de l'Évangile.

Formation spéciale du clergé dans les Séminaires.

Touché par ces considérations, Nous sentons le besoin de recommander à nouveau et avec plus de force encore, que, avant tout, les séminaires soient maintenus avec un soin jaloux dans leur esprit propre, soit pour ce qui concerne l'éducation de l'intelligence, soit pour ce qui regarde celle du cœur. On ne doit jamais perdre de vue qu'ils sont exclusivement destinés à préparer les jeunes gens, non à des fonctions humaines, pour nobles et honorables qu'elles soient, mais à la haute mission, rappelée ci-dessus, de « ministres de Jésus-Christ et de dispensateurs des mystères de Dieu (1). »

De cette considération, toute surnaturelle, comme Nous l'avons dit dans l'Encyclique au clergé de France datée du 8 septembre 1899, il sera toujours aisé de déduire des règles précieuses, non seulement pour la bonne formation des clercs, mais aussi pour éloigner des établissements où ils sont élevés, tout danger soit intérieur, soit extérieur, d'ordre moral et religieux.

Quant aux études.

En ce qui concerne les études, puisque le clergé ne doit être étranger aux progrès d'aucun bon enseignement, qu'on accepte ce qui, dans les méthodes nouvelles, est reconnu vraiment bon et utile: chaque époque contribue au progrès du savoir humain.

Cependant, Nous voulons qu'à cet égard on se rappelle bien Nos prescriptions en ce qui concerne l'étude des lettres classiques et principalement de la philosophie, de la théologie et des sciences qui y confinent: prescriptions que Nous avons données dans plusieurs documents, surtout dans l'Encyclique dont Nous avons à cœur, pour cette raison, de transmettre un exemplaire, joint à la présente. Il serait certainement désirable que les jeunes ecclésiastiques pussent tous, comme cela devrait être, poursuivre constamment le

(1) I Cor. IV, 1.

cours des études à l'ombre des instituts sacrés. Mais, puisque de graves raisons conseillent parfois, pour certains d'entre eux, de fréquenter les Universités publiques, qu'on n'oublie pas avec quelles précautions nombreuses les Évêques doivent le leur permettre. (1)

De même, Nous voulons qu'on insiste sur la fidèle observation des règles contenues dans un document plus récent, spécialement pour ce qui concerne les lectures ou toute autre chose pouvant donner occasion aux jeunes gens de prendre une part quelconque aux agitations extérieures (2). Ainsi les élèves des séminaires, mettant à profit un temps précieux dans une parfaite tranquillité d'âme, pourront s'adonner exclusivement aux études qui les rendront mûrs pour les grands devoirs du sacerdoce, spécialement pour le ministère de la prédication et de la confession.

Principalement en vue de la prédication et de la confession.

Qu'on réfléchisse bien à la grave responsabilité des prêtres qui, en face d'un si grand besoin du peuple chrétien, négligent de prêter leur concours à l'exercice de ces ministères sacrés; et de ceux aussi qui n'y apportent pas une activité éclairée: car les uns et les autres correspondent mal à leur vocation dans une chose qui importe grandement au salut des âmes.

Et ici, Vénérables Frères, Nous devons attirer votre attention sur l'instruction spéciale que Nous avons jugé utile de donner à propos du ministère de la parole divine (3); et Nous désirons qu'on en tire des fruits plus copieux. Au sujet du ministère des confessions, qu'on se rappelle avec quelle sévérité le plus célèbre et le plus doux des moralistes parle de ceux qui ne craignent pas de siéger au tribunal de la pénitence sans la capacité nécessaire (4); et la plainte non moins sévère de l'illustre pontife Benoît XIV, qui plaçait

---

(1) Instructio *Perspectum est*, S. Congr. EE. et RR. data die 21 Julii 1896, ad Italiæ Episcopos et Familiarum religiosarum Moderatores.

(2) Instruction de la S. Congr. des Affaires Ecclésiastiques Extraordinaires, du 27 Janvier 1902, sur l'action populaire chrétienne ou démocratique chrétienne en Italie.

(3) Instruction de la S. Cong. des EE. et RR. du 31 Juillet 1894 à tous les Ordinaires d'Italie et aux supérieurs des ordres et des congrégations religieuses.

(4) S. Alph. M. de Liguori; *Praxis confessarii*, c. I, § III, n. 18.

parmi les plus grands malheurs de l'Église le manque, chez les confesseurs, d'une science théologique morale requise par l'importance d'une fonction si sainte.

C'est donc vers ce noble but de préparer de dignes ministres du Seigneur qu'il faut, Vénérables Frères, diriger, et toujours avec plus de vigueur et de vigilance, non seulement la formation scientifique, mais encore la discipline et le système d'éducation de vos séminaires.

Quant à la discipline — l'éducation — l'admission aux saints Ordres.

Qu'on n'y reçoive que des jeunes gens offrant des espérances fondées de vouloir se consacrer pour toujours au ministère ecclésiastique (1). Qu'on les tienne à l'écart du contact et plus encore de la vie commune avec des jeunes gens qui n'aspirent pas au sacerdoce; cette communauté pourra, pour des causes justes et graves, être tolérée provisoirement et avec de grandes précautions, tant qu'il ne sera pas possible de pourvoir entièrement à l'éducation des élèves conformément à l'esprit de la discipline ecclésiastique.

Qu'on renvoie tous ceux qui, dans le cours de leur éducation, manifesteraient des tendances peu conformes à la vocation sacerdotale, et que, dans l'admission des clercs aux ordres sacrés, on use d'une grande réflexion, selon le très grave avertissement de saint Paul à Timothée : *Manus cito nemini imposueris* (2).

En tout cela il convient de négliger toute autre considération, qui serait toujours inférieure à celle très importante de la dignité du saint ministère.

Il importe ensuite grandement que, pour former dans les élèves du sanctuaire une vivante image de Jésus-Christ, en quoi se résume toute l'éducation ecclésiastique, les directeurs et les professeurs joignent à l'activité et à la capacité professionnelles, l'exemple d'une vie de tous points sacerdotale. La conduite exemplaire des supérieurs, surtout vis-à-vis des jeunes gens, est le langage le plus éloquent et le plus persuasif pour leur inspirer la conviction des devoirs propres à leur état et l'amour du bien.

Qualités nécessaires aux directeurs et professeurs.

Une œuvre de tant d'importance réclame principalement du directeur spirituel une prudence peu commune et des

(1) Conc. Triden. Sess. XXIII, c. XVIII, *De Reformat.*
(2) I Timoth. V, 22.

soins incessants. Aussi une telle fonction, dont nous désirons qu'aucun séminaire ne soit privé, doit-elle être confiée à un ecclésiastique très expert dans les voies de la perfection chrétienne. Jamais on ne pourra lui recommander assez d'inculquer aux élèves et de nourrir dans leur cœur une très-solide piété : cette piété est utile pour tous, mais spécialement pour le clergé, elle est d'un prix inestimable (1).

Qu'il soit donc diligent à les prémunir aussi contre une erreur pernicieuse, assez fréquente chez les jeunes gens, qui consiste à se laisser emporter par l'ardeur des études au point de ne plus s'attacher, comme il faudrait, à leur avancement dans la science des saints. Plus la piété aura jeté des racines profondes dans l'âme des clercs, mieux ils seront capables de ce puissant esprit de sacrifice, absolument nécessaire pour travailler avec zèle à la gloire de Dieu et au salut des âmes.

Grâce à Dieu, ils ne manquent pas, dans le clergé italien, les prêtres qui donnent de nobles preuves de ce que peut un ministre du Seigneur pénétré de cet esprit : admirable est la générosité d'un si grand nombre qui, pour développer le règne de Jésus-Christ, courent avec empressement sur les terres lointaines au-devant des fatigues, des privations, des souffrances de toute sorte et même du martyre.

Ainsi entouré de soins tendres et prévoyants, dans une convenable culture de l'esprit et du talent, le jeune lévite deviendra graduellement tel que l'exigent la sainteté de sa vocation et les besoins du peuple chrétien. L'apprentissage est long en vérité ; et cependant il devra se prolonger au-delà du temps du séminaire.

Besoin de direction et d'études après le séminaire.

En effet, les jeunes prêtres ne peuvent être laissés sans guide dans leurs premiers travaux et ils ont besoin d'être soutenus par l'expérience d'hommes plus âgés, qui mûrissent leur zèle, leur prudence et leur piété ; et il est utile de même que, soit par des exercices académiques, soit par des conférences périodiques, on répande l'usage de les tenir continuellement familiarisés avec les études sacrées.

Il est évident, vénérables frères, que les recommandations que Nous avons faites jusqu'ici, loin d'apporter une entrave

(1) I Timoth. IV, 7, 8.

quelconque, sont même très utiles à cette activité sociale du clergé, souvent recommandée par Nous comme un besoin de notre temps. Car en exigeant la fidèle observation des règles rappelées par Nous, on garantit ce qui doit être l'âme et la vie de cette activité.

Le clergé doit s'occuper du peuple et des œuvres sociales, mais avec soumission aux Evêques

Répétons-le encore et plus haut : il faut que le clergé aille au peuple chrétien, qui est de toutes parts menacé par des pièges et par toute sorte de fallacieuses promesses, poussé, particulièrement par le socialisme, à l'apostasie de la foi de ses ancêtres. Mais tous les prêtres doivent subordonner leur action à l'autorité de *ceux que l'Esprit-Saint a établis évêques pour gouverner l'Église de Dieu ;* faute de quoi naîtraient la confusion et un très grave désordre, au préjudice aussi de la cause qu'ils ont à défendre et à promouvoir.

Même, dans ce but, Nous désirons qu'à la fin de leur éducation dans les séminaires, les aspirants au sacerdoce soient suffisamment mis au courant des enseignements contenus dans les documents pontificaux qui concernent la question sociale et la démocratie chrétienne, en s'abstenant néanmoins, comme Nous l'avons dit plus haut, de prendre aucune part au mouvement extérieur. Ensuite, devenus prêtres, qu'ils s'occupent avec un soin particulier du peuple, de tout temps l'objet des plus affectueuses sollicitudes de l'Église.

Arracher les enfants du peuple à l'ignorance des choses spirituelles et éternelles, et, avec une industrieuse tendresse, les acheminer vers une existence honnête et vertueuse ; confirmer les adultes dans la foi en dissipant les préjugés contraires et les exciter à la pratique de la vie chrétienne ; promouvoir dans le monde laïque catholique les institutions reconnues vraiment efficaces pour l'amélioration morale et matérielle des multitudes ; par-dessus tout, défendre les principes de justice et de charité évangéliques, qui règlent harmonieusement tous les droits et tous les devoirs de la société civile : voilà, dans ses parties principales, la noble tâche de leur action sociale.

Et sans préjudice de sa dignité et de ses devoirs primordiaux.

Mais qu'ils aient toujours présent à l'esprit que, même au milieu du peuple, le prêtre doit conserver intégralement son auguste caractère de ministre de Dieu, étant placé à la tête de ses frères, principalement *animarum causa* (1).

---

(1) S. Gregor., M. *Regul. Past.*, Pars. II, c. VII.

Toute autre manière de s'occuper du peuple, au prix de la perte de la dignité sacerdotale et au préjudice des devoirs et de la discipline ecclésiastique, ne pourrait être que hautement réprouvée.

Voilà, Vénérables Frères, ce que la conscience de la charge apostolique Nous prescrivait de faire remarquer, étant donné la situation actuelle du clergé d'Italie. Nous ne doutons pas qu'en un sujet si grave et si important, vous saurez joindre à Notre sollicitude les plus empressées et les plus affectueuses industries de votre zèle, vous inspirant spécialement des lumineux exemples du grand archevêque saint Charles Borromée.

Appel au zèle éclairé des Évêques.

Donc, pour assurer l'effet de Nos présentes prescriptions, vous aurez soin d'en faire le sujet de vos conférences régionales et de vous concerter sur les mesures pratiques qui, selon les besoins particuliers de chaque diocèse, vous paraîtront plus opportunes. A vos projets et à vos délibérations ne manquera pas, s'il est nécessaire, l'appui de Notre autorité.

A la fidélité, à l'union, à l'obéissance des prêtres.

Et maintenant, Nous nous tournons vers vous, prêtres d'Italie, pour vous adresser une parole qui sort spontanément du fond de Notre cœur paternel, recommandant à tous et à chacun de mettre tout votre soin à correspondre toujours plus dignement à l'esprit propre de votre éminente vocation. A vous, ministres du Seigneur, Nous disons, avec plus de raison que ne disait saint Paul aux simples fidèles: *Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis* (1). Que l'amour de l'Église, notre mère commune, consolide et fortifie parmi vous cette harmonie de pensée et d'action, qui redouble les forces et rend les œuvres plus fécondes. En des temps si nuisibles à la religion et à la société, quand le clergé de toute nation est appelé à s'unir étroitement pour la défense de la foi et de la morale chrétienne, il vous appartient, fils très chers, unis à ce Siège apostolique par des liens particuliers, il vous appartient de donner l'exemple à tous les autres et d'être les premiers dans l'obéissance absolue à la voix et aux ordres du Vicaire de Jésus-Christ. — Ainsi les bénédictions de Dieu descendront abondantes, telles que Nous les implorons, pour que le

(1) Eph. IV, 1.

clergé d'Italie demeure toujours digne de ses glorieuses traditions.

En attendant, comme gage des faveurs divines, recevez la bénédiction apostolique que Nous accordons, avec l'effusion du cœur, à vous, Vénérables Frères, et à tout le clergé confié à vos soins.

Donné à Rome, près Saint-Piérre, en la fête de l'Immaculée-Conception de Marie, 8 Décembre 1902, la vingt-cinquième année de Notre Pontificat.

LÉON XIII, PAPE.

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. VIII, pag. 5.)

§ III.

De Christo regnante cum electis.

310. Præsentem ordinem a Deo electum et statutum, prædestinationemque electorum ac futurum regnum cœleste satis fuse supra descripsimus. Unum tantum remanet paulo amplius declarandum, beatitudo nempe Christi absolute summa, et beatitudo participata electorum relative ad Christi beatitudinem summa. Beatitudo tum Christi tum electorum comprehendit beatitudinem essentialem et accidentalem.

Beatitudo Christi essentialis est ex unione hypostatica; accidentalis, ex redemptione.

Igitur beatitudo humanitatis Christi essentialis incepit cum ipsa unione hypostatica. Est hæc beatitudo eadem pro omni statu vitæ mortalis, mortis, resurrectionis seu gloriæ; estque simpliciter possibilis maxima, sicut ipsa excellentia ex cujus participatione oritur. Tandem gratuita est, quia prima: prius enim est esse quam exigere ut tale sit, et prius beatum esse quam aliquid beatitudini accedere.

Attamen quia Filius Dei assumpsit naturam passibilem pro tempore viæ, ad satisfactionem, meritum et exemplum, unio hypostatica non habuit omnes effectus, nempe, effectum impassibilitatis non habuit nisi post mortem, et, quia corpus non erat glorificandum nisi per unionem cum anima impassibili, non habuit effectum glorificationis in corpore nisi per resurrectionem. Hi igitur effectus per se et de jure consequuntur unionem hypostaticam, et beatitudinem essentialem;

per accidens autem fuerunt impediti, in statu viæ, propter opus gloriosissimum redemptionis perficiendum. Unde et passiones ac mors dolorosissima non obfuerunt beatitudini essentiali Christi, tum quia impassibilitas erat in ejus potestate et perfecte passioni omni Christus dominabatur, tum quia passionem voluntarie elegit ut medium ad finem celsissimum divinæ gloriæ ac summæ beatitudinis suæ accidentalis.

Sic et Sancti omnes, quamquam necessitate multa patiebantur, ea tamen voluntarie dirigebant iisque et alia voluntarie addebant, in finem divinæ gloriæ suæque sanctificationis ac salutis, ex cujus finis præcellentis amore ac gaudio, ipsas passiones ac mortem, utpote media a fine participantia bonitatem, amabant atque in iis gaudium ac felicitatem altioris ordinis inveniebant. O si et nos arcana crucis Domini perspicere conaremur! Omnia mala hujus mundi, præter malum morale intellige, naturalem amaritudinem suam fere amitterent, præ gaudio ac felicitate, quam afferrent eorum bonitas et efficacia in ordine ad finem æterni gaudii ac beatitudinis.

311. Beatitudo maxima possibilis essentialis ad se appellat maximam beatudinem accidentalem : licet enim beatitudo essentialis sit, qua talis, possibilis maxima, potest tamen eidem accidentalis addi, sine qua gaudens beatitudine essentiali non esset simpliciter maxime possibile beatus. Unde Deus qui omnia operatur ad extra, ut Deus, non solam procurasset beatitudinem essentialem, quin accidentalem, maximam adjecisset. Propterea Filius Deus factus est homo, non ut solummodo simul esset homo, sed ut homo factus hominum esset Redemptor. Jamvero, accidentalis beatitudo possibilis maxima Christi est ex redemptione.

Revera, humana natura Christi, sola hypostatice assumpta, sola habet gloriam, quod Deus eam elegerit in opus omnium maxime gloriosum, redemptionis scilicet omnium fratrum Christi totiusque mundi, quodque

ad hoc opus perficiendum tum ab intrinseco, tum ab extrinseco perfecte Redemptorem instruxerit, ita ut perfecte et summa cum gloria illud perfecerit. Atqui ex summa gloria impleti operis summe gloriosi, summa consequitur beatitudo.

Quod autem Deus perfecte Redemptorem ad opus istud gloriosissimum instruxerit, manifestum est: etenim tum ab intrinseco, per unionem hypostaticam, illi dedit unde opus istud expleret, modo quo nullus efficacior ac plenior cogitari possit; tum ab extrinseco nihil Redemptori defuit, siquidem ipsi data est omnis potestas in cœlo et in terra, et omnia subjecta sunt ei; Deus per omnem suam operationem ad extra illi præparavit viam et regnum in finem redemptionis perfectum, omnia paravit ut munus redemptoris opportune susciperet, imo et ab initio mundi ipsi choros angelorum in dignos sui regni ministros concessit.

Neque minus evidens est Christum gloriosissime munus suum implevisse, per plenam ac superabundantem satisfactionem justitiæ divinæ, passione omni modo perfecta et mirabili; per meritum perfectum, procurando omnibus media salutis perfecta; per doctrinam perfectam atque exemplum perfectum; per perfectam diaboli devictionem, omnium restaurationem, perfectam Dei glorificationem in æternum in civitate cœlesti.

Hæc est summa gloria Christi Redemptoris, ex qua summa ejus beatitudo accidentalis.

312. Igitur propter eamdem beatitudinem Christi accidentalem, cinxit Redemptorem Deus corona perfecta Angelorum et hominum ab ipso redemptorum, tum essentialiter, tum accidentaliter summe beatorum, participative tamen et relative ad beatitudinem Christi.

Essentialis beatitudo omnium electorum est ex visione Dei per lumen gloriæ, quod ipsum est ex unione quadam ineffabili electi, mox infra explicanda, cum Verbo Dei, Sapientia Patris; ad quam consequitur etiam, suo tempore, glorificatio corporis. Accidentalis,

pro ratione utentibus in statu viæ, est ex gradu luminis gloriæ secundum datam occasionem merendi, et concursum præstitum gratiæ actuali. Item, accidentalis est, et sola pro iis qui ratione numquam usi sunt, quod a Christo sunt redempti, et pro omnibus ex societate Redemptoris, B. Mariæ Virginis, angelorum et beatorum, etc.

Beatitudo essentialis et accidentalis sanctorum angelorum incepit ab accepto lumine gloriæ, nisi quod accidentalis adaucta fuit, ab hominum redemptione, ex societate Redemptoris, etc. ut supra. Beatitudo essentialis et accidentalis sanctorum hominum incipit, quantum ad animam, ab accepto lumine gloriæ; et quantum ad corpus, per hujus glorificationem. Beâtitudo accidentalis omnium electorum complebitur per judicium universale..

Hæc beatitudo, ut patet, electorum omnium est participative ex genere suo possibilis maxima, quamquam accidentalis non potest esse absolute et æqualiter, sed relative tantum maxima, pro data tempore probationis occasione meriti et oblata gratia.

(Continuabitur).

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Martii.

—

I

Qua occasione et quo fine scripta est epistola ad Romanos?

II

Demonstra in Deo esse processionem ad intra secundum operationem *intellectus*.

III

Explica qua ratione differant peccatum originale et personale, peccatum mortale et veniale.

IV

Da notionem peccati personalis mortalis quoad actum peccati.

V

Quæritur utrum et cur peccatum scandali numerice multiplicetur pro numero scandalizatorum?

VI

Quænam missæ uti votivæ seu extra ordinem officii diei celebrari possunt?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Decembris propositas.

I

Q. *Explica parabolam de virginibus (Matth. XXV, 1-13).*

R. I. **Expositio parabolæ.** *Tunc*, scil. quando Dominus venerit ad judicandum (cf. XXIV, 54) *simile erit regnum cœlorum decem virginibus*, h. e. sicut inter virgines de quibus narrabo quædam electæ fuerunt ut nuptiis participent, eadem ratione judicium feretur inter discipulos meos quinam regnum cœlorum intrare possint. Cum lampadibus *exierunt* e domo sponsæ *obviam sponso* (recensio occidentalis addit *et sponsæ*, quæ verba ab omnibus fere criticis rejiciuntur) (1), ut eum ad sponsæ domum deducant ibique nuptias celebrent. Distinctio inter fatuas et prudentes (v. 2) in eo fundatur quod illæ acceperunt quidem lampades suas oleo instructas, sed neglexerunt aliud oleum secum sumere quo in necessitatis casu uti possent; hæ vero præter lampades *acceperunt oleum in vasis suis* ad hoc destinatis.

Post iter quoddam ædem aliquam ingressæ sunt ut ibi sponsum exspectarent (2). Quum autem hic diutius tardaret, paulatim somno sese tradiderunt.

(1) Loisy apud *Revue Biblique* V (1896), p. 349 sq. præfert lectionem occidentalem et consequenter existimat sponsum jam venisse ad domum sponsæ ut eam secum adducat, virgines autem exspectare sponsos dum ad sponsi domum iter faciunt ut ibi nuptias celebrent. Certe videtur fuisse consuetudo Judæorum tempore Christi celebrandi nuptias in domo sponsi. Cf. Winer, *Realwörterbuch* 2a ed. 1833, I, p. 589 s. v. Hochzeit; Smith, *Dictionary of the Bible*, 1863, II, p. 251, s. v. marriage.

(2) Hoc sequitur ex eo quod *dormitaverunt omnes et dormierunt*, et quod appropinquante sponso ipsis injungitur: *exite obviam ei*.

Circa mediam vero noctem quidam foris stantes a longe viderunt faces lampadesque gestatas a paranymphis qui sponsum comitabantur (cf. IX, 15), virginibusque clamaverunt: *Ecce sponsus* (*venit* deest in omnibus antiquis græcis codicibus) *exite obviam ei. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ et* præparaverunt *lampades suas;* tunc autem fatuæ defectum olei animadverterunt et remedium a sociabus suis implorarunt: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ* in eo sunt ut exstinguantur.

Prudentes vero ipsis suaserunt ut vendentes potius adirent, neque hanc responsionem irrisionem fuisse censemus (aliter Van Steenkiste); consilio huic obtemperarunt, sed interea temporis *venit sponsus et quæ paratæ erant intraverunt cum eo* in domum sponsæ et ad convivium nuptiale ibi præparatum, *et clausa est janua*, quibus ultimis verbis jam suspicari possumus quænam futura sit sors reliquarum virginum. Revera quando postea veniunt et ipsæ, anxiæque repetunt *domine, domine, aperi nobis*, audiunt severum simul et solemne responsum quo fit transitus ad significationem parabolæ: *Amen dico vobis, nescio vos.*

II. **Significatio parabolæ** ultimo versiculo exprimitur: sicut virgines quædam propter imprudentiam suam et præparationis neglectum exclusæ fuerunt a nuptiis, ita et vos si eosdem admittitis defectus eodem modo a regno cœlorum excludemini. *Vigilate ergo*, constanter attenti sitis adventui Domini et semper parati *quia nescitis diem neque horam* qua Dominus sit venturus. Plures interpretes *allegorice* intelligunt hanc parabolam et consequenter explicant quid significetur per sponsum, per sponsam, per nuptias, imo per lampades, oleum, vendentes etc. Potius dicimus esse *comparationem* prout ultimo versiculo explicavimus; significationem vero omnium elementorum ad sensum accommodatitium pertinere quem unusquisque pro scopo homelitico effingere potest.

A. D. B.

II

Q. *Supposita ex Revelatione cognitione SS. Trinitatis demonstra ex ratione illud dogma non inveniri posse solo lumine naturali rationis.*

R. Hoc demonstrandum est quod ratio humana naturaliter nec invenire potest Trinitatem, nec, revelatione jam facta, illam ita intelligere ut tunc inveniat radicem seu rationem ex qua demonstretur quod sit Trinitas (1). Utrumque autem eodem probatur ratiocinio quod proponitur sic:

Homo per rationem naturaliter in cognitionem Dei pervenire non potest nisi ex creaturis. Atqui creaturæ in tantum ducunt in cognitionem Dei in quantum sunt *effectus* Ejus. Ergo homo per rationem naturaliter solum potest cognoscere Deum in quantum est formaliter *causa omnium creaturarum. Atqui Deus formaliter est causa creaturarum* quatenus *est unus in essentia* et non quatenus est trinus in Personis. Ergo homo per rationem naturaliter ex creaturis potest cognoscere Deum in quantum est unus in essentia, non in quantum est trinus in Personis (2).

Igitur homo per rationem naturaliter nequit ex creaturarum cognitione deducere esse in Deo tres Personas, nec etiam, supposita revelatione, potest in creaturis detegere *rationem* cur debeat esse Trinitas Personarum.

Major et minor primi syllogismi supponuntur aliunde notæ.

Restat ut explicetur et demonstretur secunda minor, nempe: *Deus formaliter est causa creaturarum inquantum est unus in essentia*, et non quatenus est trinus in Personis.

---

(1) Cf. S. Thom. I, Q. XXXII, a. 1 et Ills ac Revs Waffelaert, *Meditationes Theologicæ*, in *Coll. Brug.*, T. III, p. 420.

(2) Omnino eadem quoad rem demonstratio exponitur a S. Thoma, op. c., l. c. Cognoscere Deum in quantum est unus in essentia significat hoc de Deo cognoscere « *quod competere ei necesse est* secundum quod est omnium entium (sc. creaturarum) principium » S. Thomas, op. c., l. c.

Relatio formaliter *non* est *activa,* quia omne activum (scilicet omne id *quod* agit vel omne id *quo* agit ens) est formaliter aliquid *absolutum* (non relatio): nam principium quo operatur ens et ipsa actio sunt aliquid *perficiens in se* agens: ergo sunt aliquid absolutum. Ergo nullum ens est formaliter operans per relationem.

Ergo nec Deus formaliter operatur ad extra per relationem, sed per aliquid absolutum, nempe per *ipsam essentiam* divinam: igitur Deus est causa creaturarum formaliter in quantum est unus in essentia. Quum autem Personæ divinæ sint *relationes* subsistentes incommunicabiles (1) sequitur quod Deus non est formaliter operans per illas relationes, consequenter quod Deus non est operans **quatenus** est trinus in Personis. Et hæc est ultima ratio cur cognitio creaturarum etiam perfecta non possit ducere hominem in cognitionem SS. Trinitatis: quia creaturæ non procedunt à Deo **quatenus** est *trinus in Personis*, ideo non manifestant Deum prout est trinus in Personis.

Quod ut melius intelligatur, consideremus ulterius *primo* qua ratione Deus sit causa creaturarum, *deinde* quid sit principium *quod* creationis.

1. Essentia divina est ipsum Esse subsistens (2), et consequenter infinitum in perfectione: inde Deus omnia cognoscit possibilia et omnia, quæcumque velit, utpote omnipotens, efficere valet, simplici suæ voluntatis actu: Deus igitur formaliter creat quatenus *vult* ut talia et talia sint. Sed Dei voluntas est realiter idem ac essentia divina: ergo « *creatio est opus essentiæ divinæ* » (3), imo actus creandi identificatur cum ipsa divina essentia. Apparet igitur creaturas a Deo causari *quatenus* Deus

---

(1) Cf. S. Thomas, I, Q. XL, a. 1 et a. 2 ad 2; Ill^s ac Rev^s Waffelaert. op. c., p. 550 et s.; Billot, *De Deo Uno et Trino*, Romæ, 1897, p. 430.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, T. VII, p. 513.

(3) S. Thom. I, Dist. XXIX, Q. I, a. 4, ad 2.

est *unus in essentia* et minime *quatenus* est *trinus* in personis (1).

2. Principium *quod* dicitur id quod actione sua aliquid producit, principium *quo* est forma secundum quam (sive remote, sive proxime) agens agit. V. gr. quando homo intelligit, principium *quod* operationis est ipse homo, principium *quo ultimum* est natura humana, principium *quo remotum* est ipsa anima, principium quo *proximum* est ipse intellectus, ipsa potentia intelligendi.

Has notiones per analogiam essentiæ divinæ applicantes, dicimus essentiam divinam esse principium *quo* (non est hîc distinguendum inter remotum et proximum) creationis. Sed essentia divina est etiam principium *quod* creationis: etenim illius est operari cujus est esse; atqui essentia est subsistens, imo est ipsum Esse subsistens: ergo essentia divina vere operatur creationem et consequenter est principium *quod* creationis.

Hoc bene notemus quod, ut ex supra dictis patet, principium *quod* est activum formaliter in quantum *subsistens* est, non formaliter in quantum incommunicabile est: inde, licet essentia divina non sit incommunicabilis sed *communis* tribus Personis, tamen nihil impedit quominus sit principium *quod* creationis. Proinde licet Pater, Filius et Spiritus Sanctus sint creantes, quatenus eadem *essentia* tribus est communis, tamen Pater, Filius, Spiritus Sanctus sunt *unum* principium *quod* creationis.

Notemus etiam magnam quamdam differentiam inter creaturas et divinam essentiam: in creatis nullum est

(1) Quum autem essentia divina sit communis tribus Personis, ideo etiam virtus creandi et ipsa creatio est communis tribus Personis. « Virtus autem creativa Dei est communis toti Trinitati ». S. Thom. I, Q. XXXII, a. 1. — « Non autem creatura procedit a tribus personis *ut* sunt *personæ distinctæ*, sed *ut* sunt *unum* in essentia » S. Thomas. I, Q. XXXVI, a. 4, ad 7.

simpliciter *subsistens* quin simul sit *incommunicabile;* sed divina natura est *subsistens* et simul *communis* tribus: inde in creatis omne principium *quod* operationis est etiam *suppositum* (1), et quot sunt principia *quod* tot sunt supposita, in divina vero essentia est unum principium *quod* operationis ad extra et tamen sunt tria supposita seu Personæ tres.

Adnotatio. Demonstratio quam supra proposuimus exhiberi etiam potest sequenti modo: « Homo per rationem naturalem pervenire non potest in cognitionem Dei nisi ex creaturis. Dupliciter autem per viam creaturarum, aliquid de Deo cognoscitur: primo quidem directe, per demonstrationem a posteriori, qua ab effectibus ascenditur ad causam; deinde vero, quasi indirecte, quatenus ex una ratione in Deo per creaturas præcognita, procedimus ad demonstranda cætera attributa, quæ logico nexu cum ea connectuntur.... Atqui nec primo, nec secundo modo innotescere potest Trinitas Personarum: non primo, quia relationes quibus constituuntur Personæ non sunt de formali aliquid effectivum ad extra, sed respectus ad intra. Nec etiam secundo modo aliquid est de Trinitate cognoscibile, quia relationum existentia non connectitur *quoad nos*, cum ratione infinitæ perfectionis quam oportet in primo rerum principio confiteri » (2). Notemus autem rationem cur relationum existentia non connectatur *quoad nos* cum ratione infinitæ perfectionis esse quia Deus non formaliter in quantum est *trinus* operatur effectus ex quibus *nos* debemus haurire omnem nostram cognitionem de Deo. *Eadem* est igitur ultima ratio cur

(1) Quoad notionem *suppositi* et *personæ* cf. S. Thomas, *Quodl.* II, Q. II, a. 2; *de Potentia*, Q. IX, a. 4 et a. 6 ad 3; I, Q. XXIX, a. 1; Ills ac Revs Waffelaert, op. c., p. 499; Billot, *De Verbo incarnato*, Romæ, 1900, p. 66; *De Deo Uno et Trino*, Romæ, 1897, p. 421; Terrien, *S. Thomæ Aquinatis Doctrina sincera de Unione hypostatica*, Parisiis, 1894, p. 67; De Jaegher, *Institutiones Philosophicæ*, Rollarii, 1900, p. 181.

(2) Billot, *De Deo Uno et Trino*, L. II, De Trinitate Personarum, Thes. XV, p. 449.

nec directe, nec quasi indirecte possimus ex creaturis assurgere ad cognoscendum tres esse in Deo Personas. Ideo demonstratio theseos propositæ etiam confici potest quin fiat explicita mentio hujus duplicis viæ (sc. *directe* et *quasi indirecte*) qua ex creaturis naturaliter cognoscimus Deum: sine hac distinctione demonstrationem in responso exposuimus, quia sic, ut videtur, clarius elucet vis rationis ultimæ in qua demonstratio nititur.

J. V. D. M.

III

Q. *Explica et proba ex ratione thesim Probabilistarum: ubi agitur de sola honestate actionis, licet sequi opinionem vere ac solide probabilem faventem libertati, etiam in concursu probabilioris faventis legi.*

R. **Explicatur**. Dicitur 1° *ubi agitur de sola honestate actionis:* quoticscumque enim dubium solvendum versetur directe et formaliter non quidem circa *liceitatem* actionis ponendæ, sed circa ejus *valorem* ad finem determinatum necessario attingendum, intervenit principium altius, quo mediante conscientia fit practice certa, ut ostendimus *suprà* p. 22 sqq. Unde in hujusmodi casu dubia jam non est, practice saltem, liceitas actionis, adeoque deficit materia cui applicari posset sive probabilismus, sive æquiprobabilismus, sive probabiliorismus (1).

Dicitur 2° *licet sequi opinionem vere ac solide probabilem faventem libertati:* id est, *sufficit* vera probabilitas, quod statuimus contra Rigoristas, Tutioristas et Probabilioristas ; sed insuper *requiritur*, quod omnino tenendum est contra Laxistas damnatos ab Innocentio XI (*suprà* p. 30 sq.): excluditur nimirum usus opinionis tenuiter aut dubie probabilis. Porro vere ac solide

(1) Unde nullam admittimus proprie dictam exceptionem systemati Probabilismi.

probabilis est opinio quæ nititur motivo vere gravi, tum absolute, tum relative seu inspectis motivis in oppositum. Adverte nos hic intelligere, ut patet, probabilitatem *publicam*, quæ nimirum a viris sapientibus et probis communiter agnoscitur, vel saltem suo modo objectivam atque aptam reduci ad publicam, quatenus si publica non sit, communiter tamen agnosceretur ab omni sapienti ac probo viro, qui in eisdem adjunctis de re judicaret (1).

Dicitur 3º *etiam in concursu probabilioris faventis legi:* hoc addimus contra Æquiprobabilistas, saltem rigidiores, qui contendunt sequendam esse opinionem faventem legi, quoties agenti apparet probabilior (2). Quod additamentum sic explicamus: si opinio favens legi sit *certo ac notabiliter probabilior*, vix non erit, practice saltem, moraliter aut quasi moraliter certa, adeoque aderit *probabilis certitudo* (S. Th. 2-2, q. 70, a. 2), qua sæpe major in moralibus obtineri nequit (3); Si verò sit *simpliciter probabilior*, id ést non notabiliter, licet certò, non ideo opposita fit tenuiter aut dubie probabilis, et hoc sensu rejicimus theoriam æquiprobabilisticam elisionis necnon dubii stricti et lati. — Ad notabiliter probabiliorem sæpe reducitur *unice probabilis*, quamvis probabilitas *solitaria* nequeat universaliter dici certitudo moralis, etiam late dicta: non enim *per se*

---

(1) Ills ac Revs Waffelaert, *De dubio solvendo in re morali*, n. 193, coll. n. 112; Bouquillon, *Theol. mor. fundam.*, ed. 1a, n. 311; ed. 2a, n. 262; ed. 3a, n. 268.

(2) Ita nuperrime scribebat P. Jansen, C. SS. R.: « L'Equiprobabilisme est un système de morale, qui enseigne que lorsque l'homme est dans le doute *strict* par rapport à l'existence d'une loi, il lui est permis d'user de sa liberté ; mais quand il est personnellement convaincu que l'existence de la loi est *plus probable* que sa non-existence, il est obligé de *choisir* cette opinion plus probable comme règle pratique de sa conduite et, par conséquent, d'observer la loi. » *Revue Thomiste*, 1898, p. 354. Similia habet ejus sodalis P. Wouters in variis periodicis citatis *suprà* p. 30.

(3) Cfr. *Collat Brug.*, T. VII, p. 587. — Hic abstrahimus a quæstione maxime controversa circa doctrinam S. Alphonsi, ubi loquitur de opinione certo probabiliori; cfr. *Collat. Brug.*, T. VII, p. 410 sqq.

importat defectum probabilitatis pro parte opposita, sed tantum *hic et nunc* non apparere probabilitatem oppositæ (1).

Probatur sequenti argumento: Quando opinio, quæ favet libertati, est vere probabilis, obligatio objectiva seu in actu primo (2) est incerta, etiam si opposita sit probabilior. Atqui obligatio in actu primo incerta nequit inducere nisi obligationem subjectivam seu in actu secundo incertam adeoque nullam. Ergo quando opinio, quæ favet libertati, est vere probabilis, licet opposita sit probabilior, nulla inducitur obligatio in actu secundo.

Major patet ex ipsa notione certitudinis et opinionis probabilis: hæc enim includit prudentem formidinem oppositi adeoque excludit certitudinem, quæ stare nequit cum hujusmodi formidine; aliis verbis « quotiescumque probabilis est liceitas alicujus actus, eo ipso *demonstrari* nequit ejusdem illiceitas, quamvis et hæc possit esse probabilis » (3). Hoc autem verum est *etiam si opposita sit probabilior*, quia excessus ille probabilitatis non inducit certitudinem, sed potius eam excludit, dummodo sententia favens libertati sit vere ac solide probabilis, quæ probabilitas, ut statim monuimus, vix non deerit, practice saltem, si opposita sit probabilissima seu notabiliter probabilior (4).

Minor probatur per partes: 1° *obligatio in actu primo incerta nequit inducere nisi obligationem in actu secundo incertam.* Manifestum est hanc non posse fieri certam

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, T. VII, p. 587.

(2) Melius forsan vis ligandi vocaretur obligatio *in actu primo*, quam obligatio objectiva, cum obligatio, sicut et certitudo, per prius dicatur subjectiva, sicut et in formula qua exprimitur principium Probabilismi: Lex dubia non obligat, scil. in actu secundo.

(3) Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *op. cit.*, n. 222.

(4) Ad rem Cl. Bouquillon, *op. cit.*, ed. 2^a, n. 262, ed. 3^a, n. 268: « Certitudo... probabilioritatis alicujus sententiæ minime confundi potest cum ipsius sententiæ certitudine, etiam late sumpta, *nisi agatur de excessu omnino notabili* ».

directe, id est vi ipsius obligationis in actu primo incertæ: secus enim effectus superaret suam causam (1). Hoc generatim fatentur adversarii, sed contendunt intervenire legem superiorem ita ut obligatio *indirecte* fiat certa: videlicet legem vitandi periculum peccati et consequenter sequendi tutius, vel legem accedendi ad veritatem quantum possibile est et consequenter amplectendi verisimilius. At vero non *demonstrant* talem legem existere, et multo minus eam *certo* existere (2); hæc proinde lex est ipsa incerta adeoque nec ipsa obligat in actu secundo. — 2° *Obligatio in actu secundo incerta est obligatio nulla*. Ratio est quia « obligatio subjectiva implicat judicium istud absolutum, *teneor hoc facere;* qui autem judicat se teneri ad aliquid, necessario judicare debet adesse imperium quo tenetur; impossibile vero est ut quis modo absoluto judicet adesse imperium, et simul incertus maneat utrum imperium adsit (3) ». Unde obligatio theoretice incerta est practice nulla, quod admittitur communiter a theologis cujusvis scholæ, ipsis præeunte S. Thoma, *De verit.*, q. 17, a. 3, ubi exponit hoc principium: « Nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante *scientia* illius præcepti », id est cognitione certa saltem lato sensu (4).

---

(1) Bouquillon, *op. cit.*, ed. 1ª, n. 337; ed. 2ª, n. 293; ed. 3ª, n. 299.

(2) Bouquillon, *l. cit.*, apud quem invenies plenam probationem illius asserti, quam brevitati consulentes hic omittimus. Idem dicendum de allatis nuperrime ab Æquiprobabilistis Jansen et Wouters in articulis supra citatis.

(3) Bouquillon, *l. cit.*; Raphaël a S. Joseph, *Institutiones fundamentales theologiæ moralis, De conscientia*, n 189 sqq. Optime S. Alphonsus (*Syst. Mor.*, n. 76): « Quomodo dici potest aliquem scire præceptum, si ipse sciat præceptum esse dubium? Tunc omnino dicendum quod ille præceptum ignorat, cum dubitat an præceptum adsit, vel non. »

(4) Cfr. S. Alph. in *Syst. Mor.* passim. — Afferentes hoc loco auctoritatem S. Thomæ non præcise intendimus, ut patet, traducere Angelicum tamquam Probabilistam, sed unice tamquam asserentem ipsum principium, in quo nititur Probabilismus postea systematice propositus. Hoc forsan sensu intelligenda est nota Cl. Bouquillon (de qua *supra*, p. 70 sq.),

Inconcussum igitur stat principium probabilismi, quod brevius enuntiatur: *Lex dubia non obligat*, sed clarius: *Obligatio in actu primo incerta producit obligationem in actu secundo incertam adeoque nullam*, quo mediante conscientia, ut facile intelligitur, efformari potest practice certa (1).

H. M.

IV

Q. *Præmissa distinctione scandali in directum et indirectum, regula generali determina:*

1° Quis sit reus scandali directi. Explica.

R. **Distinctio scandali activi in directum et indirectum** attenditur ratione efficaciæ diversæ. Scandalum dicimus *directum* quod est vera et proprie dicta *causa moralis* proximum inducens ad peccatum. Ex ipsa autem definitione intelligitur in omni scandalo directo peccatum proximi semper et necessario, saltem implicite vel interpretative, a scandalizante vel intendi vel saltem esse volitum. Scandalum præbetur *indirectum*, quando quis sine justa causa dicit vel facit id ex quo proximus sumpturus est *occasionem* peccandi vel incitamentum ad peccatum. Unde ad scandalum indirectum sufficit ut peccatum proximi prævideatur, etiamsi nullo modo intendatur (2). Ità scandalo *directo* peccat qui

---

ubi circa verba ex S. Thoma statim relata advertit: « certum nobis videtur ea non posse intelligi nec ab Angelico intellecta fuisse *sensu probabilistico*... »

(1) Bouquillon, *op. cit.*, ed. 1ª, n. 346 sqq.; ed. 2ª, n. 304; ed. 3ª, n. 310.

(2) Quæ definitio scandali directi et indirecti omnino præferenda est eâ quæ communiter traditur et qua scandalum *directum* dicitur quando quis *intendit* proximum ad peccatum inducere [sive *formaliter* ad peccatum qua tale (scandalum diabolicum); sive *simpliciter* ad peccatum qua inducenti utile vel delectabile]; *indirectum* verò quando proximus occasionem accipit peccandi ex dicto vel facto scandalizantis illud peccatum *non intendentis*. Hæc enim distinctio scandali in directum et indirectum non est adæquata et confusioni ansam præbet, ut notat Ills ac Reverends

peccatum proximo consulit seu suadet (raden), illum peccare jubet (gebieden), ejusve peccatum laudat (prijzen) vel approbat (behagen), vel etiam proximo peccanti totaliter et in ordine morali (1) patrocinatur (beschermen): in his enim casibus scandalizans dicto vel facto suo *causa* est in ordine morali peccati scandalizati seu in illud positive influit. — Peccat scandalo *indirecto* qui peccat coram aliis, qui malo ejus exemplo (2) in idem peccatum lapsuri prævidentur; item qui coram aliis ea facit quæ, licet in se mala non sint, ex natura sua sunt tamen periculosa et incitativa ad malum, cujusmodi multa enumerari solent, præsertim in materia castitatis. Porro in his casibus scandalum indirectum est *per se*, quia actio scandalizans natura sua movet ad peccandum. Scandalum indirectum aliquando est *per accidens* quando movet ad peccatum non ex natura sua, sed tantùm ex speciali malitia vel infirmitate scandalizati: ità quando absque justa causa aliquid petitur a proximo quod fieri potest absque peccato, non tamen absque peccato faciendum prævidetur (3).

II. **Scandali directi reus est** *qui, quacumque intentione, jussu, consilio, precibus, blanditiis etc. proximum inducit ad id quod facere nequit absque peccato.* — *Excipitur* tamen casus quo quis proximo ad majus malum parato,

---

Waffelaert, *Étude de théol. mor. sur la Coopération suivie d'une dissertation sur l'espèce morale du scandale*, Bruges 1883, pp. 122 ss. Ità quis optime potest præbere tantùm *occasionem* peccato proximi et simul hoc peccatum intendere, ut dicetur Resp. seq.

(1) Nam *bescherмen* in ordine physico consistit in cooperatione positiva sensu stricto et potest conjungi cum scandalo directo vel indirecto. Reliqua peccata aliena hic enumerata consistunt in cooperatione positiva sensu lato. Cfr. Ill^m ac Reverend^m Waffelaert, *o. c.*, p. 166 s.

(2) Aliquando tamen malum exemplum potest esse *causa moralis* peccati alterius adeoque scandalum *directum:* quando nempe agens ponit malum exemplum ratus circumstantes ejus agendi rationem expectare ut et ipsi agant, media idonea nansciscantur etc. Tunc enim exemplum est *formale* ac *reale consilium* ad sui imitationem invitans. Cfr. Ill^m ac Reverend^m Waffelaert, *o. c.*, p. 143.

(3) Cfr. Exim. Bouquillon, *Tract. de Virt. Theol.*, Brugis 1878, n. 534.

conditionate seu comparative suadeat minus malum, quando a pravo proposito eum aliter avertere nequeat.

Explicatio. Dicitur:

1/ *Quacumque intentione:* sive intendat proximum inducere ad peccatum qua tale seu qua est offensa Dei vel spiritualis ruina proximi (scandalum diabolicum); — sive intendat ut malum committatur non quatenus malum est, sed quatenus ex eo aliquid utilitatis aut delectabilitatis oritur (scandalum simpliciter intentum), — vel tandem ut alius finis bonus vel indifferens obtineatur (scandalum interpretative volitum). Scandalum enim dicitur directum ratione *efficaciæ moralis* seu *positivi influxus* quem actio scandalizans in peccatum proximi obtinet (1), ad quam causalitatis efficaciam interna scandalizantis intentio nihil conferre videtur. A qua tamen intentione abstrahere nullatenus licet, ubi de specie theologica seu gravitate necnon de specie morali seu qualitate scandali determinanda agitur (2).

2/ *jussu, consilio, precibus, blanditiis etc.* quibus verbis indicantur modi præcipui quibus scandalum directum præberi contingit (v. suprà p. 99 s.).

3/ proximum inducit (3) *ad id quod facere nequit absque peccato.* Sedulo nota non dici: quod *non facit* absque peccato, sed: quod *facere nequit* absque peccato; secus enim, defectu positivi influxus in peccatum proximi, non esset scandalum directum, sed, absente causa proportionata, scandalum indirectum, de quo in quæst. seq. — Ità non licet petere ab usurario ut cum usura mutuet, (verùm liceret aliquando justa de causa petere mutuum cum certa prævisione usuræ); nec ab infideli ut per falsum deum juret; nec a sacerdote, qui

---

(1) Cfr. *notam* 2am p. 99.

(2) Cfr. Illm ac Reverendm Waffelaert, *Annotat. in Tract. de Virt. theol.*, Brugis 1900, n. 536 et 540.

(3) Hæc scandali directi malitia profecto non deest, quando prævidetur conatum illum sollicitantis valde probabiliter fore incassum; gravior tamen plerumque malitia contrahitur, si effectus prævidetur certior.

jurisdictione caret, ut a peccatis absolvat etc. — Nec refert proximum jam esse ad peccandum paratum, nam quamvis causa non sis interni mali propositi quod est peccati principium (inde tamen minus graviter delinquis), causa tamen es peccati secundum executionem vel continuationem. — Attamen

4/ *exceptio* generali regulæ apponitur, in qua celebris attingitur controversia : utrum *parato ad majus peccatum liceat suadere minus, si aliter a pravo proposito abduci nequeat.* Quæstionem hanc adæquate solutam invenire est apud *Collat. Brug.* T. I, p. 496 ss., quam solutionem hîc compendiose referre juvat.

Ex sententia jam communiter recepta ac valde probabili, licebit, si malum minus includitur formaliter aut virtualiter in majore : ut furtulum in furto, fornicatio in adulterio, verberatio et mutilatio in occisione. Tunc enim suadetur malum minus, non qua malum, sed qua minus est, seu diminutio mali, quæ bona est. Imo ex sententia communiore ac vere probabili, licebit, si malum minus in majore non includitur : ut adulterium relate ad homicidium, dummodo suasio fiat *conditionate et comparative*, seu appareat, ex verbis aut ex adjunctis, esse suasionem mali minoris qua minoris et impeditivi majoris mali. — Huic tamen doctrinæ, in materia justitiæ, addenda est aliqua *limitatio :* videtur regulariter illicitum parato ad damnum uni inferendum suadere minus malum inferendum alteri in particulari designato.

A. C.

V

Q. *Regula generali determina 2° quis sit reus scandali indirecti. — Explica.*

R. **Scandali indirecti reus est** *qui, quacumque intentione, absque causa proportionata, facit illud ex quo proximus sumpturus est occasionem peccandi vel incitamentum ad peccatum.*

Explicatio. Dicitur

1/ *quacumque intentione.* Ut in q. præcedente (p. 100 s.) abstrahimus a scandalizantis intentione, quæ potius attendenda est ubi de specie theologica seu gravitate, vel de specie morali seu qualitate scandali inquiritur.

2/ *absque causa proportionata.* Absente causa proportionata adest peccatum scandali, quia ex charitate tenemur vitare malum proximi, præsertim spirituale, quoties id facile i. e. absque magno incommodo possumus. Attamen causa proportionata excusat a scandalo, seu potest unusquisque cum tali causa absque peccato scandali, facere vel omittere id in quo continetur occasio ruinæ pro proximo. Talis verò causa excusans esse potest aliqualis *necessitas* agendi vel actum omittendi, sive *absoluta* (quæ sæpe dicitur physica) sive *relativa* (moralis): utraque autem esse potest ordinis materialis vel spiritualis.

a/ Et quidem res clara est, ait Exim. Bouquillon (1) quoad **necessitatem absolutam**, tùm *physicam*, quæ existit quando per vires naturales impossibile est actum ponere vel ab eo abstinere, tùm *spiritualem*, quæ existit quando habetur obligatio actum ponendi vel eum omittendi. Ubi tamen advertendum est, interdum contingere ut præcepta, non solum humana sed etiam naturalia et divina (2), non urgeant in conflictu cum præcepto negativo charitatis non scandalizandi proximi. Hoc autem eo rarius ac difficilius in particulari continget, quo magis expedit bono communi præceptum adimpleri, — quo magis actio sit incentiva ad malum, et consequenter quo major habetur probabilitas ruinæ proximi, — quo gravius est peccatum quod timetur, — quo major numerus eorum quorum ruina prævidetur.

---

(1) *Tract. de Virt. theol.*, Brugis 1878, n. 537.

(2) Non tamen licet unquam, ad vitandum scandalum, aliquid intrinsece malum facere. Ità v. g. nunquam cessat lex naturalis *prohibens* mendacium; ità evidenter nunquam omittenda sunt præcepta fidei et sacramentorum quæ necessaria sunt ad salutem.

b/ **Necessitas relativa seu moralis** adest, quando sine incommodo *temporali* aut *spirituali*, prudenter omnibus inspectis æstimando, non potest omitti actio scandalizans. Nempe pensandum est ex una parte detrimentum temporale aut spirituale quod oritur ex omissione actus scandalizantis, et ex alia parte periculum detrimenti spiritualis proximi, quod natum est sequi e posito actu. Hoc autem periculum spiritualis jacturæ mensurandum est juxta gravitatem et probabilitatem peccati in proximo, numerum et qualitatem personarum quarum lapsus timetur, necnon connexionem inter actionem scandalizantem et proximi peccatum (1).

Quando autem adest causa proportionata modo descripta, nonobstante prævisione alieni peccati secuturi agere licet: non omnis enim effectus ex actione quomodocumque sequens agenti tanquam in causa voluntarius est imputabilis. Licet enim, ut in casu, ponere causam bonam, cujus duplex sit effectus saltem æque immediatus, unus bonus, alter malus, modo agens solum bonum effectum intendat, mere permissive se habeat ad effectum malum, et adsit ratio proportionate gravis causam ponendi et pravum effectum permittendi (2).

3/ *facit illud ex quo proximus sumpturus est occasionem peccandi vel incitamentum ad peccatum.* Tunc enim proprie adest scandalum indirectum in q. præcedente definitum. Hinc reus foret scandali indirecti qui *absque causa proportionata* ab usurario peteret mutuum cum certa prævisione usuræ, conjux debitum petens prævidens compartem illud modo onanistico esse redditurum, mulier sese viri ipsam turpiter amantis aspectui objiciens, juramentum petens a pejeraturo etc. In singulis tamen exemplis causa pravo effectui proportionata, et attentis variis elementis suprà (p. 103) expositis mensurata, malitiam scandali abstergeret: ità pro mutuatario

(1) Cfr. Bouquillon, *l. c.*
(2) Cfr. *Collat. Brug.*, T. I, p. 287 s.

causa sufficiens esse posset magna pecuniæ necessitas, pro comparte debitum petente verum periculum incontinentiæ; pro femina turpiter amata incommodum notabile (1); pro juramentum petente ratio boni communis v. g. in judiciis.

A. C.

VI

Q. *Determina obligationem parochi juvandi spiritualiter subditos graviter infirmos.*

R. I. **Quoad sacramenta exeuntium administranda.** Generatim tenetur parochus *ex justitia*, vi np. suscepti officii seu ex quasi-contractu, et *sub gravi* sacramenta ministrare suis subditis rationabiliter petentibus; quæ obligatio, ut patet, speciatim urget relate ad subditos graviter decumbentes, videlicet quoad ipsis conferenda sacramenta exeuntium, Viaticum et Extremam Unctionem; nec tantum tenetur parochus ea ministrare infirmis petentibus, sed etiam adhibere debet prudentem diligentiam ut ægroti, qui sui incurii sint, tempestive admoneantur et his sacramentis adjuventur (2). Porro obligatio parochi tanta est, ut teneatur etiam cum periculo vitæ, puta tempore morbi contagiosi, ministrare sacramenta necessaria, id est in periculo mortis Pœnitentiam (vel ei qui nondum baptizatus esset, baptismum), ei verò qui sensibus destitutus est, antequam absolvi potuit, præprimis Extremam Unctionem (3);

(1) Quod adesset si v. g. diutius aut frequentius sese domi continere, aut anxie perpendere deberet, utrum haberet sufficientem rationem necne, eo vel magis quod connexio actionem scandalizantem inter et proximi peccatum valde remissa appareat. Cfr. Lehmkuhl, *Theol. Mor.*, Tom. I, n. 636.

(2) Lehmkuhl, *Theol. mor.*, II, n. 579.

(3) Lehmkuhl, *l. cit.*, n. 37; *Nouv. Rev. Théol.*, T. XXVI, p. 416 sq.; Berardi, *de Parocho*, n. 285; De Brabandere-Van Coillie, *Compendium*, I, n. 461. Cfr. S. Alph., Lib. VI, n. 233 et ibid. declarationes S. C. C. a Greg. XIII approbatæ. — Minime admittimus sententiam quam nonnulli AA. proponunt, v. g. Génicot, *Theologiæ moralis institutiones*, II,

quoad Viaticum, suadendum est omnino, ut generatim etiam detur (1).

Notandum est parochum non obligari ad omnia præstanda per seipsum, sed per se sufficere ut sacramenta necessaria *conferenda curet,* id est per seipsum vel per vicarios; si tamen nominatim postuletur, per se tenetur petenti satisfacere, nisi legitime impediatur (2). Minime autem licet ipsi a parochia recedere, v. g. tempore morbi contagiosi, etsi relinquat suo locò vicarium idoneum, ut ex rescriptis S. C. C. anni 1576 concludit Bened. XIV, *De Synodo diœc.*, L. XIII, c. 19, n. 2 (3).

II. **Quoad morientes juvandos** post sacramenta exeuntium rite administrata.

Tenetur parochus subditos graviter infirmos, licet extremis sacramentis jam munitos, frequenter visitare eosque juvare, præsertim in exitu vitæ. *Existentia* hujus obligationis probatur ex *Rituali Romano:* Tit. V, cap. 2 in fine, post expositum ordinem ministrandi Extremam Unctionem, additur: « Admoneat etiam domesticos et ministros infirmi, ut si morbus ingravescat vel infirmus incipiat agonizare, statim ipsum Parochum accersant, *ut morientem adjuvet, ejusque animam Deo commendet.* » Deinde cap. 5: « Ingravescente morbo, Parochus infirmum *frequentius visitabit*, et ad salutem diligenter

---

n. 421, sub IV: « Numquam autem tenetur parochus idem sacramentum [Extremam Unctionem] ministrare cum periculo vitæ.....*etiamsi moribundus confiteri non posset.* » Satis sit notare contra argumentum ab ipso allatum, in suscipiente Extremam Unctionem sufficere ad remissionem peccatorum attritionem *habitualem*, dum in Pœnitentiæ sacramento requiratur *virtualis*, et insuper aliqualis *confessio externa*, quæ in moribundis sensu destitutis dubie obtinebit; insuper Extremam Unctionem sine attritione susceptam posse reviviscere, si postea, durante eodem morbi periculo, suppletur defectùi, nequaquam vero Pœnitentiam, cum attritio ad ejus constitutionem pertineat. Cfr. *Collat. Brug.*, T. V, p. 14.

(1) Lehmkuhl, *l. cit.*, n. 37; Génicot, *l. cit.*, n. 119; *Nouv. Rev. Théol.*, *l. cit.* Æquo severiorem se exhibet Berardi, *op. cit.*, n. 279.

(2) Lehmkuhl et *Nouv. Rev. Théol.*, *ll. citt.*

(3) Cfr. S. Alph., *l. cit.*; *Nouv. Rev. Théol.*, *l. cit.* et T. XXIX, p. 255 sq.; Lehmkuhl, *l. cit.*; Génicot, *l. cit.*, n. 119.

juvare non desinet : monebitque instante periculo se confestim vocari, ut in tempore *præsto sit morienti....* » Hanc dispositionem Ritualis illustrant et confirmant tum *resolutiones SS. Congr. romanarum :* notatim S. C. Conc. 14 Aprilis 1821 et 9 Maii 1840 (*Nouv. Rev. Théol.*, T. II, p. 672 sqq.), 23 Martii 1874 (*ibid.*, T. X, p. 482 sqq.) ; S. C. Episc. et Regul. 25 Aprilis et 6 Junii 1860 (*ibid.*, T. III, p. 561 in nota) (1) ; tum *decreta plurium conciliorum* provincialium et synodorum diœcesanarum (2). Accedit *consensus fere unanimis Doctorum* (3), et *ratio* idem docet : Essentiale enim est officio parochi, ut hic parochianorum curam spiritualem gerat ; quod officium eo strictius urget quo major est subditorum indigentia spiritualis. Jamvero in articulo mortis non raro valde gravis est illa indigentia, tum quia moribundus versari potest in statu peccati mortalis, tum quia vehementiores pati solet tentationes, quibus interdum propter ipsam infirmitatem minus efficaciter resistit (4). Ratio allata simul ostendit dictam obligationem ex ipso officio pastorali oriri adeoque niti *motivo justitiæ.*

Jam quæritur *utrum gravis an levis* dici debeat obligatio moribundis, qui jam sacramentis rite muniti sunt, in extremo agone assistendi. Censemus obligationem non posse universim dici gravem : nam interrogata S. C. C. respondit 23 Martii 1878 : « Super adsistentia infirmorum standum præscriptionibus Ritualis Romani ; in reliquis consulat probatos auctores ». Noluit videlicet S. C. C. certam determinare normam, cum in singulo casu ponderandæ sint tum circumstantiæ parocho occurrentes tum præsertim status moribundi ejusque

(1) Cfr. Van den Berghe, Tr. autogr. *de Parochis*, n. 142.

(2) Cfr. *Nouv. Rev. Theol.*, T. II, p. 668 sqq. ; Van den Berghe, *op. cit.*, n. 143. — Pro diœcesi Brugensi vide *Statuta*, p. 87, coll. p. 60 ; *Decreta Congreg. Prasynod.* 1866, n. 6 ; 1869, n. 2 ; 1876, n. 1-2 ; 1881, n. 5. Notetur sapiens monitum ex Statutis p. 60 de mutuis pœnitentibus a parocho et vicepastore visitandis.

(3) Cfr. *Nouv. Rev. Théol.*, T. II, p. 668 ; T. III, p. 560 sq.

(4) Cfr. Van den Berghe, *op. cit.*, n. 145 ; *Nouv. Rev. Théol.*, T. II, p. 675 sqq.

morales qualitates (1). His attentis quandoque obligatio gravis oriri poterit: nempe generatim si parochus advocetur ab infirmo: tunc enim præsentia parochi potest esse necessaria ad impediendam æternam illius damnationem (2); vel dubius sit status moribundi, ut si agatur de homine peccatis assueto, de quo timeri possit eum non rite peccata fuisse confessum, qui insuper magno periculo exponatur in peccata relabendi post sacramenta rite suscepta (3). Si verò notabile periculum pro ægroto non adsit, causas excusantes parochum adessè posse, S. C. noluit negare; at hoc negotium magna ex parte conscientiæ parochi visa est committere (4). Adverte hoc onus non esse ita personale parocho, ut teneatur per seipsum omnia præstare, uti supra jam monuimus.

Ex verbis supra relatis Ritualis Romani satis patet teneri parochum monere parochianos de necessitate ipsum vocandi ad assistendum moribundis, quæ monitio, præsertim ubi consuetudo accersendi parochum non existit, sæpe erit medium necessarium ut parochus de infirmi agonia certioretur et officium suum apud moribundum possit implere (5).

Tit. V, cap. 5, Rit. Rom. monet parochum, ut « si ægrotus indulgentiam legitima auctoritate concessam consequi possit, eam illi reducat ad mentem, proponatque, quid ad eam consequendam agi debeat. » Profectò inter indulgentias quæ in articulo mortis lucrifieri possunt, præcipue eminet *Benedictio Apostolica*, ad quam impertiendam vix aliquis dubitabit teneri sub gravi, saltem ex charitate, parochum, quoties, uti contingere solet, absque gravi incommodo proprio id fieri possit.

H. M.

---

(1) Vide animadversiones huic causæ appositas apud *Acta S Sedis*, vol. XI, p 195. Cfr. Van den Berghe, *op. cit.*, n. 150; *Nouv. Rev. Théol.*, T. X, p. 491, coll. p. 490; T. XXVI, p. 419 sq.

(2) *Nouv. Rev. Théol.*, T. II, p. 677; Van den Berghe, *op. cit.*, n. 146.

(3) Lehmkuhl, *l. cit.*, n. 647; Génicot, *l. cit*, n. 70.

(4) Lehmkuhl, *ibid.*; *Acta S. Sedis, l. cit.* — (5) Van den Berghe, *op. cit.*, n. 149; *N. R. Th.*, T. II, p. 482 sqq.; T. X, p. 490.

Pensions de Vieillesse

Allocation annuelle de 65 francs

Arrêté royal du 30 décembre 1902.

L'attribution des allocations de 65 francs a été réglée d'abord par l'arrêté royal du 20 octobre 1900 (1); ensuite les arrêtés royaux du 13 juin 1901 et du 25 juillet 1902 (2) ont décrété quelques dispositions complémentaires en vue d'unifier la jurisprudence, et, dans le but d'obvier à des extensions injustifiées de la loi, ils ont introduit certaines innovations dans la procédure d'instruction des requêtes. Le présent arrêté du 30 décembre 1902 complète et coordonne les arrêtés précités, et introduit de nouvelles et importantes modifications dans les règles relatives à l'attribution des pensions de 65 francs. Cet arrêté est entré en vigueur le 1er janvier 1903 et s'applique aux requêtes de l'année en cours. Il sera donc utile de publier le nouvel arrêté et d'interpréter brièvement les principales stipulations nouvelles.

Aucune modification n'ayant été apportée aux quatre premières conditions auxquelles l'allocation est subordonnée, nous renvoyons pour l'interprétation des 5 premiers articles au commentaire que nous avons publié T. VI, p. 63 ss.

LÉOPOLD II, Roi des Belges,

A tous présents et à venir, *Salut.*

Vu l'article 9 de la loi du 10 mai 1900 concernant les pensions de vieillesse ainsi conçu:

Art. 9. Une allocation annuelle de 65 francs sera accordée à tout ouvrier ou ancien ouvrier belge, ayant une

(1) Voir *Collat. Brug.*, T. VI, p. 61 ss.
(2) *Ibid.* T. VII, p. 531 ss.

résidence en Belgique, âgé de 65 ans au 1er janvier 1901 et se trouvant dans le besoin.

Sont admis, dans les mêmes conditions, à jouir de cette allocation, au fur et à mesure qu'ils atteindront l'âge de 65 ans, les travailleurs âgés d'au moins 55 ans à la date du 1er janvier 1901; toutefois, les intéressés qui auront à cette dernière date moins de 58 ans accomplis seront exclus du bénéfice de l'allocation si, pendant une période de trois ans au moins, ils n'ont effectué à la Caisse générale de retraite, des versements s'élevant au moins à 3 francs et formant un total de 18 francs.

Vu les articles 10, 13, 2e alinéa, et 14 de la même loi, et Nos arrêtés des 20 octobre 1900, 13 juin 1901 et 25 juillet 1902 pris en exécution de ces articles;

Considérant qu'en vue de compléter et de coordonner les dits arrêtés, il y a lieu de les remplacer par les dispositions suivantes;

Sur la proposition de Nos Ministres de l'industrie et du travail et des finances et des travaux publics,

Nous avons arrêté et arrêtons:

CHAPITRE Ier.

Conditions auxquelles l'allocation est subordonnée.

Art. 1er. Pour être admis à recevoir l'allocation de 65 francs, prévue par l'article 9 de la loi du 10 mai 1900, il faut réunir avant le 1er janvier de l'année pour laquelle l'allocation est demandée, les conditions suivantes:

1° Etre Belge;

2° Avoir une résidence en Belgique;

3° Etre âgé de 65 ans au moins;

4° Etre ouvrier ou ancien ouvrier;

5° Se trouver dans le besoin.

Art. 2. La qualité de Belge se constate par la production des actes de l'état civil ou de naturalisation, comme en matière électorale.

Art. 3. Est considéré comme ayant une résidence en Belgique, celui qui possède dans le royaume depuis un an au moins son domicile réel ou son principal établissement.

Art. 4. Les travailleurs âgés d'au moins 55 ans avant le 1er janvier 1901 pourront être admis à jouir de l'allocation à partir du 1er janvier qui suivra la date où ils auront atteint l'âge de 65 ans.

Ceux qui, au 1er janvier 1901, avaient moins de 58 ans accomplis, devront justifier, à l'appui de leur demande, que pendant une période de trois ans au moins, ils ont effectué à la Caisse générale de retraite des versements s'élevant au moins à 3 francs par an et formant un total de 18 francs.

Art. 5. Sont considérés comme ouvriers, les hommes et les femmes qui, moyennant un salaire, travaillent habituellement de leurs mains pour un patron ou un maître, soit au temps, soit à la pièce, soit au dehors, soit à domicile et cela sans distinguer entre le travail domestique ou agricole et le travail industriel ou de métier.

Sont considérés comme anciens ouvriers, ceux qui, par la

Note relative à l'art. 4 alin. 2. Voici une *dépêche ministérielle* en date du 5 décembre 1902; elle confirme l'interprétation donnée *Collat. Brug.*, T. VI, p. 163 ss.

« Comme suite à votre lettre du 12 novembre, j'ai l'honneur de vous faire parvenir un exemplaire de l'instruction générale transmise le 5 février dernier par mon Département aux Comités de patronage relativement aux allocations de 65 francs; il y est dit formellement (p. 3. al. 2) que « la somme de 18 francs ne peut être constituée en tout ou en partie par les subsides des pouvoirs publics, spécialement des communes, des bureaux de bienfaisance ou des hospices. » Conformément à une déclaration faite, au cours de la discussion de la loi, par M. le Ministre des Finances, l'exclusion s'applique non seulement aux sommes que les pouvoirs publics verseraient au nom des assurés, mais encore aux subsides qu'ils accorderaient, en vue d'éluder la loi, aux sociétés mutualistes au lieu de les allouer aux intéressés eux-mêmes.

Après avoir posé la règle ci-dessus, l'instruction ministérielle admet cependant, en ce qui concerne la constitution du minimum de 18 francs, l'assimilation établie dans l'alinéa final de l'article 3 relativement à l'octroi des primes d'encouragement. Dès lors, les versements de la société mutualiste effectues **librement**, c'est-à dire sans que des fonds lui aient été remis expressément ou implicitement à cet effet, doivent être pris en considération, peu importe l'origine des ressources sur lesquelles les sommes versées ont été prélevées : à titre d'exemple, la circulaire mentionne les versements opérés par la société au moyen de la subvention de deux francs, dont l'affectation est entièrement laissée à l'appréciation des mutualités. »

condition habituelle de leur vie antérieure, ont répondu à la précédente définition.

La femme ou la veuve d'un ouvrier ou ancien ouvrier est considérée comme ouvrière, lors même qu'elle ne se trouve pas dans les conditions prévues aux alinéas précédents.

Art. 6. Sont considérés comme se trouvant dans le besoin, ceux dont les ressources, mises en rapport avec leurs charges, sont ordinairement insuffisantes pour qu'ils puissent pourvoir à leur subsistance.

Pour apprécier l'état de besoin, il est tenu compte notamment :

En ressources :

1° Du salaire intégral de l'impétrant et de tout autre profit résultant de la profession qu'il exerce ;

2° De la valeur en rente viagère de ses propriétés ou droits réels, de son cheptel et de ses épargnes ;

3° Des subventions résultant de droits personnels, comme les pensions alimentaires ;

4° Des secours de la bienfaisance publique et des caisses de prévoyance ;

5° Du salaire intégral et de tous autres revenus de son conjoint et des enfants ou descendants habitant avec lui, qu'ils soient mariés ou non.

En charges :

1° De l'entretien du ménage selon la condition habituelle des ouvriers de la région et de la même profession, en considérant le nombre et l'âge des personnes qui composent la famille ;

2° Des infirmités ;

3° Du loyer, des impôts et des charges réelles.

En aucun cas ne seront considérés comme se trouvant dans le besoin, ceux dont les revenus atteignent 360 francs pour un vieillard et 600 francs pour des conjoints habitant ensemble.

Observations : L'art. 6 indique de nouveaux éléments qui doivent entrer en ligne de compte pour apprécier *l'état de besoin*. Parmi les ressources inscrites au bilan, notons le 2° : il est tenu compte de la valeur en rente viagère de ses propriétés ou droits réels, de son cheptel

et de ses épargnes. Ce calcul sera fait par les Comités de patronage, dans l'hypothèse du versement à capital abandonné et en se basant sur l'âge qu'a l'impétrant au moment où il sollicite l'allocation. Les Comités se serviront à cet effet des tables de la Caisse de retraite annexée à la Caisse générale d'épargne, ou, si le gouvernement le juge opportun, d'une table spéciale dressée et publiée à cet effet.

Il importe de remarquer en outre que désormais toutes les ressources de tous les membres de la famille doivent être prises en considération.

Le dernier alinéa du présent article établit une présomption d'aisance. Le Gouvernement a fixé cette limite pour obvier à certaines extensions injustifiées des dispositions légales et réglementaires. En aucun cas donc, ceux dont les revenus, estimés et calculés de la manière établie plus haut, atteignent 360 francs pour un vieillard et 600 francs pour des conjoints habitant ensemble, ne seront considérés comme se trouvant dans le besoin. Cette limite (dont l'interprétation pratique, nous osons l'espérer, sera autant que possible mise en harmonie avec le principe général énoncé à l'alin. 1er du présent art. 6) pourra évidemment être dépassée si les vieillards ont à pourvoir à l'entretien d'enfants, de descendants ou d'autres membres de la famille.

Art. 7. Sont présumés ne pas se trouver dans le besoin, jusqu'à preuve du contraire dûment établie, ceux qui tiennent par eux-mêmes ou par personne interposée un debit de boissons.

Des instructions antérieures au présent arrêté avaient déjà préconisé cette manière de voir : l'exploitation d'un débit de boissons (même ceux où on ne débite que la bière) par un ouvrier ou ancien ouvrier fonde, jusqu'à preuve du contraire dûment établie, une présomption que l'impétrant jouit de ressources suffisantes pour pourvoir à sa subsistance.

Par personne interposée, comme p. ex. dans le cas d'un droit de patente pris frauduleusement au nom d'une autre personne, d'une cession fictive aux enfants etc.

Art. 8. Ne pourront être considérés comme se trouvant dans le besoin au point de vue de l'attribution de l'allocation de 65 francs :

1° Les personnes auxquelles une institution hospitalière ou un particulier fournit, soit dans un établissement, soit ailleurs, le logement, la nourriture, le vêtement et le chauffage ;

2° Les prisonniers et les personnes détenues dans les maisons de réforme ou les dépôts de mendicité.

L'appréciation du besoin pour les hospitalisés n'est donc plus laissée librement à la décision des Comités de patronage. Les Comités examinent si les impétrants reçoivent le logement, la nourriture, le vêtement et le chauffage, et dans l'affirmative, ils *doivent* rejeter la demande. Il en serait autrement si l'établissement hospitalier ne pourvoyait qu'à une partie des besoins des personnes secourues et que celles-ci n'eussent pas les ressources nécessaires pour assurer leur existence quant au surplus. Nous estimons également que l'allocation pourra être continuée aux personnes qui parviennent plus tard, grâce à l'allocation, à se faire admettre dans un hospice.

Doivent être assimilées aux personnes énumérées au 2° de l'art. 8 les personnes internées dans les maisons d'aliénés ou dans les maisons de refuge.

Art. 9. Seront exclues de l'allocation les personnes condamnées depuis moins d'un an pour ivresse publique et celles qui ont aliéné leurs biens dans un but de fraude.

Cette année sera comptée du 1r janvier au 1r janvier, date avant laquelle la demande doit être introduite.

CHAPITRE II.

Procédure d'instruction.

Art. 10. Toute personne qui sollicite l'allocation de 65 francs doit en faire la demande par écrit avant le 1er janvier de l'exercice budgétaire sur lequel l'allocation doit être imputée et en se servant d'une formule conforme au modèle annexé au présent arrêté.

Seront joints à la requête tous les documents nécessaires pour établir l'existence de chacune des conditions énumérées à l'article 1er, tels que le certificat de nationalité et de résidence, l'extrait de l'acte de naissance, les pièces justifiant de la qualité d'ouvrier ou d'ancien ouvrier, les états de salaires de l'intéressé, de son conjoint, de ses enfants ou descendants, un certificat du receveur des contributions, et, s'il y a lieu, les documents établissant la situation des propriétés, le montant des épargnes et des autres ressources.

Les charges, spécialement les infirmités et le montant du loyer, devront également être justifiées par des preuves écrites.

Par mesure transitoire, en ce qui concerne les demandes relatives à l'année 1903, les pièces justificatives pourront être fournies après l'envoi de la requête, jusqu'au 28 février 1903 au plus tard.

L'art. 10 décrète un changement très important dans la procédure d'instruction : désormais l'impétrant doit se servir d'une formule conforme au modèle annexé au présent arrêté ; il doit en outre produire tous les documents nécessaires pour prouver l'existence de chacune des cinq conditions requises. Il est souverainement important de joindre à la requête toutes ces pièces justificatives, puisque, en vertu de l'art. 14, toute demande non accompagnée des susdites pièces *pourra être écartée* par le Comité de patronage comme non recevable. Les renseignements et les certificats y afférents doivent être rédigés avec exactitude et en toute sincérité : l'art. 14 statue que la demande de l'intéressé

qui a produit des renseignements ou des certificats mensongers *sera écartée* pour l'année en cours, *même si elle était fondée.*

Les pièces justificatives doivent être fournies dès l'année 1903 non pas seulement par les intéressés qui ont présenté leur requête pour la première fois, mais encore par les personnes qui, ayant changé de résidence, sont tenues de faire une nouvelle demande : ceci résulte clairement du dernier alinéa de l'art. 19.

Art. 11. Le receveur des contributions inscrit par nature, dans le certificat mentionné à l'article précédent, les impositions portées dans les rôles au nom de l'impétrant, de son conjoint et de ses enfants ou descendants habitant avec lui, tels qu'ils sont indiqués à ce fonctionnaire ; il y comprend toutes les sommes éventuellement dues à recouvrer à leur charge, en matière de contribution foncière, de contribution personnelle, de droit de patente, de redevances sur les mines. Il mentionne également les centimes additionnels au profit de l'Etat, des provinces et des communes, ainsi que les taxes provinciales.

Le certificat daté et signé par le receveur, est envoyé d'urgence à l'impétrant ou à son mandataire.

Le receveur n'inscrit donc plus les impositions sur la formule, mais dans un certificat spécial ; il mentionne désormais toutes les impositions portées au nom de l'impétrant, de son conjoint et de ses enfants ou descendants habitant avec lui.

Art. 12. La demande sera certifiée sincère et véritable, signée et datée par l'intéressé : s'il ne sait ou ne peut signer, il en sera fait mention et cette déclaration sera visée par deux témoins belges et majeurs.

La requête ainsi établie sera adressée par l'intermédiaire du bourgmestre au président du comité de patronage des habitations ouvrières et des institutions de prévoyance dont la circonscription comprend la résidence effective de l'impétrant.

Les demandes *doivent*, pour la facilité et l'uniformité

de la procédure d'instruction, être libellées d'après la formule nouvelle prescrite par le présent arrêté du 30 décembre.

Art. 13. Le bourgmestre est tenu de fournir aux intéressés ou à leurs mandataires, s'ils l'en requièrent, les extraits sur papier libre des documents susvisés relatifs à l'âge, à la nationalité, à la résidence, à la composition de la famille, à la situation cadastrale des biens de l'impétrant et aux secours qui lui sont accordés par la bienfaisance communale.

Il certifie l'exactitude des renseignements produits par l'impétrant, après les avoir complétés ou rectifiés au besoin, notamment en ce qui concerne les salaires et loyers, toutefois, il n'émet pas d'avis sur le bien fondé de la demande.

Il transmet le dossier, dans le plus court délai possible, et au plus tard dans le mois de la réception de la demande, au président du comité de patronage, avec un inventaire des pièces jointes.

Tous les documents visés au 1r alinéa doivent être délivrés sur papier libre et *gratuitement*. — Le bourgmestre se bornera désormais à *certifier* sous sa responsabilité l'exactitude des renseignements fournis par le requérant, après avoir *au besoin* complété les données insuffisantes et rectifié les indications erronées. Il n'émet plus d'avis sur le bien fondé de la requête.

Art. 14. Le comité de patronage examine les demandes qui lui sont soumises, soit en séance plénière soit en commission composée de trois membres au moins.

La subdivision du comité en commissions a lieu par arrêté ministériel, après avis de la Députation permanente.

Aucune décision ne peut être prise sans la présence de trois membres au moins.

Toute demande tardive sera écartée comme non recevable. Il pourra en être de même des demandes non accompagnées des pièces justificatives requises à l'article 10.

Les requêtes déclarées recevables seront instruites par les soins d'un ou de plusieurs rapporteurs désignés par le comité parmi ses membres effectifs ou correspondants et moyennant enquête au lieu du domicile des intéressés.

Les rapports sont datés et motivés, ainsi que les décisions; celle-ci contiendront notamment l'évaluation des ressources et des charges dont il a été tenu compte par la comité.

Si l'intéressé a produit des renseignements ou des certificats mensongers, sa demande sera écartée pour l'année en cours, même si elle paraissait fondée.

Le comité fait connaître, dans les huits jours, sa décision, motivée à l'intéressé, ainsi qu'au Gouverneur de la province auquel il transmet en même temps le dossier de l'affaire.

Toute demande tardive *sera écartée* comme non recevable. En vertu de l'art. 10 les demandes doivent être faites par écrit avant le 1r janvier de l'exercice budgétaire sur lequel l'allocation doit être imputée. Toutefois les personnes précédemment admises et qui ont changé de résidence pendant l'année peuvent présenter une nouvelle requête *même après le 1r janvier*, comme il résulte des termes d'une circulaire ministérielle adressée en date du 5 février 1902 aux Comités de patronage.

L'alin. 4 prescrit un rapport et une *enquête préalable à domicile pour toutes les demandes déclarées recevables*. Cette instruction (rapport et enquête) sera faite par un ou plusieurs membres *effectifs ou correspondants* du Comité. Les membres correspondants habitant généralement la commune de l'intéressé, pourront rendre de grands services aux Comités et vérifier aisément les différents point sur lesquels devra porter l'enquête.

Art. 15. Dans la quinzaine de la notification, l'impétrant dont la demande aura été rejetée sera recevable à interjeter appel de cette décision auprès du Gouverneur de la province. Les appels devront être motivés.

En ce qui concerne les décisions qui ont admis les demandes d'allocation, le Gouverneur pourra, d'office ou après telle enquête qu'il jugera utile, interjeter appel; cet appel sera formé aussitôt qu'il sera possible et notifié sans délai à l'intéressé et au comité. La notification mentionnera le motif de l'appel.

Le Gouverneur peut, en vertu de la nouvelle procé-

dure d'instruction (prescrite déjà par l'arrêté royal du 25 juillet 1902) interjeter appel pour chacune des cinq conditions requises à l'art. 1r : *la condition du besoin n'est plus exceptée.*

Art. 16. Il sera statué sur l'appel par une commission instituée, à cet effet, par arrêté ministériel et composée d'un président désigné par le Gouvernement, d'un délégué du conseil supérieur du travail et d'un délégué du Département des finances. Chaque membre aura un suppléant qui le remplacera en cas d'empêchement.

Il pourra être institué plusieurs commissions par province, selon les besoins du service.

La commission statuera dans le mois de la date où elle aura été saisie de l'appel, après avoir procédé à telles mesures d'instruction qu'elle jugera convenir. Elle devra en tout cas, avant de réformer une décision, inviter le comité de patronage à déléguer auprès d'elle un de ses membres. Elle notifiera sa décision à l'intéressé, au Gouverneur et au comité de patronage. Cette décision ne sera susceptible d'aucun recours au profit de l'intéressé.

Note relative à l'art. 16. Nous empruntons à une *circulaire ministérielle* adressée le 8 janvier 1903 aux Présidents des Commissions provinciales d'appel, quelques éclaircissements sur la procédure à suivre par ces Commissions :

« J'appelle dès maintenant votre attention sur l'alinéa 3 de l'article 16 de l'arrêté royal précité : en vertu de cette disposition, la Commission est tenue notamment de statuer dans le mois de la date où elle aura été saisie de l'appel. A cet égard, quelques lenteurs m'ont été signalées. Je sais qu'elles sont dues au grand nombre d'affaires déférées à certaines commissions. Je vous serais obligé cependant, Monsieur le Président, de bien vouloir tenir la main à ce que cette disposition soit appliquée. Dans les cas où un retard résulterait d'une circonstance indépendante de la volonté de votre commission, comme par exemple de certaines mesures d'instruction, il conviendra de prévenir les intéressés et le Comité de patronage de la suite qui a été donnée à l'affaire.

Je vous prie aussi de veiller à ce que chacun des Comités de votre ressort soit invité régulièrement à déléguer un de ses membres à la séance de votre commission où seront discutés les appels relatifs aux décisions de ce collège.

Il va de soi que cette invitation ne devra être faite que pour les cas à

Le présent arrêté modifie la composition et la procédure des Commissions provinciales instituées pour connaître les appels relatifs aux décisions des Comités de patronage.

La décision rendue par ces Commissions n'est susceptible d'aucun recours au profit de l'intéressé, mais l'appel des décisions favorables reste ouvert au Ministre. Rien n'empêchera cependant le requérant de représenter sa requête l'année suivante et d'obtenir l'allocation, si sa situation se trouve modifiée.

Art. 17. Les dossiers seront transmis par le Gouverneur au Département de l'industrie et du travail.

Le ministre pourra, soit d'office, soit après telle enquête qu'il jugera utile, déférer au conseil des mines siégeant en comité de législation, d'administration générale et de contentieux administratif, les décisions prises en faveur des personnes qui manifestement ne posséderaient pas toutes les conditions prévues à l'article 1er. S'il y a lieu, le conseil des mines prononce l'annulation de la décision frappée de recours; il peut renvoyer l'affaire devant un autre collège appartenant à la même catégorie que celui dont émane la décision annulée; la décision qui interviendra à la suite de ce renvoi sera susceptible des mêmes voies d'appel que la première, sauf qu'elle ne pourra plus faire l'objet d'un renvoi.

Après la décision définitive du Comité de patronage

---

l'égard desquels la Commission n'est pas d'avance résolue, après examen préalable, à confirmer la décision première.

Ce délégué aura voix consultative. Il n'est toutefois pas nécessaire qu'il se rende à votre invitation, pour que la Commission puisse statuer valablement; il suffit qu'il ait été prévenu en temps utile. Vous pourrez vous entendre avec MM. les présidents des Comités pour régler à l'avance les délégations; rien n'empêche qu'un Comité délègue plusieurs membres, par exemple un par canton ou par catégorie de solliciteurs.

Vous voudrez bien enfin, Monsieur le Président, avoir soin de faire notifier sans retard les décisions de votre Commission aux Comités de patronage, ainsi qu'aux intéressés et au Gouverneur, auquel les dossiers seront transmis le plus tôt possible en vue d'une prompte liquidation des allocations accordées. »

en cas d'absence d'appel, ou celle de la Commission provinciale en cas de recours, le Gouverneur transmet les dossiers de toutes les demandes accueillies ou rejetées au Département de l'Industrie et du Travail, où une juridiction nouvelle est (depuis l'A. R. du 25 juillet 1902) investie du pouvoir d'annuler au besoin les décisions favorables contraires aux dispositions légales et réglementaires et émanant soit des Comités de patronage soit des Commissions provinciales d'appel. Cette juridiction est dévolue au Conseil des mines, une administration qui se rattache au Ministère de l'Industrie et du Travail. Le Ministre défère les décisions susdites au Conseil des mines soit d'office soit après telle enquête qu'il jugera utile. Le Conseil des mines peut, s'il y a lieu, annuler sans renvoi la décision frappée de recours ; il peut aussi, s'il le juge opportun, renvoyer l'affaire devant un collège autre que celui qui a prononcé la décision mais appartenant cependant à la même catégorie. La décision qui interviendra à la suite de ce renvoi devant un autre Comité de patronage ou une autre Commission d'appel sera susceptible des mêmes voies d'appel que la première, d'après la nature du collège dont elle émane. Néanmoins, si le Ministre de l'Industrie et du Travail appelle de cette nouvelle décision au Conseil des mines, et si celui-ci annule une seconde fois la décision favorable, cette sentence est irrévocable pour l'année en cours et en dernier ressort. Le présent arrêté estime à juste titre que les droits des requérants sont suffisamment sauvegardés dans la procédure nouvelle et décrète que l'affaire « ne pourra plus être renvoyée devant un autre collège ».

Art. 18. Les allocations définitivement accordées seront liquidées par les soins de l'office du travail.

Toutefois cette administration peut, le Conseil des Mines entendu en son avis, suspendre la liquidation de l'allocation lorsqu'une erreur matérielle est constatée ou que le bénéficiaire vient à se trouver dans un des cas prévus par les

articles 8 et 9 : s'il y a lieu, le dossier sera renvoyé au comité de patronage pour nouvel examen.

Le payement des allocations se fera en deux versements de 32 fr. 50 c. entre les mains des intéressés ou de leurs fondés de pouvoirs, par l'intermédiaire de l'Administration des postes.

Aucune réclamation concernant la liquidation ne pourra plus être introduite par le bénéficiaire un an après l'émission du mandat, lors même que celui-ci n'aurait pas été encaissé.

Le mode de liquidation des allocations de 65 francs a été exposé *Collat. Brug.*, T. VI, p. 488 s.

Art. 19. L'Office du Travail fera parvenir aux bourgmestres, dans le mois de janvier de chaque année, une liste des personnes résidant dans leur commune et admises précédemment à l'allocation annuelle de 65 francs.

Le bourgmestre mentionnera sur cette liste les décès, les causes d'exclusion ou de retrait de l'allocation, ainsi que les changements de résidence : il certifiera par sa signature l'exactitude de ses indications.

Il transmettra, dans le mois, la liste ainsi rectifiée et complétée au comité de patronage, qui procédera à une nouvelle instruction relativement aux personnes dont la situation de fortune serait modifiée ou sur lesquelles de nouveaux renseignements lui seraient parvenus.

L'allocation sera retirée notamment aux bénéficiaires qui en auraient fait un usage abusif.

Les personnes qui changent de résidence ne pourront, l'année suivante, bénéficier de l'allocation que moyennant une nouvelle décision du comité du patronage compétent, prise à la suite d'une nouvelle demande et après l'instruction prévue aux articles 10 et suivants du présent arrêté.

Les termes « usage abusif » visent avant tout les cas d'ivresse publique.

Art. 20. Notre Ministre de l'industrie et du travail est

chargé de l'exécution du présent arrêté qui entrera en vigueur le 1er janvier 1903.

Donné à Laeken, le 30 décembre 1902.

LÉOPOLD.

Par le Roi :

Le Ministre de l'industrie et du travail,

G. Francotte.

Le Ministre des finances et des travaux publics,

P. de Smet de Naeyer.

Les nouveaux formulaires de requête conformes au modèle annexé au présent arrêté sont, par les soins du Ministère de l'Industrie et du Travail, mis à la disposition des Comités de Patronage et des Sociétés mutualistes qui, comme par le passé, voudront bien faciliter aux intéressés la rédaction de leurs demandes et les aider à se procurer toutes les pièces justificatives requises dans la nouvelle procédure.

A. C.

Fabriques d'église

Séance légale du mois de Mars.

Le 1er Mars prochain est la date légale d'une séance obligatoire des Conseils de fabrique: cette séance doit être consacrée principalement à l'apurement du compte annuel (art. 5 de la loi du 4 Mars 1870). Voir à ce sujet les instructions données les années précédentes: T. I, p. 81 ss.; — T. II, p. 90 ss.; — T. IV, p. 109 ss.; — T. V, p. 194 ss.

Rappelons qu'en vertu de l'art. 6 de la loi citée, le conseil doit transmettre le compte de la fabrique en quadruple expédition et avec toutes les pièces justificatives, avant le 10 Avril, au conseil communal, qui est appelé à en délibérer dans sa plus prochaine séance.

Au commencement du mois de Mars, le bureau des marguilliers dresse l'état de la caisse de la fabrique. Une ordonnance de l'Evêque de Bruges en date du 14 Juin 1889, prescrit que la vérification de la caisse se fasse en présence au moins du président, du trésorier et du curé (*Collat. Brug.*, T. I, p. 86 sv.).

Vers cette même époque, les marguilliers, et spécialement le trésorier, auront soin de visiter tous les bâtiments affectés à l'exercice du culte, aux fins de constater les réparations à y exécuter. Voir art. 41 et 42 du décret du 30 Déc. 1809. — De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can. civ. comp.*, T. II, n. 1082 et 1085. — *Collat. Brug.*, T. I, p. 130 ss.; T. II, p. 92. — *Journal Belge des Fabriques*, T. II, p. 326 ss.

Ex S. Pœnitentiaria

De confessariis Regularium.

Titio. *sacerdoti approbato ad audiendas confessiones,* non raro contingit confessiones excipere Regularium variorum Ordinum. Quare, quo prudentiore agat ratione, ab hoc sacro Tribunali enixe postulat solutionem dubiorum quæ statim proponuntur ut infra.

I. Cajus, sacerdos regularis, sub vesperum accessit ad Titium facturus exomologesim. Interrogatus de recepta a Superiore facultate, respondit Superiorem domo abesse, nec eadem reversurum die, nullum autem in conventu adesse præsentem sacerdotem. Potuitne, in hac domestici Confessarii inopia, a Titio valide et licite absolvi?

II. Inter facultates quas S. Pœnitentiaria pro foro interno cum confessariis communicare solet, legitur, n. VIII, facultas « absolvendi religiosos cujuscumque Ordinis, dummodo apud te legitimam habuerint licentiam peragendi confessionem sacramentalem... etiam a casibus et censuris in sua religione reservatis ». Valetne illa facultas ad casus quolibet modo reservatos? Soliti enim sunt in religionibus casus reservari alii superiori immediato, alii Provinciali, alii Generali. Istas tamen observare distinctiones Confessario extraneo valde fuerit difficile. Suadet igitur expeditus facultatis usus ut omnes comprehendat casus religionis proprios. Prudens ceterum confessarius non omittet ea imperare quibus Ordinis bono vel juri satis sit cautum.

III. Utrum Confessario regulari præfata facultate uti licet, cum confessionem excipit religiosi ejusdem Ordinis ad quem pertinet ipse, ita ut in reservata proprii Ordinis polleat jurisdictione non formaliter a Superiore accepta, an contra coercetur usus ad religiosos extraneos?

IV. Utrum Superior qui confessionem permittit, addita conditione, v. gr.: « Dummodo pro reservatis serves Ordinis consuetudinem », impedire valeat præfatæ facultatis usum; an contra, semel concessa confitendi licentia, electus confessarius habeat vi facultatis Pœnitentiariæ potestatem in reservata a voluntate Superioris plane independentem?

V. Num dicta n. IV omnino transferenda sunt in religiosum *itinerantem*, qui ad adeundum confessarium extraneum expressa Superioris facultate non habuit opus?

Sacra Pœnitentiaria, mature perpensis expositis, ad proposita dubia respondet:

Ad. I: *Si Superior domus aliique confessarii tamdiu absint, saltem per unum diem, ut grave sit religioso pœnitenti toto eo tempore carere absolutione saeramentali, is licite et valide absolvitur ab extraneo confessario idoneo, h. e. approbato.*

Ad II: *Affirmative.*

Ad III: *Dummodo confessarius regularis approbatus sit ad recipiendam confessionem religiosi proprii Ordinis, affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ad IV: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ad V: *Si confessarius extraneus habeat a S. Sede facultatem absolvendi religiosos a casibus reservatis in eorum ordine, affirmative, secus negative.*

Datum Romæ, in Sacra Pœnitentiaria, die 14 maii 1902.

B. Pompili, *S. Pœn. Datarius.*
J. Palica, *S. P. Subst.*

Adnotationes. I/ In responso ad **primum** dubium ampliatur facultas qua gaudent *regulares* confitendi interdum confessario extra proprium Ordinem assumpto. Nimirum notum est regulares ordinarie non posse, salva Superioris licentia, validam confessionem instituere nisi coram sacerdote ad eumdem Ordinem pertinente: cui regulæ generali derogatur tempore Jubilæi (1), et etiam, extra Jubilæi tempus, quotiescumque extra monasterium legitime degunt itinerantes, nec socium secum habent idoneum cui peccata sacramentaliter exponant (2). In altero hoc casu possunt valide et licite

(1) Circa facultatem confessarium eligendi regularibus concessam in ordine ad lucrandum Jubilæum anni 1901, cf. *Collat. Brug.*, VI, p. 199-200.

(2) Fratribus Min. Capuc. indulsit Pius IX, ut hac licentia, extra propriam Religionem confitendi, utantur etiam quando in itinere unum tantum sui Ordinis confessarium uti comitem habent. Cf. *N. R. th.*, XXIX, p. 317.

absolvi a quocumque confessario sive regulari sive sæculari rite approbato (1).

Porro in præsenti decreto, sub 1°, extenditur derogatio hujusmodi ad casum quo contingit Superiorem domo abesse et nullum in conventu adesse præsentem sacerdotem ejusdem Ordinis, ita ut « tamdiu absint, saltem per unum diem, ut grave sit religioso pœnitenti toto eo tempore carere absolutione sacramentali ». Quæ dispositio juris correspondet disciplinæ, die 16 Junii 1897, introductæ in materia reservationis, quatenus communis confessarius possit, injunctis de jure injungendis, pœnitentem absolvere a censuris Rom. Pontifici reservatis, quando « durum valde est pro pœnitente in gravi peccato permanere per tempus necessarium ad petitionem et concessionem facultatis absolvendi a reservatis » ; ad quod merito docetur sufficere vel unius diei intervallum. Cf. *Collat. Brug.*, IV, p. 230.

Potest igitur sacerdos sæcularis ab Episcopo approbatus validè et licitè absolvere quemvis regularem, cui deest copia confessarii domestici et quem simul graviter urget necessitas absolutionis accipiendæ: utraque scilicet conditio simul requiritur nec sufficit sola absentia proprii confessarii ut quocumque ex prætextu, puta devotionis gratia, instituatur confessio coram extraneo sacerdote; una autem dies, uti monet laudatus P. Vermeersch, apud *Rev. théol. franç.*, 1902, p. 482, non est stricte sumenda pro spatio 24 horarum, sed morali æstimatione videtur determinanda.

II/ **Reliqua dubia** spectant absolutionem *a casibus et censuris* in variis Ordinibus reservatis impertiendam ab habente *Pagellam* S. Pœnitentiariæ. In hisce nempe amplissimis facultatibus, sub n° VIII, indulgetur po-

---

(1) Circa approbationem requisitam cf. P. Vermeersch, *De Religiosis*, I, n. 416 et n. 469, ubi etiam notat facultatem extraneo confessario confitendi niti tacito consensu Superioris, cui adeoque integrum est illam contrahere.

testas: « absolvendi religiosos cujuscumque Ordinis... a casibus et censuris in sua Religione reservatis, dummodo religiosi apud confessarium subdelegatum legitimam habuerint licentiam peragendi confessionem sacramentalem ». Quocirca nonnulla decernit S. Pœnitentiaria:

1°/ Ad hujus facultatis exercitium non est opus ut licentia confitendi fuerit a superiore concessa *explicite*, sed sufficit licentia *quocumque titulo* accepta, sive ex tacito consensu Superioris, in casu itineris, sive ex dispositione juris, in casu absentiæ omnis confessarii ejusdem Ordinis, juxta dicta sub I.

2° Superior, permittendo subdito confessionem apud confessarium extraneum, Pagella munitum, non potest hujus facultatis in Pagella concessæ usum impedire, et electus confessarius habet potestatem in reservata a voluntate superioris plane independentem.

3°/ Potestas ibidem in reservata concessa est absoluta et sese extendit ad omnes casus Religionis proprios, sive Superiori immediato, sive Provinciali sive Generali reservatas.

4°/ Tandem dicta potestate uti potest confessarius debite electus non tantum in gratiam religiosi extranei, sed etiam in gratiam regularis ejusdem Ordinis ad quem pertinet ipse.

Nota. Sacerdos omni speciali facultate destitutus, si contingat a religioso in confessarium legitime eligi, per se non posset eum a casibus et censuris in Ordine reservatis absolvere, nisi in casu urgentis necessitatis, idque sub onere imponendo ut novam obtineat super illis absolutionem. Attamen attendenda sunt specialia Ordinis statuta, in quibus non rarò providetur, quemadmodum apud Capucinos, juxta indultum S. Congr. Ep. et Regul., 5 Apr. 1897, ut religiosi legitime confitentes coram extraneo sacerdote quocumque, ab eo absolvi valeant a casibus et censuris, absque præfato onere imponendo.

A. D. S.

Consultationes

I

Petrus, filius unicus honestæ familiæ, ex mero infortunio ære alieno est gravatus et debitis solvendis penitus impar. Parentes ejus, volentes illius liberis providere, petunt: 1/ Utrum in conscientia possint hæreditatem suam Petro subtrahere, eamque ejus liberis testamento legare vel donatione inter vivos aut manuali tribuere, ne a creditoribus Petri apprehendatur? 2/ Utrum liceat in conscientia et ob eumdem finem bona sua immobilia vendere eorumque pretium Petro obœrato tradere?

Resp. ad I^m^. *Certò in conscientia possunt licite Petri liberis legare vel donatione inter vivos aut manuali dare eam hæreditatis partem quæ portionem legitimam superat.* In casu autem proposito, cùm Petrus sit filius unicus, dimidiam partem bonorum suorum liberis Petri sive testamento sive donatione tribuere poterunt (cfr. art. 913 *cod. civ.*). — *Ratio* est quia lege positiva justa non tantùm conjunctis, verùm etiam extraneis hanc bonorum suorum portionem juste et licite legare vel donare possent.

Attamen non possent tuta conscientia portionem legitimam justa lege Petro debitam in favorem liberorum Petri excedere. — *Ratio* est quia licet probabilius non violarent justitiam strictam, peccarent tamen contra æquitatem naturalem et obedientiam justæ legi debitam. Probabilius non violarent justitiam commutativam parentes portionem legitimam justa lege statutam excedendo, quia, dum vivunt, plenum dominium omnium bonorum suorum habent; filii autem ad quamcumque hæreditatis partem jus strictum solummodo post mortem parentum acquirunt (1): huic autem juri filiorum

(1) Cfr. Ill^m^ ac Reverend^m^ Waffelaert, *Tract. de Justitia*, Brugis T. I, (1885) n. 320; — Marres, *De Justitia*, Ruræmundæ, T. II (1888) n. 353.

*

jus strictum eorum creditorum profectò subordinatur. Portionem igitur legitimam vel integram vel ejus partem aliis tradendo neminis jus strictum lædunt, nisi tamen medium injustum v. g. fraudem ficti contractus onerosi adhiberent: habent enim jus strictum hæredes eorumque creditores ne judex cum eorum damno decipiatur, atque hoc modo bonis alioquin sibi legitime obventuris spolientur. Hinc etiam illi qui bona acceperunt, tuta conscientia servare possunt quæ cum læsione portionis legitimæ acceperint. Sufficit ut non impediant hæredes necessarios vel etiam eorum causam habentes (leurs ayants cause), quales sunt hæredum creditores in casu art. 921 *cod. civ.*, quominus utantur jure petendi portionem legitimam seu reductionem, uti aiunt, quod jus ipsis confert lex (1).

Parentes tamen Petri hujus liberis ultra portionem legitimam tribuendo peccarent contra *æquitatem naturalem*. Etenim, ut notat Marres (*l. c.*), æquitati naturali repugnat creditores penitus privari bonis, quorum intuitu contractus onera in debitoris gratiam susceperunt. Peccarent pariter, ut jam innuimus, contra *obedientiam* justæ legi debitam. — Nihilominus inculpate *reditus* suos Petri liberis cedere possent: nullo modo enim lex parentibus facultatem adimere voluit pro arbitrio de reditibus suis disponendi.

Resp. ad II^{m}. *Parentes in conscientia non possunt bona sua immobilia vendere eorumque pretium Petro obærato donatione manuali tradere ne hujus creditores filii hæreditatem apprehendere possint. Ratio* est quia hic agendi modus esset injustus utpote positiva cooperatio injustitiæ Petri (2).

Etenim creditores jus strictum habent ut sibi solvatur

---

(1) Codex noster civilis a. 921 expresse creditoribus concedit jus petendi reductionem casu quo portio legitima læditur donatione inter vivos. Quod si dicta læsio contingat testamento, idem jus ipsis competere ex art. 788, 1166 et 923 *cod. civ.* apparet.

(2) Unde etiam peccati scandali directi parentes rei forent.

non tantum ex bonis præsentibus debitoris sed etiam ex futuris, proinde etiam ex iis bonis quæ debitori ex hæreditate vel donatione inter vivos obtingunt. Injuste igitur Petrus ageret, creditoribus suis subtrahendo ea e quibus illis ex stricta justitia satisfieri deberet. Ergo injuste etiam parentes agerent in quantum Petri injustitiæ cooperarentur, illam suadendo vel saltem approbando atque in hunc finem bona sua vendendo ut Petrus creditores suos injuste frustretur. Unde hanc injustitiam non tantum Petrus qua auctor, sed etiam in ejus defectu parentes qua cooperatores positivi restitutione reparare deberent (1).

A. C.

II

Q. Ad parochum accedit Titius matrimonium ambiens cum Bertha, sibi in 3io gradu æquali lineæ collateralis consanguinea, cujus cum sorore olim sponsalia habuit valida et absoluta, penitus tamen occulta et diu jam soluta. Recurrit parochus ad Ordinarium, duplici oblata supplica, una *pro foro externo* ad petendam dispensationem super consanguinitate, et altera *pro foro conscientiæ*, tacitis nominibus, ut dispensatio impetretur super publica honestate ex sponsalibus occultis.

Porro quæritur utrum in omnibus recte se gesserit laudatus parochus?

Respondetur.

I/ Recte egit parochus recurrendo ad *Ordinarium*, cum, in diœcesi saltem Brugensi, Episcopus opportuna gaudeat facultate ad impedimenta, quæ matrimonio inter Titium et Bertham obstant, relaxanda. Ex una

(1) Cfr. Marres *l. c.* Non tamen, ut notat clar. Auctor, injuste agerent neque parentes neque Petrus, si hac agendi ratione ea tantum *ad tempus* retinerentur quibus indiget Petrus ad sui suorumque sustentationem: etenim tunc solutio ex justitia debita ad tempus tantum et justa de causa differretur.

namque parte, vi quinquennalium S. Congr. de Prop. Fide (Formula III, art. 3 et 4), Episcopi Belgii dispensare valent super consanguinitate infra 2^{m} gradum et super impedimento publicæ honestatis ex sponsalibus proveniente; ex alia autem parte speciale obtinuit indultum Episcopus Brugensis (1), uti jam monuimus apud *Collat.*, V, p. 610-611, quo indulto indulgetur ut « facultatibus sibi jam concessis ab Apost. Sede circa dispensationes matrimoniales... uti valeat etiam *cumulative* ».

Cæteroquin, etiam absque hac peculiari cumulandi facultate, posset Episcopus ad dispensationem procedere *in casu urgentis necessitatis*, quo tempus deficiat recurrendi ad S. Sedem : dispensando nempe pro foro externo super impedimento consanguinitatis, vi quinquennalium S. Congr. de P. F., et dein, ex potestate *quasi-ordinaria*, dispensando pro foro interno super publica honestate ex sponsalibus occultis, simul sanando pro eodem foro conscientiæ dispensationem invalidam concessam super consanguinitate. Uti enim vidimus, apud *Collat.* V, p. 539-541, Episcopi potestas quasi ordinaria extenditur non tantum ad impedimenta natura simul et facto occulta sed etiam ad impedimenta solo facto occulta, saltem intra limites facultatum quæ Majori Pœnitentiario conceduntur : jamvero publica honestas, si est impedimentum *natura* publicum, saltem est *facto* occultum et super eo dispensat S. Pœnitentiaria etiam in ordine ad matrimonium *contrahendum;* potest insuper, vi ejusdem potestatis quasi-ordinariæ, convalidare dispensationem in foro externo nulliter obtentam ob defectum *occultum.* Cf. *Collat.* V, p. 543-544.

II/ Minus probanda videtur ratio agendi in *modo* quo ad Ordinarium recurrendum duxerit parochus.

Regulariter namque, in casu proposito, super *utroque*

---

(1) Pari facultate gaudet Archiepiscopus Mechliniensis. Cf. Theol. Mechl., *De Matr.*, ed. 1894, p. 404.

impedimento esset obtinenda dispensatio *pro foro externo*, etiam in urgente necessitate. Non potest enim Episcopus uti potestate quasi-ordinaria quotiescumque ad manum habet potestatem expresse delegatam, quia, quemadmodum notavimus apud *Collat.* V, p. 544, præsumptæ vel tacitæ Pontificis voluntati non potest esse locus ubi de expressa voluntate constat. Jamvero potestas delegata, quam in quinquennalibus S. Congr. de P. F. accipiunt Episcopi Belgii circa dispensanda impedimenta matrimonialia, signanter impedimenta consanguinitatis et publicæ honestatis etiam ex sponsalibus *occultis*, quaque facultate uti potest cumulative Episcopus Brugensis, facultas, inquam, illa delegata, saltem si impedimentum criminis excipias, censetur concessa *pro solo foro externo*, adeoque juxta formam huic foro propriam videtur adhibenda. Quod eruendum opinamur ex praxi Curiæ Romanæ, uti infrà latius explicabitur.

Quam interpretationem tuentur Bangen, *Instructio practica de spons. et matr.*, II, p. 169-171; Feye, *De Imped. matr.*, ed. 1893, n. 625; (1) *Nouv. Rev. theol.*, XVIII, p. 402; Planchard, *Dispenses matrimoniales*, n. 395, Pompen, *Tractatus de Dispensationibus*, n. 59, in nota. Putzer, *Commentar. in facult. Apostol.*, ed. 1898, n. 22, qui censet quidem contrariam sententiam omni probabilitate non carere, addit autem: « in praxi certe ad deceptiones efficacius evitandas quantum fieri potest, forum externum in applicandis hisce facultatibus (S. Congr. de P. F.) erit servandum » (2).

Equidem dantur Auctores contradicentes et docentes Episcopum, ex potestate *delegata*, super publica honestate ex sponsalibus *occultis* proveniente, posse dispensare *pro foro interno:* sed frustrà provocant ad paritatem

(1) « Quapropter dicendum est Episcopum pro iis (impedimentis quæ memorantur in indulto S. C. de P. F.) semper debere procedere *tanquam pro publicis*, non excepta etiam publica honestate ex sponsalibus occultis ».

(2) Cf. tamen n. 91 et 236.

cum Majori Pœnitentiario, qui ex speciali licentia super dicto impedimento dispensat *pro foro interno:* Episcopus enim non valet id omne quod valet M. Pœnitentiarius, sed id tantum ad quod positivo jure existit delegatus (1).

Parochus igitur debet postulare a sponso licentiam utendi notitia accepta, signanter si sit sacramentalis, et utrumque impedimentum exponat oportet in *eadem* supplica, ad Officialem dirigenda, expressis nominibus et cœteris insertis clausulis ex stylo curiæ inserendis in libello supplici pro foro externo.

Exceptionaliter tamen posset fieri ut legitime recurrat ad potestatem *quasi-ordinariam*, et pro publica honestate procedat tanquam pro impedimento fori interni: quo casu exceptionali recte egerit parochus de quo quæritur. Nimirum, supposito casu urgente, quo tempus deficiat S. Sedem adeundi, si parochus prudenter judicaret sine incommodo gravi a sponso non posse peti licentiam revelandi occultum impedimentum publicæ honestatis, vel si petitam licentiam pertinaciter renueret concedere sponsus, impossibilis evaderet Episcopo usus potestatis delegatæ, pro foro externo concessæ, adeoque jam nihil ipsum prohiberet ab usurpanda potestate quasi-ordinaria. Cf. *Collat.*, V, p. 545.

Nota. Hæc solutio casus, non infrequenter practici pro parochis, potest utilitati esse cuicumque confessario, qui in confessione detegat hujusmodi impedimentum publicæ honestatis apud sponsos, quos noverit impedimento consanguinitatis vel affinitatis licitæ infra 2^{m} gradum ad invicem devinctos. Regulariter nempe

---

(1) « Quibus quidem consequitur (nempe ex testimoniis allatis), ex speciali licentia Pontificis Pœnitentiarium super hoc impedimento ex occultis sponsalibus orto concedere dispensationem pro foro interno; minime tamen exinde deducendum videtur Episcopos etiam ex delegata facultate, qua revera fruuntur *solum pro foro externo*, ejusmodi impedimentum ad forum internum retrahere atque in hoc foro super eodem impedimento tanquam super occulto dispensare posse ». Bangen, l. c.

oportet ut pœnitentem ad parochum dirigat cui impedimentum extrasacramentaliter manifestet, ut dispensatio pro foro externo procuretur. Quod si commodè fieri nequeat, posset confessarius, si casus est urgens, pro foro interno, tacitis nominibus, recurrere ad Episcopum, monendo dispensationem esse postulatam pro foro externo super consanguinitate, et supplicando ut vi potestatis quasi-ordinariæ dispensare et convalidare dignetur, salvo sigillo et adhibitis cautelis apud *Collat.*, V, p. 614 descriptis.

A. D. S.

Libri dijudicati

R. P. Robert de Bruges, F. M. C. **Le Catéchisme du Tertiaire de S. François d'Assise.** Bruges, Ch. Ryckbost, 1902. In-32, pp. 354. Prix: 0,70 fr.

Id. **Le petit Catéchisme du Tertiaire de S. François d'Assise.** Bruges, Ch. Ryckbost, 1902. In-32, pp. 189. Prix: 0,40 fr.

Inter plures, quos manibus non semel revolvimus, Tertii Ordinis libros manuales, nullum hucusque invenimus cui, quæstionum distinctione et solutionum perspicua soliditate non facile præstat duplex ille *Catechismus*, quorum minor communibus sodalibus est destinatus, major vero rectoribus, novitiorum magistris ac discretorii membris merito commendari potest.

Dilucide exponuntur vitæ S. Francisci præcipua fata et exempla, Tertii Ordinis a Leone XIII tam instanter commendati natura et utilitas, hujus instituti regula practice explicata, indulgentiæ, privilegia et cœremoniale. Quæstiones novæ nonnullæ convenienter solvuntur: in materia indulgentiarum ratio est habita recentiorum decretorum; tandem forma catechetica, qua sane longior protrahitur interdum expositio, facilior certe ac distinctior redditur intelligentia. In minori tamen catechismo quædam ita sunt contracta ut minus recte intelligenda videantur: exemplo sint quæ ibi dicuntur de indulgentia plenaria adnexa recitationi sex *Pater*, *Ave* et *Gloria*.

Gratum nuperrime accepimus nuntium sub prelo versari majoris, paulisper abbreviati, Catechismi versionem flandricam, pretio 0.60 fr. obtinendam.

C. C.

De imprecatione « Deus damnet me ». Dissertatio theologica et apologetica auctore *Jos. Aertnys*, C. SS. R. Accedit **Casus conscientiæ** una cum refutatione sententiæ P. Walteri quoad malitiam formulæ G. v. d., auctore *P. Cœlestino*, Ord. frat. min. capucinorum. Galopiæ, typis M. Alberts Filii, 1902, in 8° pp. 53. pret. 80 cent. — **Dissertatio theologica** de blasphemia neerlandica et præsertim de **æstimatione communi** quoad formulam G. v. d. cum objectionibus et responsis pro et contra (?), auctore *Patre Walthero*, Capuc. S. Theol. Mor. lectore. Tilburgi, typis W. Bergmans 1902, in 8° pp. 32. pret. 70 cent.

Controversiæ sat magni momenti practici et inter Neerlandiæ theologos elapso anno acriter agitatæ, utrum sc. formula neerlandica G. v. d. habenda sit ut vera blasphemia, ansam præbuit commentariolus a P. Aertnys, C. SS. R. in ephemeridus « Nederlandsche Katholieke Stemmen » (T. II) editus, in quo clarissimus auctor pristinæ sententiæ mutationem paucis exposuit. Docuerat nempe sententiam quæ affirmat locutionem *Deus damnet me* theoretice et practice *certo* blasphemam esse; in dictis vero ephemeridibus statuit sententiam negantem bonis rationibus theoretice defendi posse, ità ut sententia affirmans vere et stricte dubia appareat; adeoque jam meritò pro praxi regulam certam applicavit: « In dubio utrum aliqua locutio blasphema sit necne, minime ut blasphema est habenda ».

Haud multo postea censorem nactus est P. fr. Hyac. Derksen in opusculo cui titulus: *Sententiæ a Rev. adm. P. Aertnys non ita pridem rejectæ religiosa defensio.* Cl. Aertnys in opusculo præsenti uberius eamdem quæstionem exagitat, et solide contra P. Derksen et P. Walterum probat dictam formulam probabilius per se et vi verborum non esse blasphematoriam, neque ex parte objecti quod quis sibi imprecatur, nempe damnationem (adeoque non esse blasphemiam mediatam);

neque ex parte subjecti a quo damnatio petitur, quod est Deus (adeoque non esse blasphemiam immediatam). Autumat insuper auctor formulam istam neque ex communi populi acceptione (p. 7 et 25) esse blasphemam, tenetque populum communiter, tam litteratos quam rudes, in majori saltem Hollandiæ parte, huic locutioni eum dumtaxat sensum adnectere, quem verba proprio sensu habent, scilicet damnationem sibi imprecari (p. 25 s.), nullum autem adnectere *sensum* blasphemum (p. 26).

Haud minus asseveranter ait P. Cœlestinus communem apprehensionem formulæ non alium sensum (1) tribuere præter eum, quem genuina significatio verborum secum fert (p. 39). Attamen — et hoc magis aperte declarat quam P. Aertnys — fideles communiter putare petitionem sui ipsius damnationis, expressam in locutione « G. v. m. » *esse blasphematoriam*.

Sedulo autem probare contendit P. Waltherus (p. 20 ss.) formulam e communi æstimatione esse blasphematoriam. Ex argumentis a clar. auctore allatis, solum 4m (2) directe ad rem facere videtur: quibus argumentis P. Aertnys (excepto 4°) convenienti modo respondet (p. 32 ss.). Utrum enim communis æstimatio formulæ tribuat (3) sensum blasphematorium, *quæstio est facti*, neerlandicorum quidem theologorum testimonio

(1) Hoc etiam P. Walterus, implicite saltem, admittit. In pluribus tamen locis Belgii communiter homines perperam ut sensum formulæ habent: *Deus sit damnatus*. Cfr. *Collat. Brug.*, T. III, p. 400 et 467. Ut monet Ills ac Reverends Waffelaert (*Confessarius rite institutus ad impugnandam blasphemiam*, Brugis 1889, p. 26) « omnino corrigatur error eorum, qui putent se damnationem optare Deo, nisi forte dixerint: G. verdomd, seu vermaledijd quod vix aut numquam contingit ». — Haud immerito creditur jam apud plures errorem, hoc modo agendi confessariorum, fuisse correctum.

(2) « Omnes vel fere omnes Theologi, pastores, prædicatores, confessarii, sacerdotes Neerlandici ab immemorabili tempore docuerunt quod verba *G. verdom me* sunt blasphemia saltem practice, id est *de facto* ob æstimationem communem ».

(3) Cfr. ea quæ P. Cœlestinus p. 49 hac de re habet.

præsertim verò pastorum ac confessariorum experientia quotidiana comprobanda. Factum illud negant P. Aertnys (p. 27) et P. Cælestinus (p. 40); affirmat vero P. Waltherus (p. 27).

P. Cœlestinus, licet concedat locutionem communiter ut blasphematoriam *haberi* a populo Neerlandico, non tamen eo ipso concedendum putat, eam ex æstimatione communi *esse* blasphemiam (p. 51), imò hoc aperte negat. Scil. thesim « Verbis *G. verdom me* a populo tribuitur sensus blasphematorius » distinguit hoc modo: « Verbis « *G. verdom me* » a populo *putatur* inesse malitia blasphemiæ, quæ iis verbis revera non inest, — Concedo. Verbis « *G. verdom me* » a populo *affigitur* sensus blasphematorius, iià ut revera his verbis *inveniatur*, *inhærere incipiat* sensus blasphematorius. — Nego ».

Hanc tamen distinctionem usuvenire non putamus, si communis Neerlandicorum æstimatio sensum genuinum formulæ imprecatoriæ minime adulterans, nihilominus petitionem sui ipsius damnationis expressam in locutione « G. v. m. » *revera blasphemiam esse* putet. Libenter quidem concedimus ex eo quod soleant homines communiter in quadam regione in formula aliqua apprehendere vilipensionem Dei, nondum sequi hunc *sensum* esse ipsi formulæ imbibitum. Verùm hujusmodi formulam, quamdiu communis æstimatio viget, in talibus adjunctis proferentes nihilominus contumeliam seu vilipensionem Dei *significant*, adeoque cum blasphemia sit essentialiter *in significando*, blasphemiæ reatum incurrunt, undecumque illa communis æstimatio oriatur et quomodocumque sit explicanda (1). Et ità absque dubio blasphemare possunt nostrates usurpantes formulam (v. g. horrendam blasphemiam gallicam) cujus sensum penitus ignorant: sufficit enim ut advertant se

(1) Cfr. Ill^m ac Reverend^m Waffelaert, *o. c.*, p. 30. — *Collat. Brug.*, T. III, p. 405 et 471.

formulam adhibere quæ juxta communem æstimationem *significat* Dei vilipensionem.

Superest ut verbulum dicamus de modo practico quo, juxta laudatos auctores, sacerdos præsertim qua confessarius, fideles circa hanc formulam docere debeat.

Imprimis, certo certius improbanda est praxis tanquam unice tuta (1) a clar. P. Waltero proposita et juxta quam docendum foret locutionem « G. v. me » esse blasphemiam. Etenim, etiam si communis æstimatio in Neerlandia formulam blasphematoriam habeat, probabilius omnino (ut in controversia præsenti P. Aertnys et P. Cœlestinus luculenter ostenderunt) hæc dictio per se et abstrahendo a mente proferentium et a communi æstimatione, non est blasphematoria, adeoque ex hac saltem parte error vulgi corrigendus foret.

Modus populum instruendi a clar. P. Aertnys propositus apparet probandus, datâ Auctoris circa æstimationem communem in Neerlandia sententiâ.

Utinam confessarii et sacerdotes in Belgio unanimiter et perseveranter praxi ab Ill° ac Reverend° Waffelaert propositæ insistant (2). Semel mutata opinione erronea populi formulam interpretantis *Deus sit damnatus,* jam patebit via ut, absque vulgi admiratione et sinistra interpretatione, etiam publice et auctoritative populus circa significationem blasphematoriam formulæ dedoceatur.

A. C.

---

(1) In conclusione dissertatiunculæ (p. 32) auctor ratione quadam dimicat in controversiis theologicis penitus inaudita et in præsenti quæstione inepte allegata: (cfr. *Dissert.* P. Aertnys, p. 34) negantes locutionem « G. v. d. » esse blasphemiam, hac de re in divino judicio rationem reddituros! — Hoc breve opusculum multis mendis typographicis scatet.

(2) *o. c.*, p. 31; — *Collat. Brug.*, T. III, p. 466 ss.

Collationes Brugenses

Monita

de interpretatione et usu Scripturæ sacræ.

1. Quæ de interpretatione et usu sacrorum librorum nos monituros nuntiabamus in animadversionibus præviis in tertiam partem nostrarum meditationum theologicarum, seorsim potius, ne illarum seriem longiori digressione abrumpamus, exponenda censuimus.

Et hujusmodi quidem monita atque consilia quædam proposituri, opportunum ducimus breviter præmittere quæ, juxta Ecclesiæ doctrinam, nobis tenenda videntur de natura ipsa ac indole propria sacrorum librorum. Hæc autem compendiose fere continentur effato ipsius Spiritus sancti per os Pauli apostoli, scribentis ad Timotheum (1): « Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia; ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. »

His reipsa asseruntur tria: 1 Scripturam esse divinitus inspiratam; 2 id valere de omni seu unaquaque Scriptura, nempe ut tali tum accepta, et etiam postea, quoniam eadem ratio valet, ab Ecclesia agnita; 3 additur finis Scripturæ, qui non est in scientiis ac notitiis humanis erudire, sed in divina doctrina in ordine ad vitæ sanctimoniam atque æternam salutem.

Ast doctrinam hanc accurate definire hic labor est, neque vero id ex professo præstare hic locus. Breviter quædam de singulis hujus doctrinæ punctis exponemus.

(1) 2. *Tim.*, III, 16-17.

I

2. Quod primum attinet de natura inspirationis, illud in *Medit. theol.*, n. 66 jam attigimus, inspirationem ex parte Dei inspirantis præcipue considerantes, ubi quatuor requisivimus: 1° actionem divinam præparatoriam, quam strictiore sensu S. Thomas inspirationem vocat, qua scilicet mentis intentio elevatur ad percipienda divina (*ibid.*, n. 61); 2° revelationem, non quidem eo sensu quod sacer scriptor aliunde scire nequeat quæ scribenda sunt, sed quod ea omnino, priusquam scribat, divinitus seu ut Dei verbum supernaturali lumine percipere debeat. Quod ita intellige ut sive conscius sit scriptor, sive non, verbi divini supernaturaliter a se percepti tamquam scribendi, a parte tamen rei oporteat ut intellectus ejus sit supernaturaliter elevatus et sub lumine divino apprehenderit divina sensa ac judicia scribenda, antequam scribat. Requisivimus 3° motionem divinam in voluntate ad scribendum ea omnia et sola, quæ tamquam divinum seu revelatum verbum scribi vult Spiritus sanctus, quæque prævie intellectus scribentis supernaturaliter apprehenderit, ut supra; 4° tandem assistentiam divinam ut absque errore et modo apto ad finem a Deo intentum prædicta scribantur, seu « apte infallibili veritate exprimantur » ut loquitur Leo XIII, in encyc. *Providentissimus Deus*.

Diximus scriptorem sacrum conscium esse posse vel inconscium divinæ illuminationis intellectus, quod perinde valet de motione supernaturali voluntatis et de integro influxu supernaturali Dei, sicuti in influxu gratiæ gratum facientis contingit. Nequaquam tamen negandum nobis videtur viros sanctos a Deo inspiratos plerumque divini influxus conscios fuisse, nominatim Apostolos et Prophetas; quod quidem nonnulli Apostolorum, et Prophetæ fere omnes ipsi testantur.

3. Hisce supra dictis quædam, majoris declarationis gratia addimus, inspirationem jam considerantes potius

in ipso scriptore inspirato : scilicet, quid præcise requiratur et sufficiat ut dicatur divinitus inspiratus, et ejus liber revelatio Dei scripta seu verbum Dei scriptum, adeoque et Deus ejusdem libri auctor, isque principalis, scriptor vero humanus item auctor, ast quasi instrumentalis.

Jamvero, nihil impedit, antecedenter ad influxum supernaturalem Dei, auctorem humanum tum intellectu cognoscere, quavis via, sive propria experientia, sive ex fontibus quibusvis scriptis aut testimonio humano, sive et fide divina ex revelatione jam antea facta, quæ scripturus est, tum etiam voluntate propositum scribendi concepisse, omniaque ad scribendum etiam magno labore parasse et se ad scribendum jam accingere ; sed id omnino requiritur et sufficit 1/ ex parte quidem intellectus, ut, cum ultimo judicio practico judicat hoc scribendum, intellectus divino lumine illustratus percipiat id præcise quod Deus ut a se dictum seu testatum vult scribi, et sub eodem lumine judicet id esse scribendum. 2/ Ex parte voluntatis, ut et ipsa in actu volendi scribere illud idem sit immediate elevata et mota a Deo. 3/ Ex parte utriusque facultatis, ut, pergente influxu assistentiæ divinæ in utramque, scriptio ita fiat ut apte infallibili veritate exprimatur illud idem supra dictum.

4. Ex his, intelliges non sufficere ut Deus quocumque modo moveat voluntatem ad hoc aliquid scribendum, puta me moveat ad scribendum mea de aliqua re sensa, iter a me confectum et solum ut a me apprehensum, meque assistat ut omnia recte et perfecte exprimam. Nam Deo quidem movente et assistente scribam librum *meum*, non vero librum divinum ; seu Deus erit auctor ut scribam mea, non erit auctor ut scribam sua, nec adeo auctor libri qui sit suus.

Imo quæri potest in casu utrum motio hæc Dei sit, imo possit esse supernaturalis quoad substantiam. Equidem putaverim eam esse solummodo quoad mo-

dum supernaturalem, in se naturalem, quoniam voluntas supernaturaliter elevari nequit, nisi circa objectum supernaturaliter apprehensum, adeoque nisi et intellectus divinitus elevetur.

Nec sufficit eadem sola motio voluntatis ad scribendum aliquid, etiamsi revelatum: nam liber continebit quidem divinum verbum, sed manebit *meus;* et non continebit divinum verbum ut a Deo scripto propositum, nec erit divinus. Imo idem non sufficit, etiamsi fide divina a me apprehensa et credita sint eadem revelata: quia nondum scribam quæ Deus a se scripto testanda vult, sed quæ ego a me credi et divinitus revelata testor. Profecto, quid impediret Deum ita ad scribendum movisse quosdam e S. Patribus et Ecclesiæ Doctoribus?

Requiritur omnino ut eodem lumine quo Deus sentit ac judicat, intellectu apprehendam ejus sensa et judicia, in ordine ad ea scribenda, et ad illa scribenda supernaturaliter voluntate movear.

5. Inde est quod, cum sacer scriptor citat alicujus verba, sermonem, epistolam alicujus, aliudve documentum, inspiratus quidem est ad citandum, non vero eo ipso et solo inspirata sunt citata, seorsim sumpta et non ut elementum propositionis seu judicii a scriptore citante circa eadem citata expressi. Hæc enim utrum seorsim sumpta sint inspirata necne, ex ipsa eorum natura, ex scopo citationis, ex modo citandi et adjunctis est judicandum ; nempe utrum talia sint, omnibus inspectis, ut exhibeant sensa et judicia ipsius auctoris, sive immediate principalis, id est, Dei, sive ipsius auctoris humani, quæ eadem faciat sua, ex quo constaret mediate eadem etiam esse principalis auctoris seu Dei moventis ad scribendum: ita ut utroque casu signum haud dubium haberetur ea sensa et judicia lumine divino seu ut divina fuisse apprehensa, et non solum eodem lumine fuisse apprehensum judicium hæc esse citanda, aliudve de iisdem prolatum.

Ita v. g. auctor sacer referens sermonem Christi, non solum inspiratus est ad citandum sed sine dubio ipsa citata sunt inspirata, quæ divino lumine scriptor apprehendit ut verbum Dei et ad quæ scribenda ut tale est motus.

Contra, referens decretum aliquod Cyri vel Artaxersis, aut epistolam Spartiatarum vel Romanorum, inspiratus quidem est ad ea citanda et, assistente Deo, fideliter recitanda, sed nequaquam ita ut citata seorsim sumpta sint inspirata, utpote quæ nec Deus sua facit, nec ipse auctor inspiratus; ita ut hic evidenter lumine divino ea apprehendere non potuerit ut divina, sed solum judicium quod de iis enunciatur. Neque dicas: quid impedit lumine divino ea apprehendisse ut humana, ita ut sint inspirata, non vero revelata? Respondemus enim: lumine divino apprehendere ut humana, vel significat lumine divino judicare hæc humana ut talia esse citanda, esse vera, esse carpenda, laudanda, etc., quod nihil aliud est quam auctorem esse inspiratum ad citandum ea vel et judicandum de iis, quantum ad intellectum; vel significat lumine divino apprehendere seu participem fieri *divinæ* apprehensionis eorum, qui tamen non sunt *divini* sensus sed humani, quod absurdum sonat (1).

---

(1) Hæc distinctio inter *inspirationem citationis* i. e. ad citandum seu referendum, et *inspirationem ipsius citati* seu relati, diligenter retinenda est, sensu explicato, scilicet rite intellecta et caute ac legitime adhibenda. Quod propterea addimus, quod distinctio similis a quibusdam modernis cum mira confusione adhibetur, ex qua fit ut in putum sophisma eorum ratiocinium degeneret. Videlicet, ipsi ad hoc ut demonstrent, seu potius demonstare videantur, parum curandum esse de erronee, ut ajunt, relatis a scriptoribus sacris, de antilogiis in bibliis, quas ipsi non apparentes nec verbales, sed reales facile admittunt, distinctionem adhibent inter *veritatem relationis* et *veritatem relati,* quasi relatio alicujus historiographi vera esse possit, etsi ab ipso relatum sit falsum. Atvero, quis non videt, si per relatum intelligis objectum proprium et proximum relationis, relationis veritatem non consistere nisi illud relatum sit verum: ut si refero quod aliquis falsum dixit, eum falsum dixisse verum sit oportet, quamvis ulterius objectum relati seu dicti illius sit falsum. Ideo voces *relatio* et *relatum* non adhibuimus, saltem solas; sed potius

Tandem, quandoque minus manifestum esse potest, utrum necne ipsa citata sint inspirata, puta sermones quorumdam relati in lib. Machabæorum, in Act. Apost. Qua in re, simus cauti ac sapientes, nec ut certa affirmemus, quæ certa non sunt, præprimis vero ne prævertamus Ecclesiæ judicium. Cæterum sermones Apostolorum, cantica Sanctorum vel et ipsius B. Virginis, ut *Magnificat*, quæ a sacris scriptoribus recitantur, non tantum ex inspiratione inserta, sed et ipsa esse inspirata et ut talia scripta esse nobis indubium videtur, ita ut sint verbum Dei scriptum.

Quid autem dicendum de verbo Caiphæ: « Expedit ut unus moriatur homo pro populo (1) »? Omnino credimus non tantum inspirata esse quæ S. Joannes de illo verbo refert: Caipham illud dixisse, illud dicendo prophetasse, etc. sed ipsum illud effatum apud Joannem esse inspiratum. Licet enim Caiphas inconscius prophetaverit, imo divinum verbum non intellexerit sed alio sensu acceperit, vere tamen locutus est verbum divinum, et illud suum facit Joannes, imo illi addens: « Et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. » Ex quibus manifestum est Joannem, illud dictum ut divinum apprehendisse ac scripsisse.

6. Itaque nostro sentiendi ac loquendi modo, omnis sententia propria scriptoris sacri est inspirata et revelatum verbum Dei scriptum, sed nihil impedit quin in libro inspirato quædam contineantur verba humana, non revelata nec in se seorsim inspirata, quorum scilicet relatio seu citatio est inspirata, quorum assertio ut factum, ut quod dicta fuerint, aliudve judicium de iis

---

voces *citatio* et *citata*. Quando dicimus: inspiratam esse citationem, non citata, profecto intelligimus citationem rectam et veram, ita ut proxime relatum, seu talia esse dicta ab aliquo, sit inspiratum, quamvis non ipsa dicta illius ideo sint inspirata, vel et vera.

(1) Joan., XI, 49-52, coll. XVIII, 13-14.

est inspiratum et Dei verbum, quæque adeo pertinent ad Scripturam inspiratam Deique verbum scriptum, tamquam elementum seu objectum judicii scriptoris, seu propositionis inspiratæ.

Neque propterea confundimus inspirationem cum revelatione, ut patet, cum revelatio esse possit sine inspiratione hoc nostro sensu, sed dicimus inspirationem non esse nisi ad scribendum verbum Dei revelatum; aliis verbis, inspirationi semper supponi revelatum Dei verbum quod, sive revelatio tunc primum fiat, sive antea facta fuerit, scriptor supernaturaliter apprehendat, sive rei conscius, sive non. Unde sacer scriptor historiam aliquam narrans rei, quam sive propria experientia sive ex testimonio orali aut scripto didicit, dummodo narrationem sua auctoritate munire se satis significet, vere scribit verbum Dei revelatum, quia eam historiam scribit utpote quam ut divino testimonio roboratam divino lumine apprehenderit, sive conscius sit hujus divini luminis et porro motionis, sive non.

Qui vero non tantumnodo distingueret inter inspirationem et revelationem, sed illam sine revelato verbo Dei divinitus apprehenso consistere posse autumaret, astruere nequaquam posset scriptum inspiratum esse librum divinum seu Deum habere auctorem. Nam Deus, etsi quodammodo movens ad scribendum, etiam singula verba, nondum est auctor libri tamquam sui, si non ad sua sed ad scribentis sensa scribenda movet, si verba scribentis non sua prius esse fecerit.

7. Ubi adverte, etiamsi extendas inspirationem ad ipsa verba, inde non asseri Deum *dictasse* Scripturam, scilicet auctore humano ut passivum quasi instrumentum se habente; sed, juxta supra a nobis explicatam notionem inspirationis, inspiratio verbalis importat 1/ ex parte intellectûs scribentis, ut ultimo judicio practico, quo judicat hanc propositionem scribendam, eamdem determinatis verbis sub divino lumine perceperit, etiamsi illa verba Deus non suggesserit sed ipse homo prius

inquisierit; quemadmodum de ipsis sententiis diximus, eas ab homine conceptas fuisse nihil referre, dummodo, antequam scribat, divino lumine seu ut Dei sensa percipiat.

2/ Ex parte voluntatis, importat inspiratio verbalis ut moveatur voluntas ad scribenda illa divina judicia iisdem prædictis determinatis verbis.

Majoris adhuc claritatis gratia hoc addere licet, ex adverso dictari posse verba, quin dictans habeatur auctor scripti: videlicet si scriptor suà sensa exprimat, altero suggerente solum verba eaque dictante, non vero sensa dictantis; puta me scribere velle epistolam lingua mihi ignota, ita ut vere scribam mea sensa, altero solum verba ea exprimentia mihi dictante, epistola erit mea, neque alter erit ejus auctor, quasi esset sua epistola.

8. Utrum vero inspirationis extensio ad verba sit reapse asserenda, ex ipsa inspirationis notione deduci vel saltem confici nequit, et de re disputant theologi; nihil autem nobis obstare videtur quin id affirmetur, eo vel magis quod non soleat homo percipere notiones et judicia efformare nisi ope verborum, seu comitante verbo, adeoque scriptor inspiratus judicia et sensa sub divino lumine, seu ut divina, determinatis concepta verbis apprehendisse videtur.

Ubi rursum adverte, hoc admisso, inspirationem quidem se extendere ad verba exprimentia quamcumque divinam sententiam, non vero eo ipso ad verba documenti alicujus, ab auctore inspirato citati et de quo effertur aliqua divina sententia: si enim verba documenti sunt mere humana, de quibus profertur solum aliquod divinum judicium, hoc quidem quoad verba est inspiratum, v. g. Spartiatæ ad Judæos scripserunt hanc epistolam hujus tenoris; ipsa vero verba epistolæ illius non sunt inspirata, sed sufficit assistentia divina ut *recte* exscribantur, ita ut verificetur prædicta divina sententia inspirata de illis prolata. Quinimo, juxta

supra dicta, etiamsi Deus dictaret verba illa humana, ut talia, et non solummodo assisteret scriptori, inde non essent in se et seorsim inspirata, sed solum judicium de iis prolatum esset inspiratum ad omnia et singula verba: videlicet verba epistolæ citatæ non essent inspirata, absolute ut exprimunt sententias humanas illius epistolæ, sicut et ipsæ hæ sententiæ non sunt inspiratæ; sed solum, ut exprimunt objectum de quo est judicium inspiratum, essent a Deo dictata seu suggesta.

9. Finem imponentes huic disputationi de natura inspirationis librorum sacrorum, obiter notamus, quod ex dictis luculenter sequitur: verum quidem esse, verbum Dei scripto revelatum seu vera sensa Dei scripta indaganda esse ex sententiis et verbis ab auctore humano scriptis, iisque rite et legitime ad rectas interpretationis regulas exactis; sed nequaquam propterea inspirationem concipiendam esse, ac si a Deo moveatur auctor humanus ad exprimenda sensa sua, et non e converso ad exprimenda sensa Dei, exprimendo simul ut sua. Quod quidem nonnulli e modernis, prætextu distinguendi et reapse separando inspirationem a revelatione, non videntur attendisse.

Pariter e prædictis habes principium solutionis quæstionis recentius sæpius agitatæ, idque miris non raro modis, de inerrantia Scripturæ. Videlicet omnis sententia, quæ vere sententia Scriptoris sacri est seu judicium ejus exprimit, est Scriptura divinitus inspirata et verbum Dei scriptum, adeoque ab errore prorsus immunis.

Id solum quandoque dubium oboriri potest, an aliquid reapse ut sententia auctoris sacri haberi debeat, an potius ut objectum tantum ejus judicii: quod ex modo loquendi auctoris, ex compositione libri, genere literario, adjunctis dijudicari debet; dubium etiam esse potest de vera lectione et plena alicujus textus authentia, prout in determinata editione legitur. Ideo forte de hac quæstione quædam infra notanda recurrent.

(Continuabitur).

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. VIII, pag. 84.)

SCHOLION

De unione Deum inter et creaturam.

313. Quoniam de unione hypostatica modo locuti sumus, et de unione electorum cum Verbo divino, operæ pretium erit uno conspectu exhibere doctrinam de variis generibus atque speciebus unionis creaturæ cum divinitate, quo et ordinis supernaturalis jam sæpius attacti notio perficiatur ac compleatur.

Itaque, primum genus est unionis communis Dei cum quibusvis creaturis, qua « Deus est in omnibus rebus per essentiam, potentiam et præsentiam, sicut causa in effectibus participantibus bonitatem ipsius. Super istum modum autem communem, est unus specialis qui convenit naturæ rationali, in qua Deus dicitur esse sicut cognitum in cognoscente et amatum in amante (1) ». Jamvero, secundum hoc alterum genus tantum, quod proprium est creaturæ rationali, potest esse quæstio de unionis specie in ordine naturæ, aut de unionis specie in ordine supernaturali, nempe secundum differentiam Dei cogniti ac amati viribus naturæ, aut viribus supra naturam, quibus solis Deus ipse proprie attingitur, scil. ut in se est, vel inchoative per gratiam sanctificantem cum fide ac charitate, vel perfecte per lumen gloriæ cum visione beatifica. « Et quia cognoscendo et amando, creatura rationalis sua operatione attingit ad ipsum Deum, secundum istum specialem modum Deus non solum dicitur esse in creatura ratio-

(1) S. Thom., 1, q. 43, a. 3.

nali, sed etiam habitare in ea sicut in templo suo. Sic igitur nullus alius effectus potest esse ratio quod divina persona sit novo modo in rationali creatura, nisi gratia gratum faciens. Unde secundum solam gratiam gratum facientem mittitur et procedit temporaliter persona divina. Similiter illud solum habere dicimur, quo libere possumus uti vel frui. Habere autem potestatem fruendi divina persona, est solum secundum gratiam gratum facientem : sed tamen in ipso dono gratiæ gratum facientis, Spiritus sanctus habetur et inhabitat hominem. Unde ipsemet Spiritus sanctus datur et mittitur (1). » Mirabilis profecto et fœcunda Angelici doctrina, ex qua facile deducemus claram ac plenam notitiam unionis supernaturalis hominis cum divinitate.

314. In ordine supernaturali, quod nos homines attinet, præter unionem transeuntem Dei cum intellectu et voluntate nostra, ut instrumentis ejus, quam in gratia actuali supra descripsimus, quæque sensu minus pleno ac stricto dici potest unio, utpote quæ habituale potius consortium expetere videtur, incipit vera unio supernaturalis, cum ad nos, in prima justificatione, vel post lapsum in secunda, debite dispositos, si de adultis agatur, mittitur nobisque datur a Patre et Filio Spiritus sanctus. Ubi diligenter adverte quod, quemadmodum a Patre et Filio, tamquam personis a se distinctis, ut ab uno principio æternaliter procedit Spiritus sanctus, ita et temporaliter mittitur ac datur, adeoque ut persona distincta datur Spiritus sanctus illi qui justificatur. Est igitur in justificatione unio personæ Spiritus sancti cum persona quæ justificatur; quæ quidem unio non est hypostatica, ut patet, qua natura humana assumeretur in unitatem personæ divinæ, sed est hypostatica unione profecto longe inferior, scilicet, *personæ* divinæ *cum persona* humana; neque proin substantialis est unio, sed accidentalis. Cum tamen vera et realis sit

(1) S. Thomas, *ibid.* Et cf. Cajet. in h. l.

unio, nec mutatio esse possit in persona divina, tota mutatio est in altero unionis termino, in humana persona, quæ secundum se totam extollitur et fit, secundum dona quæ infunduntur supernaturalia, accidentalia quidem sed physica et realia, consors divinæ naturæ: nempe per gratiam sanctificantem in anima, per habitus theologicos cæteraque dona in facultatibus animæ, imo et in ipso corpore, quod suo modo fit sanctitatis particeps, et templum Spiritus sancti (1).

315. Itaque, sicut in unione hypostatica causa quidem efficiens unionis est Deus; seu unio activa, utpote operatio Dei ad extra, est communis tribus personis SS. Trinitatis et solummodo per appropriationem, ut præcipua amoris divini manifestatio, tribuitur Spiritui sancto; solus vero Filius, a solo Patre missus in mundum, carnem assumpsit seu hypostatica unione humanæ naturæ unitus est: ita, in unione Spiritus sancti cum persona justi, actio quidem uniendi est communis tribus personis, solus vero Spiritus sanctus mittitur et datur a Patre et Filio, sola persona Spiritus sancti est alter terminus unionis, seu unio passiva, i. e. unitum esse, est solius personæ Spiritus sancti.

Et rursus, quemadmodum effectus divinæ actionis uniendi hypostatice, quæ est communis tribus personis, est mutatio in sola humana natura assumpta, quæ loco propriæ subsistentiæ subsistit divina personalitate Verbi, ita ut vere fiat seu sit natura divinæ personæ: ita effectus divinæ actionis uniendi nos cum persona Spiritus sancti, quæ actio est communis tribus personis, est mutatio in sola persona nostra, quæ quidem manet propria substantia et personalitate persona humana, secundum vero accidens evehitur et quadamtenus fit deiformis, infusis nempe donis quibus consors fit divinæ naturæ, et quorum ratione dicimur et sumus effective uniti personæ Spiritus sancti. Porro, hac

(1) Cf. *ad Rom.*, VIII, 11; 1 *ad Cor.*, III, 16-17; VI, 19-20.

unione posita, secundum dona gratiæ, quæ tamquam effectus ex divina uniendi actione sequuntur, et ratione quorum sumus uniti divino Spiritui, jam habemus potestatem fruendi eadem divina persona, ita ut in ipso dono Spiritus sanctus habeatur et inhabitet nos. Ut verbis S. Thomæ utamur jam recitatis: « Habere... potestatem fruendi divina persona, est solum secundum gratiam gratum facientem: sed tamen in ipso dono gratiæ gratum facientis, Spiritus sanctus habetur et inhabitat hominem. Unde ipsemet Spiritus sanctus datur et mittitur. » Cæterum, et ipse Apostolus: *Charitas Dei*, ait, *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (1).

316. Neque objicias hæc per appropriationem dici de Spiritu sancto. Respondemus enim per appropriationem quidem tribui Spiritui sancto infusionem donorum supernaturalium, quorum ratione sumus uniti ipsi; nequaquam vero per appropriationem, sed secundum proprietatem personalem dici mitti Spiritum sanctum, dari nobis: quod quidem manifestum est. Atqui, dari nobis profecto est uniri nobis, et inhabitare est unitus esse.

Ast, dicet forte quispiam, etiam Pater et Filius dicuntur nos inhabitare: « Si quis diligit me, *ait Christus* (2), sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus. » Respondemus: Christus in eodem sermone jam bis dixerat: « Ego in Patre, et Pater in me est (3) »; et rursum: « Ego sum in Patre meo (4) ». Similiter et Spiritus sanctus est in Patre, et Filio, atque vicissim. Unde si Spiritus sanctus unitur nobis et nos inhabitat, etiam Pater et Filius eo ipso in nobis sunt. Sed inde

(1) *Ad Rom.*, V, 5. Cf. Beelen, *Comment. in Epist. ad Rom.*, h. l.
(2) *Joan.*, XIV, 23.
(3) Ibid., 10 et 11.
(4) Ibid., 20.

non sequitur eodem modo nobis uniri tres personas divinas: sicut in Christo, ut ipsemet dicit, Pater est, et ipse in Patre; nec tamen inde sequitur Patrem hypostatice sibi univisse seu assumpisse naturam humanam Christi, quæ est solius personæ Filii. Unde Pater et Filius apud nos manent, præcise ratione unionis nostræ cum Spiritu sancto, supra explicata, seu ad nos veniunt et apud nos manent in Spiritu sancto et per Spiritum sanctum, qui solus ad nos missus est et nobis datus; quod quidem, scilicet mitti et dari convenit solummodo Spiritui sancto, ut personæ distinctæ a Patre et Filio, et similiter uniri nobis ac nos hoc sensu inhabitare. Merito etiam attenditur in eo sermone nusquam dicere Christum: mittet me Pater ad vos, dabit me vobis; sed: « veniam ad vos (1), ad eum veniemus (2) ». De Spiritu vero sancto dicit: « Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis (3)... quem mittet Pater in nomine meo (4) ».

Cæterum indoles hujus unionis cum Spiritu sancto mox clariorem in lucem collocabitur, ex iis quæ dicenda habebimus de ulteriore unione electorum in patria cum Filio, Sapientia Patris, secundum donum luminis gloriæ, cujus gratia sanctificans merito dicitur semen.

317. Interim, et hoc nemo non videt quam longe absimus a singulari sententia P. Lombardi (5), qui « ponit, *ait S. Thomas* (6), quod charitas non est aliquid in anima, sed ipse Spiritus sanctus mentem inhabitans. Nec est sua intentio, quod iste motus dilectionis quo Deum diligimus sit ipse Spiritus sanctus; sed quod iste motus dilectionis est a Spiritu sancto non mediante aliquo habitu, sicut a Spiritu sancto sunt alii actus

(1) *Joan.*, XIV, 18.
(2) Ibid., 23.
(3) Ibid., 16.
(4) Ibid., 26.
(5) Lib. I, dist. 17.
(6) 2, 2, q. 23, a. 2.

virtuosi mediantibus habitibus aliarum virtutum, puta habitu fidei aut spei aut alicujus alterius virtutis. Et hoc dicebat propter excellentiam charitatis. »

« Eatenus ille, *ait Petavius* (1), nobis audiendus est, quoad Spiritum sanctum doceat ipsum per sese communicari infundique justis, ac veluti formam esse qua sancti Deoque grati et adoptivi filii sunt; quo fit ut « Deo nos Deum diligere » Fulgentius affirmet; quod autem nullum præter charitatis habitum inesse putat, vehementer errat, et communi theologorum, imo vero fidei decreto notatur. Utrumque enim intervenit: et Spiritus ipse sanctus, qui filios facit, adeo ut si nulla infunderetur creata qualitas, sua nos ipse substantia adoptivos filios efficeret; et charitatis habitus ipse sive gratiæ, quæ est vinculum quoddam sive nexus, quo cum animis nostris illa Spiritus sancti substantia copulatur. Neque tamen propterea non ἀμέσως et proxime conjungitur; quemadmodum forma cum materia ἀμέσως itidem nectitur, etsi modus nescio quis intercedit ex multorum sententia, quam *unionem* vocant. »

Quod Petavius docet: Spiritum sanctum veluti formam esse qua sanctificamur et filii Dei adoptivi sumus, idem fere Lessius propugnat (2); discrepare tamen videtur a Petavio, quod Spiritum sanctum, qui immediate nobis unitur, an de persona qua tali intelligat, anvero per appropriationem, non omnino clare indicat; siquidem, in priore saltem loco, ubicumque Spiritum sanctum nominat, constanter addit: « seu divinitatem, » « seu divinam naturam ». Quodsi per appropriationem solummodo de Spiritu sancto loqui velit, eidem consentire non possumus, ut ex prædictis satis constat, sed facimus cum Petavio, qui eamdem sententiam ex

---

(1) *De Trin.*, l. VIII, c. VI, n. III.

(2) *De summo bona*, l. II, c. I. — Cf. *De perfect. div.*, l. XII, append. ad c. XI, præs. n. 9 et sqq.; ubi potius de Spiritu sancto personaliter loqui videtur.

Patrum scriptis solide ac dilucide confirmat (1), nec obiter tantum sed satis ample (2); quamquam de forma sanctificante plenius inquirendum remittit (3), ubi de gratia ac charitate et hærente in nobis sanctificatione disputabitur. Quod quidem, morte præventus, perficere non potuit; adducit autem, in modo citata tractatione de Trinitate, plures Patres quos jure asseverare ait « cum nullo interjecto medio sanctos nos fieri per ipsam Spiritus substantiam, tum nullam id creaturam posse perficere; tametsi substantiæ Dei, qua sanctificamur, comes sit infusa qualitas, quam vel gratiam vel charitatem dicimus. Primum horum, *addit audacter*, plerique tam diserta oratione confirmant, ut de eorum sensu ligitare sit impudentis (4) ».

Utrum vero hæc unio Spiritus sancti cum justis, ejusdemque habitatio in justis sit propria personæ Spiritus sancti, non remittit ad alium locum, sed, ut diximus, in locis citatis de Trinitate pertractat (5), iisdemque fere argumentis, quibus nos supra antequam ipsum legere potueramus, nostram opinionem declarat, nisi quod doctrinam Patrum egregie, pro more suo, addit; quod nobis intra limites harum meditationum non licet, quamquam ægre tamen ferentes hanc omissionem, ut heic insertam habere vellemus Petavii disputationem.

318. Tenemus ergo, tamquam firmis ac probabilibus argumentis fulcitum, in justificatione uniri personam Spiritus sancti cum persona humana, unione proin non substantiali et hypostatica, sed accidentali, quæ active est a tribus personis divinis communiter, passive vero seu terminative est in persona Spiritus sancti et persona

---

(1) *De Trinit.*, l. VIII; et cf. l. VII de processione Spiritus sancti, præs. c. XIII, n. XIX et sqq.

(2) Præcipue l. VIII, c. VI, n. V et sqq.

(3) Eod. lib. VIII, c. VI, in fine n. IV.

(4) Lib. VIII, c. VI, n. III.

(5) Loc. jam cit., præs. l. VIII, c. VI, n. V et sqq. Et cap. VII

humana, inque hoc altero termino fieri totam mutationem per infusa a tribus communiter personis dona supernaturalia ac divina, ita ut persona humana, secundum se tota, fiat consors divinæ naturæ in persona Spiritus sancti et filius Dei adoptivus : « Sic in homine justo tres utique personæ habitant. Sed solus Spiritus sanctus quasi forma est sanctificans, et adoptivum reddens sui communicatione filium. Non enim necessaria et naturalis hic filii proprietas agitur, quæ nonnisi ipsius divinæ Filii personæ applicatione conjunctioneque potest tribui (1) sed adoptiva et voluntaria. *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis* (2). Omnis autem voluntariæ bonitatis largitatisque fructus ad illum refertur Spiritum, qui ex voluntate procedit et substantialis charitas dicitur (3) ».

Hæc unio habitualis cum Spiritu sancto est in ordine supernaturali prima, et qua talis pure gratuita, quam nemo mereri potest ut sibi detur, quum deficiente omni proportione, etiamsi non haberet homo peccatum, ea dignus nemo sit ; neque ut in ea, jam accepta, permaneat, cum esse ponatur in via seu tempore probationis, in quo unio cum Spiritu sancto est hoc ipso amissibilis. Propterea dicitur donum infusum, secundum quod unimur personæ divinæ, *gratia*. Et additur *sanctificans*, quia persona creata particeps fit, secundum se totam, sanctitatis et dignitatis Spiritus sancti.

Licet nemo possit hanc proprie, i. e. de condigno mereri, potest tamen homo ratione utens, obsequendo gratiæ actuali mereri de congruo, ut eam accipiat, et, per bona opera supernaturalia ut in ea permaneat. In eadem unione, movet gratia actualis seu, appropriative loquendo, Spiritus sanctus per gratiam actualem ad

(1) Imo, attende, non applicatione qualicumque personæ Filii, puta personæ ad personam, sed conjunctione et unione hypostatica, deficiente personalitate humana.

(2) *Jac.*, I, 18.

(3) Ita Petavius, *de Trin.*, l. VIII, c. VI, n. VIII.

omne opus bonum, et consentiens gratiæ meretur de condigno, utpote dignificatus unione Spiritus sancti, augmentum gratiæ sanctificantis, cui respondet augmentum gloriæ in spe, hujusque consecutionem peracta feliciter probatione. Occasiones merendi sunt omnia quæ existunt, bona et mala: præcepta et consilia, mundus, diabolus et caro. Nam: « Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum » (1), non omnia singulis, sed omnia omnibus in universali, diversa pro locorum, temporum, conditionis personarum diversitate.

319. Finito tempore probationis, qui invenitur unitus cum Spiritu sancto habet proportionem dignitatis ut ad unionem secundam, arctiorem cum divinitate pertingat, quæ, cum non sit prima, nec gratuita est, sed merces; estque illa unio non solum secundum gratiam sanctificantem et charitatem, sed secundum lumen gloriæ et perfectionem charitatis. Et hæc quidem perfectio charitatis, juxta non paucos, eosque insignes theologos, intelligenda est, non tantum quatenus charitas patriæ est intensior, stabilis ac firma, inamissibilis, sed quod specie differat a charitate viæ, natura et specifica ratione perfectior, qua de re vid. Lessium, *De summo bono*, l. II, c. XIV.

Itaque unio cum Deo in via est secundum gratiam et consortium divinæ naturæ in Spiritu sancto, cui uniti filii Dei adoptivi sumus, atque secundum charitatem in voluntate, cum in intellectu non sit nisi unio cum Christo seu Verbo Dei secundum fidem, utique charitate formatam, dicente Apostolo: « Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati et fundati (2) », quæ tamen unio, quatenus præcise secundum fidem est, manet imperfecta; unio vero cum Deo in patria est secundum meritum et merces est, secundum consortium divinæ naturæ perfectius, cujus semen

(1) *Ad Rom.*, VIII, 28.
(2) *Ad Ephes.*, III, 17.

est gratia, atque non tantum secundum charitatem, quæ quidem non evacuatur sed specifice perficitur, in voluntate, sed et secundum visionem in intellectu per lumen gloriæ, quæ visio fidem evacuat.

Unde oritur quæstio an, sicut unio descripta in via est cum persona Spiritus sancti, ita in patria sit unio cum Verbo divino; quatenus, cessante statu probationis, qui unitus est cum Spiritu sancto habet proportionem dignitatis ut, propter æqualitatem divinarum personarum, uniatur cum Filio. Atque hæc rursum unio ita concipi deberet ut sit active a tribus communiter personis, passive vero seu terminative in sola persona Verbi et in *persona* electi, adeoque minime hypostatica, totaque mutatio producta sit in hoc altero termino per infusionem luminis gloriæ: adeo ut, quemadmodum unio cum Spiritu sancto est consortium divinæ naturæ in Spiritu sancto, quod se manifestat potissimum in voluntate per charitatem, sicut Spiritus sanctus per voluntatem procedit et est charitas substantialis; ita unio cum Verbo sit idem consortium divinæ naturæ perfectius in Spiritu sancto et Filio, quod se manifestet tum in voluntate per charitatem specifice perfectiorem, respondentem visioni Dei, tum in intellectu per lumen gloriæ, sicut Filius est Sapientia seu Verbum Patris, et lumen de lumine. Sitque hæc unio Verbi, non in modum doni et sanctificationis, sicut est unio Spiritus sancti, sed, secundum characterem personalem Verbi, in modum manifestationis suiipsius, ut loquitur Christus qui, dum de Spiritu sancto dicit, in admirabili sermone post cœnam supra sæpius citato, *dabit vobis, mittet eum ad vos Pater*, de seipso dicit: « Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo; et ego diligam eum et *manifestabo ei meipsum* (1) ». Et in modum similitudinis cum ipso, juxta verbum Joannis Apostoli: « Videte qualem charitatem dedit nobis Pater [in Spiritu sancto], ut filii

(1) *Joan.*, XIV, 21.

Dei nominemur et simus..... Charissimi, nunc filii Dei sumus et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (1) ». Profecto omni attentione digna verba.

320. Hæc quidem interrogando proponimus, estque hæc quæstio una ex illis, de quibus in fine præfationis nostrarum meditationum dicebamus, novis: non quod nova inventa addi debeant aut possint verbo Dei revelato, quod nefas est cogitare, sed quod novus, amplior atque clarior intellectus revelatarum veritatum exquiri valeat, idque deceat; prælucente scilicet veritate divina, tum in Scripturis, tum in sacra traditione Patrum contenta, eaque diligentius inspecta et enucleata, ex analogia fidei hujusmodi novæ quæstiones sunt elucidandæ. Et, hujusmodi quidem analogia fidei heic non deficit, ut ex modo dictis et comparatione cum unione Spiritus sancti satis apparet, utque commonstrant citati textus Scripturæ: quibus adde unionem sacramentalem cum Christo in sanctissima communione, quam omnes agnoscunt ut pignus futuræ gloriæ, quæque unionem præviam cum Spiritu sancto exigit, ita ut sit quodammodo intermedia inter hanc et illam gloriosam cum Verbo, cujus est figura et pignus. Unde et heic usui sunt quæ Patres de effectibus sacræ communionis, tum in animam, tum in corpus sancte communicantis præclare eloquuntur. Itaque unio cum Verbo concipitur ut reddens personam creatam, secundum se totam, gloriosam: ita ut in intellectu sit lumen gloriæ, eidem dans proportionatam facultatem videndi Deum, et per consequens gloriam beatorum ac per oppositum infranaturalem fœditatem damnatorum; ita ut detur voluntati perfectio charitatis et proportionata facultas diligendi Deum ut visum eoque fruendi; atque, pro hominibus, ipsum corpus glorificetur, deturque sensibus corporis

(1) *1 Joan.*, III, 1 et 2.

facultas proportionata percipiendi corpora gloriosa, qua talia, cum suis oppositis infranaturalibus. Qua proin unione, post unionem hypostaticam, nihil majus ac gloriosius nihilque beatius cogitari potest.

Cæterum, ut diximus, ad hoc ut quæstio solvatur et sacræ Literæ et veneranda Patrum traditio essent prius perlustrandæ, quod nunc per tempus nobis non licet, libenter autem faciemus postea, si Deo placeat. Deinde in hujusmodi inquisitione, sapienter et caute, cum animo religiose summisso procedendum est. Etiamsi enim talem esse aliquam unionem cum Verbo omnino constaret, nondum tamen vera natura et indoles hujus unionis inde explorata existit. Adeoque potiori jure addimus, quæ Petavius, de unione cum persona Spiritus sancti agens, advertit: « Qualem esse aliquam tanta illa sacrorum voluminum ac sanctorum Patrum auctoritas evincit, non tamen liquido nobis et aperte vim ejus et conditionem edisserunt. Itaque conjectura et interpretatione est opus, cauta illa quidem et circumspecta; ne aut anguste nimium de tanto illo beneficio sentiamus, aut ultra modum illud efferamus. Nostra igitur quæ privatim sit opinio, vel non dico, quia rem nondum compertam satis habeo; vel hoc loco non dico (1) ».

Quod autem unionem Spiritus sancti cum justis in hac vita attinet, putamus nos in hac universa disputatione aliquid contulisse ut ejus natura ac indoles clarescat.

De hac vero unione cum Verbo, secundum lumen gloriæ, hoc saltem affirmari nobis posse videtur, nihil ex fidei fontibus eidem contradicere, ex fidei vero analogia et comparatione cum prædicta unione Spiritus sancti plura eamdem suadere.

Dicet forte aliquis, quare non ascendis tandem ad

---

(1) *De Trin.*, l. VIII, c. VI, n. VI.

personalem unionem cum Patre, ita ut sit unio trium personarum divinarum personalis cum persona electi?

Responsum, quo potius confirmari hac objectione supra traditam doctrinam constabit, haud ægre invenitur: Pater non procedit, ejus character personalis est esse principium sine principio, adeoque non mittitur nec datur. Venit quidem ad nos et inhabitat eodem modo communi cum Filio et Spiritu sancto, non vero mittitur temporaliter, nec datur, nec inhabitat eo modo personali quo Spiritus sanctus et Verbum. Deinde quæ vel qualis esset qualitas supernaturalis electo infusa, ratione unionis personalis cum Patre? Non gratia sanctificans, non lumen gloriæ, alia nulla sive ex fidei fontibus sive ex fidei analogia assignatur; neque assignabilem puto, quæ cum charactere personali Patris conveniat. Nisi forte in B. Virgine, qua matre Dei, aliqualis, nescio quæ, peculiaris unio cum Patre inveniri potest, eaque potius analogica ad unionem prædictam cum Spiritu sancto et Verbo quam ejusdem rationis cum illa, vel fortasse consistens in plenitudine luminis gloriæ, sicut salutatur gratia plena, illa Mater admirabilis et benedicta in æternum. Unio personalis Patris cum persona creata proprie nulla est, sed solum cum personis divinis eaque ex communicatione unius identicæ naturæ divinæ.

321. Antequam huic introductioni finem imponamus, monito de usu et interpretatione sacrarum Scripturarum ad alium locum seorsim remisso, jam, universa dicta recolligentes, nos humiliter ante Jesum Christum, unicum Dei filium naturalem seu Patris unigenitum, Verbum incarnatum prosternamus, eumque devotissime adoremus: « Quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et sæcula. Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis (1). » « In quo sunt omnes

(1) *Ad Hebr.*, I, 2 et sqq.

thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi... Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (1) ». « Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum: et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (2) ».

(Continuabitur.)

---

(1) *Ad Colos.*, II, 3 et 9.
(2) *Ad Philip.*, II, 6 et sqq.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Aprilis.

—

I

Da analysim prioris partis dogmaticæ epistolæ S. Pauli ad Romanos I, 16 — VIII.

II

Demonstra in Deo esse processionem ad intra secundum operationem *voluntatis*.

III

Da notionem peccati mortalis *habitualis*.

IV

Quænam est malitia specifica trium peccatorum alienorum quæ fiunt per omissionem et nomine generico vocantur *cooperatio negativa?* Explica.

V

Explica quid sit cooperatio positiva stricte sumpta, immediata, mediata; materialis, formalis?

VI

Qualis est jurisdictio et quænam generatim obligationes *deservitoris*, qui vacante parochia vel absente parocho, ad regendam parochiam deputatur?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Januarii propositas.

—

I

Q. Explica Marc. II, 18-20: *Et erant discipuli Joannis et Pharisæi jejunantes: et veniunt et dicunt illi: quare discipuli Joannis et Pharisæorum jejunant, tui autem discipuli non jejunant? Et ait illis Jesus: Numquid possunt filii nuptiarum, quamdiu sponsus cum illis est, jejunare? Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt jejunare. Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt in illis diebus.*

R. *Erant jejunantes.* Præter jejunia a lege statuta, pii Judæi, quales erant discipuli Joannis Baptistæ et Pharisæi privata quædam jejunia observare solebant et, ut videtur, tunc præcise temporis hujusmodi traditionale jejunium agebatur: *erant jejunantes. Et veniunt et dicunt:* subjectum horum verborum in Marci textu, de quo solo hic agimus, esse non videntur discipuli Joannis et Pharisæi, nam non deberent postulare cur *ipsi* jejunent; et si postularent, dicerent: quare *nos* jejunamus. Quum autem de his sermo sit in tertia persona: *quare discipuli Joannis* etc., concludendum videtur verba *veniunt, dicunt* sumi modo impersonali (gallice *on vint*). — Multi tamen censent nihil impedire quin subjectum dicantur Pharisæi; ita Maldon., Lucas Brug., alii.

Jesus vero primo explicat quare discipuli sui non jejunent (vv. 19, 20); duplex comparatio quæ sequitur (vv. 21, 22) videtur potius rationem reddere cur alii jejunent: eo enim tendit, ut ostendat hominibus veteri agendi modo assuetis novum non esse imponendum. De primo responso tantum hic nobis agendum est, et duplex in eo punctum est secernendum.

1°/ Christus adhibet comparationem: *Numquid possunt* (responsio est evidenter negativa) *filii nuptiarum* scil. qui sponsos ad thalamum nuptiale deducunt, *quamdiu sponsus cum illis est, jejunare?* Jejunium enim est signum luctus et tristitiæ qui lætitiæ nuptiarum minime conveniunt. Facilis est comparatio cum discipulis Jesu: innuebatur societatem Christi cum apostolis suis aliquando abrumpendam esse (1).

2°/ A comparatione transit ad allegoriam. Etenim dubitari potest utrum paranymphi soliti fuerint jejunare post absoluta festa sponsalitia; præterea non dicit: quando recessit sponsus, tunc paranymphi jejunant, sed verba ponuntur in futuro, quod certo comparationi non quadrat; tandem sermo est non de absentia sponsi sed de violenta ejus ablatione; sensus ergo est: postquam morti traditus fuero, tunc lugebunt et jejunabunt.

Non injucundum erit animadvertere quomodo applicata fuerunt hæc verba initio Christianismi. Ante sæculum III non, sicut nunc, observabatur jejunium quadraginta dierum tamquam præparatio ad festa Paschalia, sed pleræque Ecclesiæ duobus tantum diebus jejunabant, seu, uti dicebant, ad nostrum textum provocantes, *in diebus in quibus ablatus est sponsus.* (Tert. *De jejunio* cc. 2, 13) (2).

A. D. B.

II

Q. *Præmissa notione tum* **significationis**, *tum* **suppositionis** *vocabuli expone quid significet et pro quo supponere possit vocabulum* **Deus**.

R. I. 1. *Significatio* vocabuli est vis quæ ipsi inest ad repræsentandam rationem mente conceptam. Vocabula

---

(1) Propositio quæ sequitur: *quanto tempore habent, etc....* facile abesse posset et de facto in quibusdam codd. omittitur.

(2) Cf. Funk, *Kirchengeschichtliche Abhandlungen* I, (1897), p. 248, sq.; Duchesne, *Origines du culte*, 3e éd. 1903, p. 241.

enim seu termini orales sunt signa intentionum intellectarum (1).

Quoad significationem vocabulorum notemus alia dici *abstracta*, alia *concreta*, et hæc divisio provenit ex ipso *modo* significandi. Etenim « *pro modo* repræsentandi objectum termini alii sunt abstracti, alii concreti. Abstractus dicitur qui mente exhibet formam aliquam quasi per se stantem et præcisam a subjecto cui inhæreat, ut *sapientia*, *bonitas;* concretus qui exhibet subjectum prout certa forma indutum, ut *sapiens*, *bonus*. » (2).

Ut plenius perspiciatur significatio vocabuli concreti et abstracti, præ oculis habendum est nos omnem intellectualem cognitionem haurire a rebus *materialibus* quarum cognitio nobis est connaturalis. « Et quia in hujusmodi creaturis ea quæ sunt perfecta et subsistentia sunt composita; forma autem in eis non est aliquid completum subsistens, sed magis *quo* aliquid est; inde est quod omnia nomina a nobis imposita ad significandum aliquid completum subsistens, significant in concretione, prout competit compositis; quæ autem imponuntur ad significandas formas simplices, significant aliquid non ut subsistens, sed ut *quo* aliquid est; sicut albedo significat ut *quo* aliquid est album » (3).

Hisce positis de origine et necessitate vocabuli abstracti et concreti, videamus ulterius quid significet *substantivum concretum*.

Substantivum concretum, quoad substantiam significationis, designat rem alicujus naturæ ut subsistentem. Ita v. gr. vocabulum *homo* quoad substantiam ejus significationis significat rem humanæ naturæ ut subsistentem. Sed quia in rebus materialibus omnia subsistentia sunt composita, ideo nomina quæ designant subsisten-

(1) Cf. De Jaegher, Institutiones Philosophicæ, Rollarii, 1900, n. 7.
(2) De Jaegher, op. c., n. 13. Cf. *Canisiusblad*, T. I, p. 165.
(3) S. Thomas, I, Q. XIII, a. 1, ad 2.

tia, quoad *modum* significandi designant naturam *ut in habente eam*, seu designant subjectum habens naturam. Ita v. gr. *homo* quoad *modum* significandi designat *habens humanitatem*.

2. « *Suppositio* est acceptio *termini substantivi* (nam adjectiva non supponunt, sed copulant) *pro aliqua* ex rebus quas nomen natum est designare » (1).

Differt igitur significatio a suppositione: significatio enim antecedit suppositionem et latius patet: quum enim vocabulum possit designare diversas res, suppositio facit ut hîc et nunc vocabulum designet tantum aliquam rem ex rebus quas natum est designare. « Apparet etiam quod nomina non supponunt nisi in propositione cujus sunt termini: nam ibi tantum, ex iis quæ sibi copulantur, determinantur ad standum pro uno potius quam pro altero eorum quæ inveniuntur in latitudine sui significati (2).

II. Ut possimus nunc determinare quid significet vocabulum *Deus* et exinde deducere pro quo supponere possit, imprimis consideremus oportet illud vocabulum natum esse significare *eadem ratione* ac alia substantiva concreta quæ efformamus. Hoc enim consequitur ex ipso modo cognoscendi nostro: nam quia objectum proprium et specificativum intellectus humani secundum præsentem statum unionis ad corpus est quidditas sive natura in materia corporali existens, et quia res materiales *subsistentes* sunt compositæ, ideo non possumus simplicia subsistentia apprehendere nisi per modum compositorum; præterea quia vocabula sunt signa in-

(1) Billot, *De Deo Uno et Trino*, Romæ, 1897, 2, P. Thes. XXXII, p. 54€. De terminorum suppositione agitur ex professo in Logica minori: cf. Tongiorgi, *Institutiones Philosophicæ*, Bruxellis, 1862, V. I, n. 79; Liberatore, Inst. phil., Prati, 1883, T. I, n. 26; Schiffini, *Institutiones Philosophicæ in Compendium*, Augustæ Taurinorum, 1893, n. 19; de Maria, *Philosophia Peripatetico-Scholastica*, Romæ, 1893, p. 59; Remer, *Summa Prælectionum Philosophiæ Scholasticæ*, Prati, 1895, T. I, p. 25; De Jaegher, op. c., n. 25.

(2) Billot, op. c., p. 547.

tentionum intellectarum ideo vocabula quæ adhibemus ad designandas res immateriales significant eadem ratione ac vocabula quibus utimur ad designandas res materiales. « Quia igitur et Deus simplex est et subsistens, attribuimus ei nomina abstracta ad significandam simplicitatem ejus, et nomina concreta ad significandam subsistentiam et perfectionem » (1).

Hisce positis, *Deus*, *primario* et *quoad substantiam* significationis (2) hujus vocabuli, dicit naturam divinam ut subsistentem : quum sciamus naturam divinam esse *per seipsam* subsistentem, imo ipsum Esse subsistens, hæc est res quæ primario designatur vocabulo Deus. Sed si ulterius consideretur formaliter *modus* significandi, sequitur, ut ex supra dictis constat, vocabulum *Deus* aptum esse etiam ad significandum secundario *suppositum habens* divinitatem (3) sicut *homo* designat suppositum habens humanitatem. Quia autem ex Revelatione cognoscimus naturam divinam per se ipsam subsistentem esse tamen communem tribus suppositis, ideo etiam vocabulum Deus habet de se ut proprie possit designare *personam divinam*.

2. Quum autem substantivum supponere possit pro omni quod continetur in latitudine sui significati, ideo vocabulum *Deus* supponere potest vel pro *essentia* divina, ut cum dicitur *Deus creat* (4), vel pro *Persona* divina, sive pro una tantum ut cum dicitur : *Deus*

---

(1) S. Thomas, I. Q. XIII, a. 1, ad 2.

(2) Agitur hic de vocabulo *Deus* prouti *proprie* dicitur, et non prouti quandoque *metaphorice* dicitur de creaturis, v. gr. *Exod.* VII, 1.

(3) « Licet in Deo sit omnino idem *quod est* et *quo est*, quia ibi nulla omnino datur compositio, nihilominus eminentia divini esse utramque rationem verificat ... Hinc essentia divina duplici modo a nobis significatur, id est tum nomine concreto *Deus*, tum nomine abstracto *divinitas* ». Billot, op. c., p. 537.

(4) Quando dicitur *Deus creat*, quum hoc prædicatum competat subjecto ratione formæ significatæ quæ est deitas, obvia acceptio termini *Deus* est ut intelligatur de essentia divina quæ est unicum principium *quod* creationis. Sed posset etiam dici *Deus Pater* creat, *Deus Filius* creat... vel etiam Deus, nempe Pater, Filius, Spiritus Sanctus creat.

generat, sive pro duabus ut cum dicitur *Deus spirat*, sive pro omnibus simul, ut cum dicitur *Regi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria* (1).

J. V. D. M.

III

Q. *Quomodo dissentiunt Probabilistæ et Æquiprobabilistæ in solvendo dubio positivo de cessatione legis certæ?*

R. Controversia, ut notum est, inter Æquiprobabilistas et Probabilistas hodiedum viget circa hæc duo puncta: 1/ in dubio de legis *existentia* concedunt Æquiprobabilistæ licitum esse usum opinionis probabilis pro libertate in casu dubii stricti, sed negant, saltem rigidiores (2), quoties opinio favens legi apparet agenti probabilior. Vide *suprà* p. 96. 2/ in dubio de legis *cessatione*. Hic dissentiunt Æquiprobabilistæ communiter a Probabilistis. Priores enim contendunt restringendum esse principium Probabilismi principio possessionis in casu dubii positivi stricti, id est « quando utrimque suppetunt motiva æque vel fere æque probabilia (3) ». Videlicet admittunt principium *Lex dubia non obligat* applicari legi dubie existenti, minime autem legi dubie cessanti, tunc enim, aiunt, lex possidet, saltem in dubio *facti*, id est « quando dubitatur de *existentia* facti, quo lex ejusve obligatio cessat. Secus vero est, quando constat de facto, sed dubitatur de *sufficientia* ejus ad finiendam obligationem; tunc

(1) I Timoth. I, 17. Cf. S. Thomas, I, Q. XXXIX, a. 4; Billot, op. c., l. c., Suarez, *De SS. Trinitatis Mysterio*, L. IV, c. XIV, nn. 6-11. Cf. *Collat. Brug.*, T. III, p. 607 et T. IV. p. 636.

(2) Plures enim Æquiprobabilistæ docent sequendam esse opinionem probabiliorem tantum quando est notabiliter probabilior, et hanc æquiparant moraliter vel quasi moraliter certæ, uti et nos diximus *suprà* p. 96. Ita inter præstantiores Aertnys, *Theol. Mor.*, (ed. altera, Tornaci 1890), T. I, Lib. I, n. 83 sqq., coll. n. 68, 70, 112; similiter ex Congr. SS. Red. Panzutti, Schmitt, Konings, Marc, Gaudé, Ter Haar, cit. apud De Caigny, *De gemino probabilismo licito*, Brugis 1901, p. 85 sqq.

(3) Aertnys, *l. cit.*, n. 56.

enim est dubium *juris*, in quo licet uti opinione probabili Doctorum... » (1) Ita qui dubitat (positive) utrum peccatum mortale certò commissum confessus fuerit, tenetur adhuc confiteri illud; secus vero, si dubitet utrum illud rite fuerit confessus.

Contrà Probabilistæ generatim docent principium Probabilismi esse absolutum adeoque, ubi agitur de sola honestate actionis, licitum esse sequi opinionem vere probabilem pro libertate, non tantum in casu obligationis contrahendæ, sed etiam in casu obligationis exstinguendæ, nulla etiam circa hanc distinctione facta inter dubium juris et facti. Via tamen diversa deveniunt ad eamdem conclusionem: alii enim restringunt applicationem principii possessionis ad materiam justitiæ vel saltem negant illud transferri posse ad materiam aliarum virtutum aliter quam hoc sensu quod homo dicatur possidere suam libertatem, donec certa probetur obligatio sive introducenda sive antecedenter existens; alii verò contendunt « principium possessionis saltem analogice et ad instar quasi-possessionis, applicari posse obligationi cujuscumque legis, nedum solius justitiæ (2) »; sed simul ostendunt illud valere in favorem libertatis, quoties hæc est vere probabilis.

Quod attinet *doctrinam S. Alphonsi* in hac quæstione, negari nequit S. Doctorem aperte favere Æquiprobabilistis. In prioribus quidem scriptis applicaverat principium possessionis ad modum quo id faciunt plerique Probabilistæ (3); sed inde ab anno 1764 illam applicationem immutavit ad modum, quem sequuntur Æqui-

---

(1) Aertnys, *l. cit.*, n. 96.

(2) Ita nuperrime P. Arendt apud *Anal eccles.*, 1902, p. 263. Hujus dissertatio, contenta articulis periodici citati, separatim prodiit sub titulo: *De conciliationis tentamine nuper iterato Æquiprobabilistas inter et Probabilistas Diatriba. Accedit Appendix triplex de decreto Innocentii XI super Probabiliorismum*, Romæ 1902.

(3) Cf. De Caigny, *De genuino morali systemate S. Alphonsi*, Brugis 1901, p. 53 sq.

probabilistæ, suprà expositum; neque, uti opinatus est Ballerini (1), S. Alphonsus pristinam suam sententiam mutavit tantum quoad specialem de voto quæstionem, sed quoad generalem principii possessionis applicationem (2). Objici quidem solent tria loca ex *Theol. mor.*, Lib. I, n. 99; Lib. III, n. 112 et 290; sed, cum dubitari nequeat de mente S. Alphonsi (3), sanæ interpretationis regulæ exigunt ut, si fieri possit, aliquo modo explicentur ita ut non contradicant doctrinæ ejus manifestæ, vel simpliciter emendentur, tamquam inadvertenter relicta ex editionibus anno 1764 anterioribus (4).

Nota. Ex dictis patet Æquiprobabilistas et Probabilistas *speculative* dissentire plurimum, spectatis scilicet principiis solutionis in casu dubii positivi stricti de legis cessatione; at *practice* non habetur ita magna inter ipsos distantia. Et primo quidem Æquiprobabilistæ, uti monuimus suprà, non urgent principium possessionis in favorem legis in dubio *juris*, sed tantum in dubio *facti;* deinde stricta probabilitas facti exstinguentis obligationem rarius aderit (5): nam si dubium est de ipso facto,

---

(1) In Gury, *Compendium theol. mor.*, T. I, in nota ad n. 80. Cf. Ballerini-Palmieri, *Opus theol. mor.*, I, p. 234 sq.; Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *De dubio solvendo in re morali*, n. 354, ubi scite advertit, postquam contradixit opinioni P. Ballerini: « Cæterum nescio quænam ratio discriminis esset inter obligationem voti et aliam, quoad præsens intentum ». Quæ animadversio tangit P. Arendt in sua *Crisi* (1897), p. 314 sqq. Cfr. *Anal. eccl.*, 1902, p. 270.

(2) Cf. De Caigny, *op. cit.*, p. 54 sqq.

(3) Sic, speciatim de *voto* loquens, dicit: « *Olim probabilem* hanc opinionem putavi [sc. solutam esse libertatem in casu voti probabiliter impleti], ductus magis a probabilitate extrinseca quam intrinseca; sed, re melius perpensa, *nunc minime illam probabilem censeo* » (*Theol. mor.*, L. I, n. 29). Et subjungit: « Quod autem diximus de voto, intelligendum est etiam de *satisfactione pœnitentiæ sacramentalis* ». Rursus: « Et idem dicendum est de obligatione recitandi *horas canonicas* et implendi pœnitentiam sacramentalem » (*Hom. Ap.*, Tr. I, n. 17). Cf. De Caigny, *l. cit.*, p. 60 sqq.

(4) Cf. De Caigny, *op. cit.*, p 66; Aertnys, *l. cit.*, n. 81. Unde a Probabilistis non sunt in subsidium vocanda illa loca, prout adhuc facit P. Lehmkuhl, *Theol. mor.*, T. I, n. 103 (Ed. decima, 1902).

(5) Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *op. cit.*, n. 356.

sæpe vel levis erit ratio dubitandi et tunc juxta omnes manet obligatio, vel tanta erit probabilitas facti ut moraliter vel quasi moraliter certò constet de eo, ut si existentia facti sit unice probabilis aut certò et notabiliter probabilior, et tunc juxta omnes manet libertas; denique si revera adsit dubium positivum facti, sæpe adhuc juxta Æquiprobabilistas vindicari potest libertas: nam duce S. Alphonso introducunt principia quædam subsidiaria, quibus obligatio, per se certa juxta ipsos, fiat per accidens dubia. Exemplo sint principia: « Ex communiter contingentibus prudens fit præsumptio », « in legum conflictu prævalet lex potior », « leges positivæ non obligant cum gravi incommodo » (1). Unde in utroque systemate devenitur ad easdem vel fere easdem de facto solutiones, ita ut practice vix remaneat dissensus.

H. M.

IV

Q. *Vindica modum solutionis propositum a Probabilistis.*

R. Vindicatur ope principii Probabilismi, quod *suprà* p. 95 sqq. invicte stabilitum fuit, sequenti np. modo: si vere probabile sit factum obligationem exstinguens, obligatio amplius dici nequit certa, sed prorsus incerta dici debet. Atqui obligatio incerta est obligatio nulla. Ergo. Sola *major* argumenti indiget probatione, quæ sic facile conficitur: si vere probabile sit ex. gr. me recitasse sextam, jam probari certò nequit obligatio adhuc recitandi. Hoc patet ex ipsa notione probabilitatis et certitudinis: probabile enim esse nequit, cujus

(1) Scribit P. Aertnys, *l. cit.*, nota 2, p. VIII: « Similiter, in dubio facti de legis cessatione docet [S. Alphonsus] legem obligare; sed in praxi præsumptio sæpe tollit dubitationem; confer e. g. in hoc opere lib. V, n. 40, qu. 6, lib. VI, n. 193, qu. 3. » Cf. ejusdem L. I, n. 96; De Caigny, *De gemino prob. licito*, p. 109 sqq.; Theol. Mechl., *De Conscientia*, n. 109, q. 6.

oppositum est certum, neque certum dici potest, cujus oppositum est probabile. Aliis verbis casus dubii positivi circa legis cessationem reducitur ad casum dubii positivi de legis existentia: nam si probabilis est ejus cessatio, eo ipso dubia evadit ipsamet existentia legis. Videlicet lex obligans non est lex quæ exstitit, sed quæ existit hic et nunc, neque est lex quæ existit in abstracto, sed quæ in præsenti sua certa obligatione nos ligat (1). Sic in exemplo: teneor certò recitare hodie sextam; sed, si vere probabile est (2) me jam recitasse, dici nequit me adhuc teneri, ideo præcise quia lex certò existebat ante probabilem recitationem vel quia dubitari nequit de legis existentia in abstracto; verum dici omnino debet incertum esse utrum adhuc tenear seu utrum *hic et nunc adhuc existat* obligatio recitandi. Ex quibus apparet liquido æquivocationem contineri in quæstione sic posita: quomodo solvendum sit dubium positivum de legis *certæ* cessatione; deinde, ut merito advertit Ill^s^ ac Rev^s^ Waffelaert (3), scientiam obligationis deficere non tantum in casu probabilitatis juris circa ipsam legem sed etiam facti legis impletæ, adeoque quoad præsens intentum inefficaciter distingui dubium juris et dubium facti; in qua distinctione hoc tantum inveniri potest, uti diximus in responso præcedenti, facilius haberi strictam probabilitatem in dubio de facti positi sufficientia ad finiendam obligationem (4).

---

(1) Bucceroni, *Institutiones theol. moralis*, T. I, *De conscientia*, n. 31; Génicot, I, n. 76.

(2) Dicimus: *si vere probabile est;* unde parum refert quod dubium sit strictum aut latum, dummodo sit positivum. Non enim obligatio fit incerta, *præcise et formaliter*, quia opinor legem jam fuisse impletam, sed quia hoc probabile est. Jamvero hoc judicium de probabilitate non abest in dubio stricto, quando np. intellectus « non inclinatur magis ad unum quam ad aliud... *propter apparentem æqualitatem* eorum quæ movent ad utramque partem, et ista est dubitantis dispositio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis » (S. Thom. *De Verit.*, Q. 14, a. 1).

(3) *Op. cit.* n. 356.

(4) Ipsi Probabilistæ dissentiunt quoad quæstionem de probabili solutione debiti ex justitia. Videtur tamen resolvenda juxta ea quæ diximus de

Quoad *applicationem principii possessionis*, hæc breviter advertere liceat. Si *stricte* loqui velimus, libertas dici debet esse in possessione (passiva) hominis, sed ipsa dici nequit possidere (active), nisi eo sensu improprio quod permaneat; et pariter obligatio dici nequit possidere (active), nisi eo sensu quod hominem adstringat: unde illa pseudo-possessio libertatis et obligationis, qua ipsæ dicuntur possidere, nihil aliud est quam earumdem existentia. Jamvero passivæ illi libertatis possessioni applicari posse videntur quæ generatim admittuntur de *actore et reo:* quamvis enim ideæ obligationis et libertatis sint correlativæ, et quamvis in ordine ontologico libertas et aliqua hominis obligatio simul coexistant; tamen in ordine logico libertas concipitur ut prior obligatione, cum hæc sit libertatis restrictio; quo sensu ab Angelico illud vocatur licitum, « quod nulla lege prohibetur » (1). Hinc in materia obligationis homo haberi potest tamquam *reus*, a quo np. aliquid petitur, adeoque adversus eum fieri debet obligationis demonstratio (2). Unde censebitur homo liber a quavis obligatione, quamdiu hæc non probetur certo eum ligare hic et nunc. Sed quis non videt tunc non solvi dubium vi præcise principii possessionis, sed solutionem simpliciter peti a principio reflexo: *obligatio incerta est obligatio nulla;* adeoque sic dictum principium possessionis in casu esse meram formulam, quæ repræsentat, minime vero efficit solutionem, sicuti diximus etiam pro dubio negativo (3). Sunt tamen AA. qui, *significatione quadam translata* usi, libertati et obligationi agnoscunt possessionem quamdam activam et analogam, et huic competere volunt privilegium quoddam analogum privilegio, quod communiter agnoscitur veræ

---

probabili impletione legis. Cfr. Ills ac Revs Waffelaert, *op. cit.* n. 357 sqq.; *Tract. de justitia*, T. II, n. 260 sqq.

(1) In IV Sent., dist. 15, q. 2, a. 4, quæstiunc. 3, sol. 2.

(2) Ita Cl. Bouquillon, *Theol. mor. fund.*, ed. 2a, n. 296, ed. 3a, n. 302.

(3) *Collat. Brug.*, T. VII, p. 641.

possessioni in materia justitiæ (1). Jam autem, *data non concessa* hujusmodi privilegii communicatione, nequaquam restringitur in casu proposito libertas. Privilegium enim illud non valet nisi pro actuali possessione certa. Jamvero supra ostendimus obligationem in casu nullatenus esse certam; nec præcedens obligationis existentia constituit præsumptionem pro obligatione subsequente (2), quasi præsumendum esset me adhuc teneri ad recitandam sextam, ideo præcise quia ante probabilem recitationem certo tenebar recitare. — Diximus *data non concessa*... Censemus enim principium possessionis, prout est verum principium, non mera formula, restringendum esse ad solam materiam justitiæ. Etenim rationes, ob quas principium possessionis dicitur valere ordinarie in materia justitiæ, np. præsumptio in favorem possessoris bonæ fidei et ratio boni communis, nullatenus currunt in materia aliarum virtutum, adeoque possessioni improprie dictæ libertatis et obligationis minime tribui potest privilegium simile veræ possessionis.

In summa igitur, quod attinet principium possessionis, statuimus contra Æquiprobabilistas hoc principio, si quid valeat, nullatenus restringi Probabilismum, cum ab illis non recte applicetur; contra eosdem et sat multos Probabilistas applicationem hujus principii *generalem* videri meram fictionem (3). Hujus deinde fictionis non perspicimus utilitatem in re morali; imo, experiendo constat ejus infaustus influxus.

H. M.

---

(1) Ita generatim Æquiprobabilistæ, quibus assentitur, etiam quoad modum applicationis, Card. D'Annibale in sua *Summula;* deinde plures Probabilistæ, qui tamen docent dictum principium facilius valere pro libertate, inter quos recentius P. Arendt, *l. cit.*

(2) Bouquillon, *l. cit.*

(3) Ita scribebat P. Vermeersch, recensens *Crisim* P. Arendt, apud *Revue Néo-Scolastique*, 1898, p. 97: « Avec *Billuart*, l'école thomiste, et plus récemment *Bouquillon*, nous ne voyons dans l'application *générale* de ce principe (de la possession) qu'une pure fiction, qu'on ferait bien de bannir de la théologie ».

V

Q. *Proba in omni peccato scandali haberi speciem contra charitatem proximi.*

R. **Prænota** circa sensum theseos probandæ. *In omni peccato scandali* activi (1) sive directi (2) sive indirecti (3), abstrahendo ab aliis malitiæ speciebus quæ actui peccaminoso scandalizanti inesse possunt, habetur *species peccati contra charitatem proximo* debitam, ità ut omne scandalum activum sit peccatum commissionis oppositum præcepto negativo charitatis, non nocendi scil. proximo in bonis spiritualibus.

Probatur. *1m argumentum: a fortiori.* Charitas, ut communiter omnes theologi docent, nonnumquam positivo præcepto obligat ad corripiendum proximum peccatorem (4) vel ad impediendum ne ruat in peccatum (5). Ergo *a fortiori* prohibet præcepto negativo ne quis alium inducat ad peccatum (scandalo directo), vel absque causa sufficiente ipsi occasionem peccati præbeat (scandalo indirecto).

Consequentia patet, cùm virtus obligans ad majus a fortiori obliget ad minus, et cùm major sit obligatio positiva avertendi proximum a peccato, quam obligatio negativa omittendi quod ipsi posset esse causa vel occasio peccati.

Neque immerito S. Thomas observat (6): « Scandalum est speciale peccatum propter hoc, quod intenditur speciale proximi nocumentum : et opponitur directe (et con-

---

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, suprà p. 31 ss.

(2) *Ibid.* p. 99 ss.

(3) *Ibid.* p. 102 ss.

(4) Cfr. *Collat. Brug.*, T. VII, p. 589 ss.

(5) Cfr. Illm ac Reverendm Waffelaert, *Annot. in Tract. de Virt. Theol.* Brugis 1900, n. 477.

(6) 2a 2æ, q. 43. art. 3. — Circa interpretationem hujus textus cfr. Illm ac Reverendm Waffelaert, *Etude de théologie morale sur la Coopération suivie d'une dissertation sur l'espèce morale du Scandale.* Bruges, p. 1883, p. 90 ss.

trarie) correctioni fraternæ, in qua intenditur specialis nocumenti remotio » (1).

2m *argumentum: ab absurdo.* Si scandalum non est semper peccatum contra charitatem, *scandalum indirectum nulli opponeretur virtuti* seu nullo modo esset peccatum, quod est absurdum et ab omnibus rejicitur. Ut enim infra (2) probabitur, in scandalo indirecto regulariter et per se non invenitur species malitiæ contra virtutem cujus læsioni occasio præbetur.

3m *argumentum: directum.* « Peccata proprie distinguuntur secundum objecta » (3) scil. ex integro considerata.

Atqui in omni peccato scandali objectum, ex integro consideratum, speciali modo opponitur charitati erga proximum.

Ergo in omni peccato scandali habetur species contra charitatem proximi.

Majorem ex tractatu de actibus humanis supponimus (4) et breviter *explicamus.* Suprema ac fundamentalis ratio distinguendi peccatorum species petitur ab eorum objectis ex integro consideratis, prout nempe

---

(1) Ex eo quod charitas non semper et in omni casu sed tantum sub certis conditionibus possibilitatis, utilitatis et necessitatis (*Collat. Brug.*, T. VII, p. 586 ss.) ad correptionem fraternam obliget, præpostere quis deduceret charitatem non semper prohibere scandalum. — Etenim conditiones quædam requiruntur ut obliget correptio fraterna, quia agitur de præcepto affirmativo seu de actu ponendo, qui aliquando justa de causa omitti potest; dùm contrà ubi agitur de scandalo jam (ex ipsis regulis suprà p. 100 ss. traditis) supponitur abesse justam rationem ponendi actionem scandalosam vel omittendi actum cujus omissio scandalizat proximum. Imò conditiones requisitæ ut obliget correptio fraterna aliquo modo verificantur in scandalo. Etenim non erit peccatum scandali si adsit vera impossibilitas agendi vel actum omittendi, ac semper utile ac necessarium est proximum non inducere neque ipsi absque justa causa præbere peccandi occasionem. Cfr. Illm ac Reverendm Waffelaert, *o. c.*, p. 131.

(2) In resp. V mensis seq.

(3) Cfr. S. Thomam 2a 2æ, q. 72, a. 1.

(4) Cfr. Bouquillon, *Theol. mor. fundam.*, 3a ed. Brugis 1903, n. 393 (ed. 2a, n. 387).

objecta sic intellecta complectuntur varia moralitatis (1) principia, in specie: a/ objectum stricte dictum seu finem operis intrinsecum, ad quem videlicet opus per se et ex natura sua tendit; b/ finem operantis qui aliquando coïncidit cum fine operis, nonnumquam vero ei extrinsece superadditur voluntate agentis; c/ circumstantias quæ rationem objecti ingrediuntur seu objectum directe vel indirecte afficiunt (2), adeoque speciem addunt.

Malitia peccati desumitur formaliter ex difformitate actus a regula morum seu a fine ultimo. Unde tot dantur peccatorum species (etiam in uno eodemque actu), quot in objectis actuum reperiuntur speciales difformitates seu repugnantiæ ad finem ultimum, seu ad diversa præcepta divina: Deus enim varios actus præceptis diversis injungit vel prohibet ratione specialis eorum proportionis vel disproportionis ad finem ultimum (3).

Minor probatur. Charitatis præceptum prohibet quominus proximo directe vel indirecte nocumentum afferatur in bonis tùm temporalibus tùm maxime spiritualibus. Atqui omnis actus scandali ex integro sumptus, per se natus est nocumentum afferre bonis proximi spiritualibus: per se enim et natura sua fit inductivus ad peccatum vel fit saltem peccati occasio (4).

Dicitur 1/ *omnis actus scandali* scil. sive actus jam sit in se peccaminosus contra Deum vel proximum vel ipsum peccantem, sive sit actus ex se bonus vel indiffe-

---

(1) i. e. conformitatis relate ad regulam morum supremam seu finem ultimum. Unde eadem sunt principia distinctiva actuum bonorum et malorum.

(2) Has circumstantias *addentes speciem* distinguere sedulo oportet a circumstantiis mere personalibus seu mere aggravantibus in eadem specie, quæ scil. mere afficiunt personam peccantem, nullo autem modo, ne indirecte quidem, afficiunt ipsum actus objectum. Cfr. Ill^{m} ac Reverend^{m} Waffelaert, *o. c.*, p. 113, 122

(3) Cfr. Ill^{m} ac Reverend^{m} Waffelaert, *o. c.*, p. 118.

(4) Vide suprà p. 31 ss.; 99 ss.; 102 ss.

rens; et rursum sive fiat per commissionem sive per omissionem (1).

Dicitur 2/ *ex integro sumptus* modo suprà exposito, ità ut objectum includat varia moralitatis elementa seu principia: malitia nempe contra charitatem in omni actu scandali oritur ex circumstantia damni spiritualis proximi explicite vel saltem implicite et virtualiter intenti, quæ circumstantia objectum actus immediate vel mediate afficit adeoque speciem contra charitatem constituit. — Quodsi damnum spirituale proximi per actum aliunde peccaminosum *explicite intendatur* a scandalizante (ut in scandalo diabolico), species contra charitatem proximi est *species principalis* et formalis seu essentialis in dicto peccato, et scandalum erit *peccatum speciale* juxta doctrinam S. Thomæ (2). Est pariter peccatum scandali speciale hoc sensu, quando actus scandalizans, ex se bonus vel indifferens unice vitiatur per circumstantiam damni spiritualis proximi: tunc enim actus fit certo peccaminosus, nec alia ipsi inest species malitiæ quam species contra charitatem, quæ eo ipso evadit principalis ac formalis (3). In reliquis casibus est *scandalum per accidens*, ut ait S. Thomas, i. e. species contra charitatem est *species accidentalis*, quædam peccati circumstantia speciem mutans seu speciem addens speciei actus principali ac formali.

E quibus patet in omni peccato scandali haberi speciem malitiæ sive *principalem* sive *accidentalem* contra charitatem proximi.

4^m^ *argumentum: auctoritatis*. Doctrina tenens in omni

---

(1) Vide Ill^m^ ac Reverend^m^ Waffelaert, *o. c.*, p. 126 s.

(2) Hanc esse mentem Doctoris Angelici quando dicit scandalum esse *peccatum speciale* (2^a^ 2^æ^, q. 43, art. 3; In IV, dist. 38, q. 2, art. 2, solut. 3^a^, quæstiunc. 2, quæstiunc. 3 etc.), finemque juxta S. Doctorem, dare *speciem formalem* in actibus moralibus, adeoque speciem malitiæ essentialem seu *principalem* in peccatis, abunde elucet ex jam sæpe laudata Dissertat. Ill^i^ ac Reverend^i^ Waffelaert, p. 90 ss. — Cfr. etiam ejusdem Auct. *Tract. de Prud. Fortit. et Temp.*, Brugis 1889, p. 213.

(3) Cfr. Ill^m^ ac Reverend^m^ Waffelaert, *o. c.*, p. 97 ss., 126.

peccato scandali haberi speciem contra charitatem proximi est hodiedum communissima inter theologos (1). Inter antiquos multo plures quidem ipsi faverunt (2), alii vero (3) quoad numerum et auctoritatem haud spernendi, docuerunt soli scandalo diabolico inesse speciem contra charitatem, quando nempe directe intenditur spiritualis ruina proximi. — Probe tamen notandum est plerosque hos auctores auctoritate ductos S. Thomæ amplexos esse hanc sententiam quam ipsius Angelici erronee autumabant, ut præclare ostendit Ill^s ac Reverend^s Waffelaert (*o. c.*, p. 90 ss.): horum autem auctoritatem, in quantum sententiæ S. Thomæ innititur, eo ipso cadere nemo non videt.

Præterea, probabililitas extrinseca cum intrinseca ità intime connectitur ut eam necessario supponat, et eousque duret quousque intrinseca præsumi potest; quodsi in casu particulari deprehenderimus quosdam theologos in errore versari, statim eorumdem auctoritas relate ad istam doctrinam evanescet (4). Jamvero, sententiam Vasquezii et aliorum vera probabilitate intrinseca gaudere dabit nemo qui, ex una parte argumenta in subsidium nostræ theseos adducta perpendet, et ex alia parte rationes antiquorum theologorum ab

---

(1) Catalogo Theologorum ab Ill^o ac Reverend^o Waffelaert citato addi possunt sequentes, qui post. a. 1883 de hac materia scripserunt et in omni scandali peccato speciem contra charitatem admittunt: Berardi, *Praxis Confes.*, Bononiæ 1887, vol. I, n. 593 ss; — Ballerini-Palmieri, *Opus theol.*, Vol. II, Prati 1890, n. 198; — Aertnys, C. SS. R., *Theol. Mor.*, Tornaci 1890, Tom. I, Lib. II, Tract. III, n. 60; — Theol. Mechl., *Tract. de Virt.* 1896, p. 184; Bucceroni, S. J., *Instit. Theol. Mor.*, Romæ 1893, Vol. I, n. 419 ss. — D'Annibale, *Summula theol. mor.*, Romæ 1896, T. II p. 75; — Lehmkull, S. J., *Theol. Mor.*, Friburgi Brisgoviæ 1898, Vol. I, n. 628; ed. X (1902) eod. num; — Génicot, S. J., *Theol. Mor. Instiiut.*, Lovanii 1898, vol. I, n. 232; etc. etc.

(2) Cfr. Ill^m ac Revend^m Waffelaert, o. c., p. 102 ss., 132 ss. 152.

(3) *Ibid.* p. 89 s. Inter ipsos numerantur Vasquez, Sanchez, Azor, Becanus, Bonacina, Durandus, Cajetanus, Bannez etc.

(4) Cfr. Bouquillon, *o. c.*, n. 268 (ed. 2^a, n. 263); — Ill^m ac Reverend^m Waffelaert, *De dubio solvendo in re morali*, Lovanii 1880, n. 122, — *o. c.*, p. 103.

Ill° ac Reverend° Waffelaert in laudata dissertatione confutatas librare favebit. Unde dictæ sententiæ auctoritas extrinseca jam tota evanescere dicenda videtur. Sit igitur sequens:

Conclusio: doctrina tenens *in omni peccato scandali haberi speciem contra charitatem proximi* apparet ità certa ut, sententia affirmans solum scandalum diabolicum charitati opponi, vera probabilitate destituta appareat.

A. C.

VI

Q. *Quibusnam in missis omittitur commemoratio festi duplicis aut semiduplicis simplificati, vel festi simplicis, de quibus tamen commemoratio facta est in officio?*

R. Prænotatur commemorationes in missis communiter respondere commemorationibus factis in officio. « Commemorationes in missis fiunt sicut in officio » ait *Rubr. gen.* VII, 1. Dicimus communiter, plures enim dantur exceptiones, vi ipsarum rubricarum vel decretorum. Ut autem clarius determinetur quibusnam in casibus commemoratio aliqua, et in specie duplicis aut semiduplicis simplificati vel simplicis, facta in officio, omitti debeat in missa, distinguimus inter missas conformes et missas non conformes officio recitato a celebrante.

I. In missis conformibus officio: 1° In Dominica Palmarum et in Vigilia Pentecostes omittitur, tam in missis privatis, quam in solemnibus, quævis commemoratio duplicis, semiduplicis vel simplicis quamvis de iis facta sit commemoratio in primis Vesperis et in Laudibus. Ita rub. cit.: « De festo duplici aut semiduplici, cujus facta est commemoratio per modum simplicis in officio, etiam in missa fit commemoratio, non excepta missa solemni in festis duplicibus secundæ classis, sed *excepta Dominica Palmarum ac Vigilia Pentecostes* », et inferius, l. c., ubi agit de commemoratione facienda festi simplicis, prosequitur rubrica: « Excipitur pariter

Dominica Palmarum et vigilia Pentecostes, in quibus *nulla fit commemoratio etiam in missis privatis* de festo simplice occurrente, licet facta sit in officio ».

2° In festo duplici secundæ classis omittitur in omni missa hujus festi solemni seu cantata et etiam in lecta, si sit conventualis (1), non autem in missis privatis, commemoratio simplicis, quamvis de eo facta sit in Laudibus. « De festo simplice, ait rubrica, l. c., fit commemoratio in Missa, quando de eo in officio facta est commemoratio in primis Vesperis (2). Quando autem de eo fit commemoratio tantum ad Laudes (3), in missa solemni non fit commemoratio de eo, sed in missis tantum privatis. Excipitur pariter Dominica Palmarum et vigilia Pentecostes etc. ».

3° Addi potest tertius casus pro diebus Expositionis SS. Sacramenti occasione Precum XL horarum (4) vel Adorationis perpetuæ. Infra Octavam SS. Corporis Christi missa canitur de octava cum unica oratione *absque commemorationibus* et collectis, quamvis officium sit semiduplex de octava et habeat commemorationes. Item illis diebus, quibus indultum missam votivam de SS. Sacramento (vel *de Pace* aut de alia necessitate) non permittit, missa una cantatur diei currentis, addita oratione SS. Sacramenti (vel etiam *de Pace* etc.), sed omissis commemorationibus, ea quibusdam in casibus

---

(1) Decr. 7 dec. 1888, n° 3697 ad 7.

(2) Addi potest: vel facta fuisset, nisi per accidens concurrisset festum simplex cum duplice 1 cl., quod in suis secundis vesperis excludit commemorationem sequentis simplicis.

(3) Quod locum habet in occurrentia simplicis cum duplice secundæ classis. Rubrica nullam mentionem facit de duplice primæ classis excludente commemorationem tum duplicis et semiduplicis simplificati, tum simplicis, quia hæc festa in occurrentia cum duplice primæ classis, non obtinent nequidem commemorationem *in officio*, sed, nisi transferri possint, penitus omittuntur juxta rubricas Breviarii IX, 7 et X, 1, 5 et 8 etc. De illis ergo nec potest fieri commemoratio in missa sive solemni, sive privata festi duplicis 1 classis.

(4) Quæ instituuntur servata forma tradita in Instructione Clementina.

excepta de Dominica vel feria majori, vel forte etiam de die Octava (1).

II. Si agitur de missa non conformi officio recitato : 1° In missis *de Requie* omittuntur omnes commemorationes factæ in officio diei ; nulla enim habetur ratio festi aut officii occurrentis vel anni temporis in quibus celebrantur, et « In missis defunctorum, ait rubrica tit. VII, 6, nulla fit commemoratio pro vivis, etiam si oratio esset communis pro vivis et defunctis ».

2° « In missis votivis, quando solemniter dicuntur pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa (2), dicitur una tantum oratio » (*Rubr.* IX, 14). Omittenda ergo est quæcumque commemoratio, tum duplicis aut semiduplicis simplificati, tum a fortiori simplicis, de quibus tamen fit in officio et in missa diei ; et quidem « unica dicenda est oratio, etsi una tantum cantetur missa, ut accidit in ecclesiis, ubi onus missæ conventualis non existit » (3).

3° Item inter missas votivas privilegiatas, quæ scilicet officiis dierum in quibus celebrantur non conformes, vi rubricarum vel ex speciali gratia Sedis Apostolicæ permittuntur vel etiam ejusdem auctoritate præscribuntur propter causam non semper publicam vel gravem sed convenientem aut opportunam (4), plures sunt, quæ quamvis votivæ solemnes *pro re gravi* dici non possint, ad instar tamen earum celebrantur, unicam admittunt orationem et consequenter excludunt commemorationes sicuti officii currentis, ita etiam duplicis aut semiduplicis simplificati et a fortiori simplicis. Inspicienda sunt in singulis casibus singularia privilegia et conditiones ex tenore rubricarum, indultorum vel decretorum. Ita ai in missa votiva, quæ juxta rubricas generales, tit. VI, in ecclesiis, « ubi Titulus est Ecclesiæ, vel con-

---

(1) Decr. 18 maii 1883, n. 3574, v. Cfr. *Calend. liturg.*, Prænotanda, *de missis votivis*, 2°. Cfr. Ill. Vanderstappen, *de rubr. miss.*, q. 281.

(2) Cfr. Ill. Vanderstappen, *de rubricis missalis*, q. 206.

(3) *Decr. gen.* 30 Junii 1896, N° 3922, II, 3.

(4) Ill. Vanderstappen, *l. c.*, q. 207.

cursus populi ad celebrandum festum quod transferri debet », cantari potest de Sancto cujus officium transfertur, unica dicitur oratio, exclusis commemorationibus, prouti in votiva solemni pro re gravi, etsi unica tantum missa cantetur (1); b/ In missa solemnitatis in Dominicam translatæ, festorum Epiphaniæ, SS. Corporis Christi, SS. Petri et Pauli, ac Patroni præcipui locorum, juxta decr. 2 dec. 1891 (2) admittitur, et quidem in ecclesiis tantum « ubi non adest missæ conventualis obligatio », commemoratio Dominicæ, sed aliæ commemorationes diei omittuntur; c/ In missa votiva solemni SS. Sacramenti quæ celebrari potest ex speciali indulto in Oratione quadraginta horarum vel (pro nostra Diœcesi) in Adoratione perpetua omittitur quælibet commemoratio. In missa autem *de Pace* vel pro alia necessitate (in secunda die Expositionis quadraginta horarum), admittitur sola commemoratio SS. Sacramenti, aliæ omittuntur (3). d/ Missa votiva SS. Cordis per decretum 28 junii 1889 (4), quibusdam sub conditionibus et exceptionibus, concessa pro feria VI quæ prima in unoquoque mense occurrit, juxta decretum 20 maii 1890 (5) celebrari debet ritu quo celebrantur missæ votivæ solemniter *cum unica oratione*, etiamsi missa sit lecta seu sine cantu (6). — e/ In missa Dedicationis quæ celebratur post consecrationem altaris (sine consecratione Ecclesiæ), omittuntur omnes commemorationes (7). Idem dicendum de missa quæ post Bene-

(1) *Decr. 29 Jan. 1752, nº 2417 ad 7 et 7 Aug. 1875*, nº 3365 ad 4.

(2) Nº 3754 ad 2, Vide *Collat. Brugen.* 1900, p. 595.

(3) *Decr. 18 maii 1883*, nº 3576 ad V. Vide *Calend. liturg.*, Prænotanda, *de Missis votivis*, 2º.

(4) Nº 3712.

(5) Nº 3731 ad 1.

(6) Decr. 20 maii 1892, nº 3773; vide *Calend. liturg.*, Prænotanda, *de missis votivis*, 3º.

(7) Decr. 23 febb 1884, nº 3605 ad III : « Peracta consecratione alicujus *Ecclesiæ* vel *Altaris*, in Pontificali Romano præscribitur ut dicatur Missa prout notatur in missali in ipsa die Dedicationis Ecclesiæ vel Altaris, Quæritur : In hac missa sive agatur de Consecratione *Ecclesiæ*, sive de

dictionem et impositionem primarii lapidis vel post Benedictionem novæ Ecclesiæ celebratur juxta Pontificale de Sancto in cujus nomine Ecclesia fundatur vel benedicitur; omittuntur omnes commemorationes (1).

4° « In ecclesiis quæ ad missam conventualem tenentur, si missa votiva solemnis (*vel cantata*) ex causa *non gravi* vel ex fundatione celebretur, nunquam omittatur missa conventualis de die : tunc vero in missa votiva fieri non debet commemoratio festi, de quo missa conventualis celebrata fuit » ; omittuntur a fortiori in casu commemorationes aliæ jam factæ in eadem conventuali de die. « In ceteris vero ecclesiis, si de festo currente prius alia missa celebrata non fuerit, in missa votiva addantur tam oratio diei quam aliæ occurrentes ». (2)

Consecratione *Altaris*, debent ne fieri illæ commemorationes, quæ ne in duplicibus quidem primæ classis omittendæ, uti de Dominica, de feria privilegiata etc. »? R. Negative, si agatur de Consecratione *Altaris;* Affirmative, si agatur de Consecratione *Ecclesiæ*. « Ita in nova Collectione authentica Decretorum. Ponitur ergo discrimen inter missam Dedicationis Ecclesiæ quæ admittit commemorationes et missam Dedicationis Altaris quæ eas excludit. Ratio autem est, quod missa Dedicationis *Ecclesiæ*, supposito quod officium recitetur de Dedicatione (inde a Tertia), correspondet officio et est festiva. Admittit ergo commemorationes quæ in duplice 1 cl. fiunt, v. gr. Dominicæ et feriæ majoris. E contra, in Dedicatione solius *altaris* non recitatur officium de Dedicatione, missa ergo Dedicationis est extra ordinem officii, est votiva privilegiata ad instar votivæ solemnis, ideoque omittuntur commemorationes.

(1) *Decr. cit.* ad 1 et 2.

(2) *Decr. gen. 30 junii 1896,* n° 3922, IV, 2. Cum hoc decreto conferri potest aliud 7 Aug. 1875, n° 3365 ad IV : Dubio « An... si non *cantatur* missa de officio, debeant adjungi oratio de officio et aliæ orationes præscriptæ, vel una tantum dici debeat oratio,...., quando obtentum fuit ab aliqua ecclesia privilegium vel canendi missam vel omnes missas recitandi, quæ non concordant cum officio illius ecclesiæ »? Respondetur : « orationem officii diei et aliorum occurrentium in missis privatis addendas esse, et etiam in illa cum cantu *si de festo currenti prius alia missa non celebretur, nisi aliter constet ex speciali indulto*. » Quod dicitur : « si de festo currenti prius alia missa celebrata non fuerit », videtur intelligendum de alia missa *solemni* vel *cantata*. Quod autem juxta utrumque decretum in missa votiva, de qua agitur, fieri non debeant commemorationes officii currentis, ideo non concludendum nonnisi unicam orationem esse dicendam, sed cum hæc votiva non sit *pro re gravi et publica ecclesiæ causa,* et « nisi aliter constet ex speciali indulto » censenda non sit privilegiata,

5° Item in ecclesiis choro adstrictis (ubi nempe adest obligatio missæ conventualis), quando juxta rubricas (Tit. III, 1) duæ (vel plures) missæ sunt cantandæ, una de festo seu officio recitato, altera (vel etiam tertia) de feria majori vel vigilia, in missa de festo fiunt commemorationes occurrentes de duplice aut semiduplici simplificato, et (salvis rubricis) de simplice, sed in altera missa de feria vel vigilia omittuntur.

6° Quando celebratur missa de Sancto cujus non recitatur officium, sed de quo commemoratio facienda est in officio et in missa diei; v. gr., si festo semiduplici occurrente cum simplice, sacerdos (prouti licet) celebrat missam de illo Sancto cujus festum simplex celebratur, patet in hac missa omittendam esse hujus commemorationem, ne bis de eodem dicatur oratio.

7° Decreto S. R. C. 9 dec. 1895 (1) de conformitate missæ cum officio Ecclesiæ in qua celebratur, statuitur sacerdotes tam sæculares, quam regulares, in ecclesia vel oratorio publico *omnino* celebrare debere missas officio ejusdem ecclesiæ vel oratorii conformes; nisi in illa ecclesia vel oratorio officium agatur quod permittat votivas vel *de Requie;* eo enim in casu liberum est dicere missam vel conformem proprio officio vel *conformem officio ecclesiæ aut oratorii ubi celebratur*, vel votivam, vel *de Requie,* vel de currente feria. Ex hac regula sequitur, sacerdotes, casu quo sese conformare debent, vel libere sese conformant officio ecclesiæ vel oratorii, debere negligere proprium calendarium, etiam quoad commemorationes; et consequenter, si in illa ecclesia missa non admittit commemorationes duplicis aut semiduplicis simplificati vel simplicis, quas celebrans recitavit in officio, hæ omitti debent (2).

H. V. D. W.

---

sequitur regulas votivæ privatæ et requirit præter orationem ipsius missæ ad minus duas alias, quæ erunt in casu orationes communes pro respectivo tempore quo missa celebratur. Cfr. *Ephem. liturg.* 1901, p. 675.

(1) Vide *Collat. Brug.* 1896, p. 90 et p. 259.

(2) Decr. 3 julii 1896, n° 3924, ad III. Vide *Collat. Brugen.* 1897, p. 104.

Dissertatio.

Circa dispensationem episcopalem super affinitate illicita, signanter in concursu cum impedimento publico consanguinitatis.

Inter officia confessarii confessionem excipientis nupturientium, non infimum sane locum occupat officium interrogandi pœnitentem *circa existentiam impedimentorum*, eorum saltem quæ natura sua publica non sunt nec solent extra confessionem detegi, signanter impedimenti affinitatis illicitæ oriundæ ex copula habita a sponso cum consanguinea sponsæ in 1° vel 2° gradu et vicissim. Pone igitur confessario, prudenti facta interrogatione, innotescere occultum impedimentum affinitatis illegitimæ in 1° gradu lineæ collateralis penes sponsum pœnitentem, et ex alia parte omnia jam esse parata ad nuptias, nec matrimonium, usque dum ab Apostolica Sede obtineri possit dispensatio, absque periculo gravis scandali differri posse.

Ad determinandum modum agendi confessarii, in hujusmodi occurrentia, *multiplici distinctione* est opus:

I/ *Si nullum aliud matrimonio obstat impedimentum,* neque publicum neque occultum, potest confessarius prudenter remittere sponsum ad hujus parochum proprium, qui, in diœcesi Brugensi, ex subdelegatione Episcopi, respectu subditorum opportuna facultate existit habitualiter munitus, juxta dicta apud *Collat.*, V, p. 611-612. Quod si, salvo sigillo, fieri nequit, vel in id consentire renuit pœnitens, remanet ut ad Episcopum, salvo sigillo, recurrat confessarius sive per postam, sive per directum nuntium, non autem per telegramma, nisi alia media omnino desint. Cf. *Collat.* l. c.

Eadem valent si affinitas de qua in casu oriretur ex copula habita a sponso cum consanguineis sponsæ post

executionem dispensationis super alio impedimento obtentæ. Cf. *Collat.*, l. c.

II/ *Si simul detegitur aliud impedimentum* natura et facto *occultum*, puta criminis, jam frustra dirigetur sponsus ad parochum, qui, ratione concursus alterius impedimenti, omni destituitur facultate, uti notatur apud *Collat.*, I, p. 381 et seq. et in *Libro Manuali*, ed. 2ª, p. 191-193. Solus adeoque patet recursus ad Episcopum, qui, vi quinquennalium S. Pœnitentiariæ, in urgentis necessitatis casu, super utroque præfato impedimento (1) dispensare valet non tantum singillatim sed etiam *cumulatim*, uti ipsa S. Pœnitentiaria providit in fine *Pagellæ* (2).

III/ Si sponsus, de quo quæritur, cognoscitur *simul obnoxius impedimento publico fori externi*, puta consanguinitatis, super quo jam petita est dispensatio (ante contractam affinitatem nondum executioni mandata) (3), sive *Romana*, quia attingitur secundus gradus qui, respectu catholicorum, excedit facultates episcopales, sive *episcopalis*, quando agitur de tertio vel quarto gradu : in utraque hypothesi recurrendum est ad Episcopum qui, in *priori* casu, ad normam dictorum apud *Collat.*, V, p. 613-614, potest convalidare dispensationem invalidè concessam super impedimento consanguinitatis, et simul dispensare super impedimento noviter detecto affinitatis illicitæ, idque vi potestatis specialiter delegatæ, vel vi potestatis quasi-ordinariæ, pro varia hypothesi, uti latius exponitur loco citato, quo loco pariter describitur recurrendi modus in casu occurrente.

---

(1) In *Pagella* S. Pœnitentiariæ pro Episcopis occurrit n. XI, facultas dispensandi in casu urgenti super affinitate illicita etiam in ordine ad matrimonium *contrahendum*, et n. XII, super criminis impedimento.

(2) « Mens nostra est... 3º ut his facultatibus non solum singillatim sed etiam cumulatim in uno eodemque casu uti possitis ».

(3) Si autem ante contractam affinitatem executioni fuerit mandata dispensatio in hujusmodi impedimento publico fori externi, jam non foret attendendum impedimentum publicum, adeoque super sola affinitate illicita maneret dispensandum, uti modò notavimus.

Porro circa *recursum ad Episcopum* in *altero* casu, nonnulla latius adnotare juvat:

A/ Quod spectat **modum recurrendi:**

Debet confessarius, nisi tempus *omnino* urgeat, quod est extra suppositum, conficere supplicam, in qua petitur dispensatio super affinitate illegitima occulta, simul indicando dispensationem esse petitam pro foro externo super consanguinitatis impedimento. Conficiendus est libellus supplex *pro foro conscientiæ,* adeoque fictis nominibus et omissis omnibus indicationibus ex quibus possent innotescere personæ dispensandæ.

Specialis hic iterum occurrit difficultas parcendi legi sigilli sacramentalis necnon famæ nupturientium, cum facile suspicaturus sit Officialis oratores, ad ipsum, tacito nomine, recurrentes, eosdem esse cum quibus jam dispensaverit super impedimento consanguinitatis, quorumque nomina et prænomina expressa fuerint in supplica pro foro externo. Attendendæ proinde sunt cautelæ quæ proponuntur apud *Collat.*, V, p. 614.

B/ Quod spectat **exercitium** *potestatis episcopalis:*

Episcopus, ut casui præsenti opportune provideat, nulla indiget facultate speciali. Nimirum

1°/ Vi *Pagellæ*, n. XI, ad quinquennium concedi solitæ, obtinet Episcopus facultatem dispensandi super « impedimentis affinitatis ex copula illicita etiam in matrimoniis contrahendis... quando omnia parata sint ad nuptias... »; vi autem quinquennalium S. C. de P. F., Formula III, n. 3, potest idem Episcopus dispensare super impedimento consanguinitatis in 3° et 4° gradu simplici et mixto, in contrahendis et in contractis.

2°/ Hujus potestatis exercitio non obstat utriusque impedimenti *coexistentia*, affinitatis scil. et consanguinitatis; vi namque decreti C. S. O., 18 Aug. 1897, provocantis ad decretum ejusdem S. Congregationis, 31 Martii 1872, Episcopus non eget speciali facultate cumulandi in concursu impedimenti *publici* cum *occulto,*

modò super utroque impedimento respective valeat dispensare (1). Cf. *Collat.*, V, p. 608.

Gravis tamen relinquitur **difficultas solvenda.**

Nimirum vel Episcopus, oblata supplica pro foro interno ut dispensetur super affinitate occulta, simul mentione facta impedimenti in foro externo seorsim relaxati, *solum attingit impedimentum occultum affinitatis*, et tunc non intelligitur quomodo sanetur dispensatio super consanguinitate *invalide*, uti videtur, concessa; vel Episcopus *etiam attingit impedimentum consanguinitatis* et super eo dispensat simul ac super affinitate illicita, utrimque pro foro interno, et tunc manet explicandum vi cujusnam facultatis id valeat, cum indultum S. C. de P. F. dispensandi super consanguinitate videatur restringi *ad solum forum externum*, adeo ut eo uti nequeat Episcopus pro foro conscientiæ et juxta formam huic foro propriam. Jamvero

1ª Sententia contendit quod, quando a S. Pœnitentiaria vel ab Episcopo postulatur dispensatio pro foro interno super impedimento occulto, simul relato impedimento publico, super quo est petita dispensatio in foro externo, quod Pœnitentiaria vel Episcopus, in dispensando, *solum attingant impedimentum occultum*, affinitatem illicitam in casu, super qua vidimus Episcopum, in casu urgenti, habere facultatem pro foro conscientiæ. Tenent nempe hujus sententiæ patroni dispensationem super solo impedimento publico seorsim obtentam *non esse invalidam*. Docent quidem *regulariter*, juxta principia Curiæ Romanæ, omnia impedimenta in eadem supplica esse exponenda et simul dispensanda, adeo ut dispensatio penitus irrita sit et nulla nisi super omnibus simul impedimentis impendatur; atvero ab hac lege irritante excipiunt casum quo « unum impedimentum

(1) Si deficeret Episcopo potestas delegata, profectò ipsi suffragaretur potestas quasi-ordinaria, ad quam tamen, uti sæpius jam notavimus, non potest recurrere quotiescumque ipsi suppetit potestas delegata. Cf. *Collat.*, V, p. 543 et 544.

sit notorium, alterum occultum et tale ut sine infamia manifestari nequeat ». Ita Schmalzgrueber, *in Librum IV Decret.*, ad tit. XVI, n. 178; collatis Pyrrho Corrado, *Praxis Dispensat. Apostol.*, l. VII, cap. VI, n. 79; Reiffenstuel, in *Appendice ad L. IV Decret.*, n. 252 et 253, qui Auctores referunt et amplectuntur sententiam Sanchez, *De matrimonio*, L. VIII, disp. XXIII, n. 7; quibus accedunt, inter recentiores, Van de Burgt, *Tractat. de dispens. matrim.*, n. 61; Rosset, *De Matrimonio*, n. 2636.

Utique debet, juxta prælaudatos Auctores, in libello supplici exprimi etiam impedimentum publicum, sed ideo hoc necesse est, notat Schmalzgr., l. c., « non quod Pœnitentiaria (vel Episcopus) etiam super hoc dispenset, aut quasi ab illa (seu illo) dispensatio super illo petatur, sed quia Pœnitentiaria (vel Episcopus) etiam super impedimento occulto difficilius dispensat quando jungitur cum alio ». Ex quo etiam passim deducunt iidem Auctores non referre utrum in dicto casu prius *recurratur*, imo prius *dispensetur*, pro foro interno quam pro foro externo (1).

Atvero falso nititur fundamento sententia proposita. Nullatenus namque a generali lege irritante eximitur casus quo impedimentum publicum concurrit cum occulto. Potest quidem in litteris pro foro externo seorsim exprimi solum impedimentum publicum, et dispensatio

(1) « Nec refert sive prius proponatur utrumque (impedimentum) S. Pœnitentiariæ et postea publicum Papæ, sive e contrà. Quia idemmet est effectus et utroque modo intentioni Pontificis satisfit. Et ita his diebus venit ad manus meas dispensatio S. Pœnitentiariæ in hujusmodi casu, ubi affinitas illicita contracta erat cum consanguinea, et tenor commissionis sic se habebat: si ita est, dispensa, postquam cum ipso et dicta sorore super consanguinitatis hujusmodi impedimento dispensatum fuerit. Ubi supponitur nondum dispensatum esse per Pontificem in consanguinitate.

Et similiter credo posse tunc confessarium, cui S. Pœnitentiaria hoc committit, dispensare in ea affinitate, licet nondum impetrata sit consanguinitatis dispensatio, ut postea, ea impetrata, possint illi licite contrahere ». Sanchez, l. c.

super eo impertita efficit ut impedimentum illud jam non attendatur in foro fori, sed coram foro conscientiæ dispensatio indubitanter est invalida ob reticitum impedimentum occultum. Si autem coram conscientia invalidè et nulliter est dispensatum, perseverat et manet impedimentum coram foro conscientiæ quasi super eo non esset dispensatum; ac proinde in supplica pro foro interno utriusque impedimenti, publici et occulti, mentio est facienda *non tantum ut tota causa exponatur, sed ut super utroque impedimento dispensatio obtineatur.*

Quæ nullitas dispensationis, super impedimento publico impetratæ, ob omissam mentionem concurrentis impedimenti occulti, ad evidentiam innotescit ex non paucis S. Sedis documentis. Ita v. gr. in indulto Episcopo Brugensi ad annum concesso a S. Pœnitentiaria legitur facultas « dispensandi seu convalidandi litteras dispensationis super *quovis* impedimento (adeoque etiam super impedimento publico fori externi) a S. Sede expeditas, *quæ nullæ fuerint ob omissam mentionem... occultæ affinitatis ex copula illicita provenientis...* ». Id pariter deducitur ex Constit. Bened. XIV, *Pastor Bonus,* par. 40 et 41, cujus egregiam interpretationem lege apud Giovine, op. cit., n. 11. Cf. etiam facultatem annalem, n. III, apud *Librum Manualem,* ed. 2ª, p. 208-209.

Ex quibus liquet S. Pœnitentiariam vel Episcopum dispensantem pro foro interno in casu concurrentis impedimenti occulti cum publico, pro foro externo relaxato, non tantum dispensare super impedimento occulto sed simul etiam super impedimento publico, quæ dispensatio super impedimento publico æquivalenter continetur in sanatione seu convalidatione dispensationis nulliter impertitæ, uti innuitur in ipso tenore modò citatæ facultatis: « dispensandi *seu* convalidandi... »; dispensatur autem in *foro interno* super impedimento illo publico, quia, attenta dispensatione notoria super ipso impetrata et occulte dumtaxat invalida,

occultum evasit, seu censetur esse ablatum pro foro externo et coram solo foro conscientiæ perseverare.

In hoc interpretandi modo, a plerisque antiquioribus seposito, convenimus cum Giovine, *De Dispensat. matrimonialibus*, Tom. II, Consult. XXVII^{a}, par. 5^{a}, in subsidium adducente, n. 11, auctoritatem Marci Pauli Leo valde gravem: « Non satis est S. Pœnitentiariæ solum exponere impedimentum occultum, sed oportet ut exponatur et publicum, ac dispensatio *nulliter* desuper obtenta: sic enim *in foro interno dispensatur denuo*, et super impedimento publico quod factum est occultum propter publicam dispensationem, quia in foro fori fuit, licet nulliter, super eo dispensatum, et super alio impedimento per se occulto ».

Porro addit laudatus Giovine, n. 12: « Ex hoc infertur non prius a Pœnitentiaria super occulto, et inde a Dataria super alio publico impedimento petendas esse dispensationes in casu, circa quem versamur; sed prius ad Datariam confugiendum est pro relaxatione impedimenti publici, postmodum vero ad Pœnitentiariam, tum ut dispensare dignetur super impedimento occulto, tum quoque ut revalidet latentem nullitatem dispensationis a Dataria obtentæ super publico impedimento » (1).

Quod consectarium hoc sensu ducimus admittendum quod possit quidem prius *recurri* pro foro interno antequam recurratur pro foro externo, non tamen possit pro foro interno *dispensatio executioni mandari*, nisi postquam pro foro externo dispensatum fuerit (2).

Qua ratione consentimus partim cum Sanchez aliisque ipsum sequentibus, ubi docent non referre utrum prius

(1) Gasparri, *Tract. canon. de Matrim.*, I, n. 327 notat: « in praxi consultissimum erit ab hac sententia non discedere ».

(2) Dicitur: « executioni mandari », quia nihil videtur obstare quominus S. Pœnitentiaria (vel Episcopus) *mandatum det dispensandi* super utroque impedimento pro foro interno antequam Dataria dispensandum mandaverit super impedimento publico, modo hujus dispensationis executionem sequatur prioris fulminatio.

proponatur utrumque impedimentum Pœnitentiariæ et postea publicum Datariæ sive e contrà (1); sed partim dissentimus ab ipsis, quando nempe contendunt confessarium ad dispensandum in foro interno electum posse *fulminare dispensationem*, nondum impetrata dispensatione in foro externo; et sane ipse tenor rescripti ad quod provocat Sanchez favet quidem priori asserto, sed plane contradicit alteri, cum S. Pœnitentiaria in dicto rescripto exequendam mandet dispensationem, « *postquam* cum ipso et dicta sorore super consanguinitatis hujusmodi impedimento *dispensatum fuerit* » in foro externo.

Conclusio igitur stat deserendam esse explicationem, juxta quam Episcopus, dispensans pro foro interno, in concursu impedimenti publici cum occulto, solum attingat impedimentum occultum : ipsum scilicet super utroque impedimento dispensare non videtur dubium.

Integra proinde relinquitur solvenda quæstio suprà posita, *vi* nempe *cujusnam facultatis* id valeat Ordinarius. In quam quæstionem solvendam proponitur

2ª Sententia, quæ illam potestatem Episcopi derivandam vult ex indulto S. C. de P. F. Quod ut explicent Auctores sic opinantes, contendunt quinquennalia S. C. de P. F., quibus fruuntur Episcopi Belgii, circa relaxanda impedimenta matrimonii, et signanter circa impedimentum consanguinitatis, absolute et absque restrictione concedi *pro utroque foro* (2), adeo ut super

(1) Ita manet locus practicæ animadversioni Theol. Mechl., *De Matrimonio*, 1894, p. 385: « Præstare autem aliquando potest ut primo petatur dispensatio secreta a Pœnitentiaria, ne forte, obtenta dispensatione a Dataria, illa negetur in Pœnitentiaria, et sic inutiles expensæ fiant in Dataria ».

(2) Formula « *pro utroque foro* » duplici modo accipitur prouti afficit *dispensationem* vel dispensandi *facultatem*. *Dispensatio* dicitur concedi vel valere pro utroque foro, quando conceditur pro foro externo, quia eo ipso per se vim habet etiam in foro interno, uti exponitur apud *Collat.*, V, p. 352-353; *facultas* autem dispensandi dicitur concedi pro utroque foro, quando, juxta subjectam materiam, potest adhiberi vel pro foro

illis dispensare valeat Ordinarius pro foro externo vel pro foro interno, prout impedimentum est facto publicum vel occultum: unde nihil obstaret quominus, in casu occurrente nostro, Episcopus dispenset *pro foro conscientiæ,* idque in ordine ad matrimonium contrahendum, non solum super affinitate illegitima sed etiam super consanguinitate invalide dispensata ob defectum occultum. Arguunt autem hujusmodi explicationis patroni ex principio a Suarez (De Legibus, l. VIII, cap. VI, n. 11) posito: « Privilegium simpliciter concessum in utroque foro censendum est, nisi ex subjecta materia vel circumstantiis, adjuncto usu, aliud sufficienter constet »; in Formula autem III, nn. 3, 4, 5 et 6, *simpliciter* et absque explicita quoad forum restrictione, inseritur facultas a S. C. de P. F. ad quinquennium elargita dispensandi super consanguinitate et affinitate licita in 3 et 4 gradu, super publica honestate ex sponsalibus orta, super crimine neutro machinante et super cognatione spirituali.

Quæ doctrina, pro practico quod habet momento non tantum in concedendis sed etiam in petendis dispensationibus ab Episcopo, meretur ut aliquantisper in ea immoremur. Profectò omnes admittunt præfatas facultates concedi pro foro externo, sed tota controversia vertitur in hoc utrum eis libere uti valeat Ordinarius *etiam pro foro interno,* casu quo ignoratur dictorum impedimentorum existentia, utrum vero restringantur ad *solum forum externum.*

Si primum, Episcopi possunt vi illarum facultatum dispensare super memoratis impedimentis, statim ac facto sunt occulta, *in forma propria foro interno*, adeoque parochi et confessarii possunt ad Episcopum recurrere

---

externo vel pro foro conscientiæ, seu quando delegatus facultate obtenta uti potest ad dispensandum pro foro externo et modo huic foro conveniente, vel pro foro interno et juxta formam huic foro propriam, prout agitur de impedimento publico vel occulto.

tacitis sponsorum nominibus; si alterum, non potest Ordinarius super illis, quantumvis facto occultis, dispensare nisi sub forma foro externo conveniente, expressis in supplica oblata nominibus et prænominibus oratorum.

Jamvero, uti jam notavimus suprà apud *Collat.*, VIII, p. 133, ad minus tutior est et sola in praxi commendanda sententia juxta quam *ad solum forum externum* inserviant facultates matrimoniales S. C. de P. F., saltem circa impedimenta *natura publica*, nempe circa consanguinitatem, affinitatem legitimam, cognationem spiritualem et publicam honestatem, seposito impedimento criminis natura occulto.

Revera impedimenta *natura publica*, juxta constantem praxim Curiæ Romanæ, per se pertinent ad forum externum et relaxanda sunt sicut publica, etiam ubi ignorantur et facto occulta evaserunt, adeo ut facultas super illis dispensandi, *nisi peculiari dispositione aliter provideatur*, ex subjecta materia intelligenda sit tanquam pro foro externo elargita ac juxta formam foro externo propriam executioni mandanda.

Ita a facultate S. Pœnitentiariæ dispensandi pro foro conscientiæ eximuntur impedimenta consanguinitatis, affinitatis licitæ et cognationis spiritualis, *etiam occulta facto* (1), et si dispensare valet S. Pœnitentiaria super publica honestate ex sponsalibus occultis, etiam in ordine ad matrimonium contrahendum, id non potest nisi *ex speciali Pontificis licentia*, uti notat Bened. XIV, *Instit. Eccles.* 87ª, n. 7. Pariter *vi ejusdem peculiaris statuti* nonnulla valet in ordine ad relaxanda dicta

(1) « At a dispensationibus concedendis super quocumque impedimento ex quovis gradu, sive consanguinitatis, sive affinitatis ex copula licita, seu ex cognatione spirituali proveniente etiam in foro conscientiæ tantum, *tametsi impedimentum sit occultum*, et periculum scandalorum immineat, in iisdem matrimoniis *contrahendis* abstineat » M. Pœnitentiarius. Constit. Bened. XIV, *Pastor Bonus*, par. 39, in *Parvo Bullario*, tom. II.

impedimenta natura publica et facto occulta, ubi agitur de matrimoniis *contractis* (1).

Nec deest ratio qua nitatur hujusmodi disciplina: impedimenta namque natura publica, etiam ubi per accidens eorum existentia ignoratur, passim absque gravi incommodo possunt divulgari, cum censeantur nullam adnexam habere infamiæ notam, ac aliunde nata sint de facili innotescere postea. Bonum igitur videtur ut super illis, etiam quando latent, regulariter dispensetur pro foro externo et eo modo quo de dispensatione elargita publice constare possit.

Ex quibus non immerito deducendum videtur, cum Auctoribus, suprà, tom. VIII, p. 133 citatis, facultatem dispensandi super impedimentis consanguinitatis, affinitatis licitæ, cognationis spiritualis et publicæ honestatis, utpote natura publicis, facultatem, inquam, illam, *nisi contrarium notetur* vel authentica interpretatione sensus aliter determinetur, interpretandam esse quasi afficiat *solum forum externum*, ac pro foro interno usurpari nequeat (2). Episcopus namque in usu et interpretatione suæ potestatis delegatæ sese conformare debet stylo et praxi Romanæ Curiæ.

---

(1) « In *contractis* vero matrimoniis, a dispensatione, seu matrimonii revalidatione, in gradibus primo et secundo, seu secundo tantum, consanguinitatis vel affinitatis ex copula licita, *etiam in occultis*, pariter abstineat; præterquam si in secundo tantum gradu prædicto, impedimentum, saltem per decennium, duraverit occultum, et oratores simul publice contraxerint et convixerint, et uti conjuges legitimi reputati fuerint. In tertio autem et quarto gradibus *occultis* in *contractis* possit dispensare » Idem M. Pœnitentiarius. Ibidem, par. 40.

(2) Non est negandum posse dari casus in quibus ex una parte non patet recursus Romam et ex alia parte agitur de auferendis impedimentis natura quidem publicis sed facto occultis nec sine magno incommodo divulgandis; atvero, si Episcopus in hujusmodi occurrentia non potest recurrere ad potestatem delegatam ut dispenset pro foro conscientiæ et in forma huic ei propria, ipse semper præsto est potestas quasi-ordinaria, quam Episcopo agnoscendam esse plus semel jam vindicavimus non tantum circa impedimenta natura et facto occulta sed etiam circa natura publica et solo facto per accidens occulta. Cf. *Collat.* . V. p. 539-541.

Et ita solvitur objectio ex principio Suarez deducta, cum de limitatione ad solum forum externum, *ex ipsa subjecta materia, ex usu et praxi Sedis Apostolicæ* sufficienter constare videatur; simul etiam patet nos non arguere ex hoc solo quod agatur de indulto a S. C. de P. F. et non a S. Pœnitentiaria concesso; nos enim non latet inter laudatæ S. Congregationis facultates quasdam reperiri pro solo foro conscientiæ adhibendas, uti in n. 1 Formulæ III (1), vel etiam pro utroque foro, quemadmodum plerumque admittitur pro facultate absolvendi a censuris Rom. Pont. reservatis, quæ occurrit n. 10 in eadem Formula III.

Dicitur « *nisi contrarium notetur* », sicut contigit v. gr. in facultatibus pro Jubilæo ad Orbem extenso anni 1901, uti videre est apud *Collat.*, VI, p. 281 et seq. (2); item in nonnullis indultis extraordinariis pro locis missionum, qualia refert Putzer, *Comment. in Facultates Apostol.*, ed. 1898, n. 236, v. gr. ut « in omnibus consanguinitatis et affinitatis gradibus jure divino non prohibitis, excepto primo gradu, dispenset in matrimoniis contractis et contrahendis, et quidem in partibus ubi locorum Ordinarii de facili adiri possunt, *in foro conscientiæ tantum* »; tandem in amplissima Formula E, conceditur facultas « dispensandi *in utroque foro*, in matrimoniis sive contractis sive contrahendis » super consanguinitate, affinitate licita, idque in proximioribus gradibus. (3) Cf. Putzer, op. cit., n. 236 et seq.

---

(1) « Absolvendi ab hæresi, apostasia .. in foro conscientiæ tantum ». Cf. *Librum Manualem*, ed. 1ª, p. 174.

(2) Ita confessarii in ordine ad lucrandum Jubilæum electi poterant *in foro conscientiæ* dispensare super occulto impedimento 3i et 4i gradus imo 2i gradus mixti cum 3io consanguinitatis vel affinitatis licitæ pro matrimoniis contractis, et super cognatione spirituali etiam in matrimonio contrahendo.

(3) Dantur etiam Auctores, uti Putzer, l. c., qui opinantur, nescio an merito, hunc tenerem ampliantem Formulæ E « *in utroque foro* », non posse intelligi *absolute*, sed facultatem ibidem concessam esse restringen-

Et hæc igitur altera sententia etiam seponenda videtur.

Cæterum, ni fallimur, valde obvia datur *solutio difficultatis* in

3ia **Sententia.** Nimirum Episcopus, postquam pro foro externo, vi quinquennalium S. C. de P. F. dispensaverit super consanguinitate, dispensat pro foro interno super affinitate illicita, vi indulti S. Pœnitentiariæ pro casu urgenti, et simul, sanando dispensationem in foro externo nulliter concessam, *æquivalenter dispensat* pro eodem foro interno super consanguinitate, non quidem vi indulti S. C. de P. F., quod ad solum forum externum pertinere vidimus, sed simpliciter *vi dispositionis juris*, quæ, ad tramites decreti C. S. O. 1897, concedit Episcopum posse dispensare super impedimento publico concurrente cum occulto, modò, quod contingit in casu, super utroque impedimento respective facultatem obtinuerit.

Eo namque ipso Episcopus omnia valet quæ requiruntur ut dicta impedimenta *juxta normam in Curia statutam* rite auferantur; adeoque, cum stylus et praxis Curiæ postulet ut, prævie facta dispensatione in foro externo super impedimento publico, deinde dispensetur *pro foro interno* super *utroque* impedimento, eo ipso, *vi nempe invocatæ juris dispositionis,* ad hanc *duplicem* dispensationem concedendam necessario extenditur Episcopi potestas.

A. D. S.

---

dam ad tramites facultatum M. Pœnitentiarii, ita ut eam accipienti non suffragetur ad dispensandum *pro foro conscientiæ,* super consanguinitate, affinitate licita et cognatione spirituali, *facto occultis*, nisi in matrimoniis *contractis* tantum, aliisque servatis restrictionibus M. Pœnitentiario imponi solitis.

Fabriques d'église

Séance légale du mois d'Avril

Les Conseils de fabrique sont tenus de se réunir, en séance ordinaire, le 5 Avril prochain, dimanche des Rameaux (art. 10 du décret du 30 Déc. 1809).

Cette séance doit être principalement consacrée aux diverses élections et nominations à faire par le Conseil: ainsi

1° Il doit être procédé au renouvellement de *la grande moitié* des membres électifs du conseil (art. 7 du décret de 1809; articles 1 et 6 de l'arrêté royal du 12 Mars 1849).

On pourra trouver toutes les instructions désirables au sujet de ce renouvellement dans *Collationes Brugenses*, T. II, p. 75, 134 et 143; et dans le *Juris can. et juris can. civ. compendium* de De Brabandere-Van Coillie (édition de 1899), T. II, n. 992 ss.

Toutefois nous jugeons utile de donner la solution d'un cas quelque peu embarrassant, qui pourrait se présenter:

Supposons un conseil de fabrique comprenant cinq membres électifs: le nombre des membres chargés de procéder à l'élection, pour le renouvellement de la grande moitié, sera de quatre (deux membres électifs et les deux membres de droit (1). Le scrutin donne le résultat suivant: X obtient quatre voix; Y et Z obtiennent chacun deux voix: X est proclamé élu: mais Y et Z ne peuvent l'être, puis qu'ils n'ont pas recueilli la majorité absolue des voix, soit parce que deux des membres électeurs se sont abstenus ou ont déposé un billet blanc, soit parce qu'ils ont donné leur suffrage à

(1) Voir *Collationes Brugenses*, T. II, p. 144 s.

un autre candidat : car cette majorité s'établit d'après le nombre des membres *présents* sans distinguer s'ils prennent part au vote ou s'ils s'abstiennent (1). Il faudra donc recourir à un nouveau scrutin pour la nomination de deux membres. *Mais X élu au premier tour pourra-t-il prendre part à ce second vote?* Non; l'art. 8 du décret est formel à cet égard : « les conseillers qui devront remplacer les membres sortants seront élus par les membres *restants* », c'est-à-dire les membres non soumis à réélection; puisque X n'appartient pas à cette catégorie, il ne pourra pas voter pour le renou-nouvellement du conseil, bien qu'il puisse valablement prendre part à toute délibération sur un autre objet. Voir *Revue cathol. de droit*, T. III, p. 165. — Dans le cas donné si les deux membres persistent dans leur abstention, on ne pourra pas proclamer élu le plus âgé des candidats, ni décider par la voie du sort, ni préférer celui auquel le président a donné sa voix (car le président n'a pas voix prépondérante *en matière d'élections*); mais l'Evêque devra nommer lui-même, après une mise en demeure préalable, conformément à l'art. 8 § 2 du décret (2). Telle est la seule solution conforme à la jurisprudence. Voir *Coll. Brug.*, T. II, p. 79.

2° Le conseil ainsi complété, procède immédiatement à la nomination ou au renouvellement de son président et de son secrétaire (art. 9 du décret de 1809). Pour que cette nomination soit valable, il faut la présence de plus de la moitié des membres du conseil *complet* (Arr. roy. du 7 Oct. 1895), c. à d. de 4 ou de 6 membres au moins (3).

3° En troisième lieu le conseil doit réélir ou remplacer les marguilliers ou membres du bureau, dont le mandat a expiré. Comme on ne peut être membre du

(1) Cfr. De Brabandere-Van Coillie, *l. c.*, p. 284.

(2) Voir De Brabandere-Van Coillie, *l. c.*, n. 994, T. II, p. 285.

(3) Le même nombre est exigé pour l'élection des marguilliers, dont sub 3°.

bureau sans être actuellement membre du conseil (art. 11 et 13 du décret), les marguilliers qui font partie de la grande moitié du conseil, quoique réélus comme conseillers, ne sont pas confirmés par là même dans leur mandat de membres du bureau : mais ils sont à cet effet soumis à réélection (1). C'est une des raisons pour lesquelles les conseils de fabrique peuvent se trouver dans le cas de procéder, en la séance de ce jour, à l'élection de *plusieurs* marguilliers.

*
* *

Le bureau des marguilliers doit se réunir, ce même Dimanche, aux fins de nommer ou renouveler son président, son secrétaire et son trésorier : pour cette élection la présence de trois marguilliers au moins est requise ; et seuls les marguilliers sont éligibles à l'une ou l'autre de ces dignités (art. 19 et 20 du décret de 1809). Voir De Brabandere-Van Coillie, l. c., T. II, n. 1034.

*
* *

Rappelons enfin qu'il doit être envoyé, avant le 19 Avril prochain, à l'évêché et à l'administration provincial, un procès-verbal des élections faites, accompagné d'un état complet indiquant la composition du conseil de fabrique et du bureau des marguilliers, et la date de nomination de chaque membre. *Epist. circ. Ill. ac Rev^mi Episcopi Brugensis* 5 Febr. 1903. — *Circulaire du Gouverneur de la Flandre Occ.* du 1er Mars 1894 et du 1er Mars 1897.

H. V. D. B.

(1) Circ. du Gouverneur de la Flandre Occ. du 1er Mars 1894 et du 1er Mars 1897. Cfr. De Brabandere-Van Coillie, *l. c.*, T. II, n. 1033.

Jurisprudence administrative

I

Fabrique d'église et bureau de bienfaisance. — Legs.

LÉOPOLD II, Roi des Belges,

A tous présents et à venir, SALUT.

Vu l'expédition du testament et du codicille reçus, les 23 octobre 1900 et 17 juillet 1901, par le notaire Claeys, de résidence à Bruges, et par lesquels Mlle Sophie Monballiu, boutiquière, demeurant à Saint-André, dispose notamment comme suit :

Testament. *(Traduction.)* « ... Je donne et lègue à la fabrique de l'église de Saint-André, une maison à deux demeures avec dépendance, sise au village de Saint-André, près de l'église, ainsi que la partie de terre contenant environ 12 ares, située à côté de la maison de M. le vicaire, à charge de faire exonérer dans l'église paroissiale de Saint-André à perpétuité, six messes chantées pour le repos de mon âme et de celles de mes parents et de mes trois frères, avec distribution, après chaque messe, de vingt-cinq francs de pains aux pauvres, et cela respectivement au jour anniversaire ou vers le jour anniversaire de mon décès et du décès de mes parents et de mes frères et en outre de faire proclamer nos noms à perpétuité dans la prière annale. »

Codicille. *(Traduction.)* « Je maintiens mon testament public du 23 octobre dernier, et en confirme toutes les dispositions, à l'exception cependant des six distributions annuelles de pains stipulées de vingt-cinq francs chacune, lesquelles devront être remplacées par une seule distribution de trente francs de pains aux pauvres de Saint-André, une fois le jour de mon enterrement. »

Vu les délibérations en date des 29 septembre et 4 décembre 1901, 6 avril et 7 mai 1902, par lesquelles le bureau des marguilliers de l'église et le bureau de bienfaisance de Saint-André sollicitent l'autorisation d'accepter ce legs, chacun en ce qui le concerne ;

Vu les réclamations dirigées contre le legs précité par et au nom de divers parents de la testatrice;

Considérant que celle-ci a institué une légataire universelle qui profiterait, à l'exclusion des réclamants, de toute réduction qui serait opérée sur le dit legs;

Sur la proposition de Notre Ministre de la justice,

Nous avons arrêté et arrêtons:

Art. 1er. La fabrique de l'église de Saint-André est autorisée à accepter le legs qui lui est fait aux conditions imposées et à charge notamment de payer la somme de 30 francs au bureau de bienfaisance de cette localité pour couvrir les frais de la distribution de pains aux pauvres.

Art. 2. Le bureau de bienfaisance de Saint-André est autorisé à accepter la somme de 30 francs qui devra lui être payée par la fabrique de l'église de cette localité en vertu de l'article précédent.

Notre Ministre de la justice est chargé de l'exécution du présent arrêté.

Donné à Laeken, le 25 novembre 1902.

LÉOPOLD.

Par le Roi:
Le Ministre de la justice,
J. Van den Heuvel.

Observations. 1° Nous attirons l'attention de nos lecteurs sur le motif pour lequel le ministre de la Justice repousse la réclamation des parents de la testatrice, contre le legs fait à la Fabrique, à savoir l'institution d'une légataire universelle, appelée à recueillir la succession entière, au cas où la Fabrique n'eût point été autorisée à accepter le legs en question. Un considérant semblable se trouve énoncé dans l'arrêté royal du 24 Mars 1901, en ces termes: « Considérant, au surplus, que la testatrice a institué un légataire universel subsidiaire pour le cas où la fabrique de l'église de Thourout ne pourrait pas accepter sa succession; que dès lors il n'est pas au pouvoir du gouvernement de faire profiter la réclamante de ce que la

dite fabrique ne serait pas autorisée à recueillir sur le montant du legs universel en question ».

Voilà donc trouvé le moyen d'empêcher que les dispositions pieuses ou charitables d'un testament ne soient réduites, sur la réclamation de certains parents que le testateur entend exclure de sa succession : il suffit qu'il institue un légataire subsidiaire. Dès lors le gouvernement se déclare sans pouvoir, et la réclamation des parents tombe à néant.

Mais l'on se demande en vain pourquoi dans un pays où, comme en Belgique, la liberté de tester est de règle, il faille recourir à pareil expédient : si je suis libre de disposer de mes biens par testament, pourquoi ma dernière volonté doit-elle être moins respectée, alors qu'elle a pour but de favoriser une institution de piété ou de bienfaisance ?

On ne pourrait expliquer cette distinction qu'en admettant la théorie libérale qui attribue à l'état la propriété des biens des établissements publics, partant des biens des fabriques d'églises, des biens affectés à l'exercice du culte. En cette hypothèse, il faudrait dire avec Giron : « Toute libéralité au profit d'un établissement public exige le concours de deux volontés, celle du particulier qui se dépouille de son bien et celle de l'état, qui devient propriétaire de ce bien et qui l'affecte d'une manière permanente à un service d'utilité publique (1) ». D'après ce système, léguer un bien à une fabrique d'église, ce serait en réalité, le léguer à l'Etat : l'Etat légataire répudiant une part du legs fait en sa faveur, cette part passe de droit aux héritiers légaux du testateur. Ce raisonnement ne manque pas de logique ; mais le principe qui en forme la base est subversif des droits incontestables de l'Eglise catholique et manifestement contraire à la liberté des cultes telle qu'elle a été proclamée par la constitution Belge. Les

(1) *Dictionnaire de droit administratif et de droit public*, T. I, p. 417.

libéraux tentèrent à diverses reprises de traduire ce même principe en article de loi (1). Chaque fois ils ont dû renoncer à leur projet : mais de temps en temps, même sous un gouvernement catholique, il émane du département de la Justice, des décisions qui ne sont que l'application de cette doctrine erronée.

2° Quant à la disposition qui appelle le bureau de bienfaisance à recueillir une somme de 30 frs, coût d'une distribution de pains aux pauvres, c'est pousser bien loin la théorie de la spécialité des services. D'après la volonté de la testatrice cette distribution de pains devait avoir lieu *le jour de son enterrement :* cette clause prouve à l'évidence que, dans ce cas il s'agit d'une simple charge d'hérédité, qui n'est point soumise à la nécessité d'une autorisation préalable (2) ; du reste, dans l'espèce, exiger cette autorisation, c'est rendre impossible l'exécution de la dite condition ; et il peut paraître absurde d'autoriser, *plusieurs mois après le décès du testateur*, un legs destiné à couvrir les frais d'une distribution de pains à faire le jour de ses funérailles !

H. V. D. B.

---

(1) Voir De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. comp.* T. II, pag. 255-260.

(2) L'arrêté royal du 25 Janvier 1901 a résolu un cas semblable dans le sens que nous indiquons. Un testament, contenant un legs en faveur de l'église et des hospices cisils d'Etterbeek, portait en outre : « Je veux être inhumée avec un service de première classe etc.. *Il sera distribué aux pauvres d'Etterbeek cent cinquante pains et trois cents francs en argent.* » Le bureau de bienfaisance d'Etterbeek avait sollicité l'autorisation d'accepter *le bénéfice de la disposition prescrivant des distributions charitables.* Or l'arrêté royal refuse cette autorisation pour le motif exprimé comme suit : « Considérant qu'il résulte de l'importance de celles-ci (des distributions charitables), des termes de la disposition et de la place qu'elle occupe dans le testament, que dans l'esprit de la testatrice, *ces distributions charitables formaient des accessoires de ses funérailles, à la suite desquelles elles doivent avoir été effectuées ;* qu'elles constituent dès lors une simple charge d'hérédité ne tombant pas sous l'application de l'article 910 du code civil et qu'il n'y a pas lieu d'autoriser le bureau de bienfaisance d'Etterbeek aux fins de sa délibération prémentionnée... »

II

Legs en faveur d'œuvres privées. — *Attribution à des administrations publiques par décision de la Députation permanente. — Annulation.*

« Un arrêté royal, en date du 23 octobre 1902, contresigné par le Ministre de la Justice et par le Ministre de l'Intérieur et de l'Instruction publique, annule l'arrêté du 24 septembre 1902 par lequel la Députation permanente du conseil provincial du Brabant a autorisé la commission administrative des hospices civils, le conseil communal et le bureau de bienfaisance de Saint-Josse-ten-Noode à accepter, — les deux premiers, une disposition contenue dans le testament de la demoiselle Marie-Joseph Solvay, et ayant pour objet deux sommes de 1000 fr. à remettre à M. le curé de Sainte-Marie, respectivement pour l'œuvre des malades pauvres et pour les écoles pauvres, — le dernier, une disposition testamentaire par laquelle la même personne laisse une somme de 500 fr. pour distribuer du pain aux pauvres. » (*Moniteur* du 5 novembre).

L'excellente *Revue catholique de droit* émet au sujet de cette annulation les observations qui suivent :

« Cet arrêté est une nouvelle confirmation de la jurisprudence constamment suivie par le Gouvernement depuis 1885 (V. arrêtés royaux des 3 avril, 15 mai et 1er septembre 1885). Le ministère libéral voyait dans toute disposition pieuse ou charitable un legs en faveur du service public auquel se rapporte l'objet de la disposition, sans avoir égard au légataire désigné, ni à la volonté du testateur, qui aurait nettement manifesté son intention de favoriser une œuvre privée, ou qui aurait même formellement exclu toute intervention d'une administration publique. C'est la théorie soutenue par M. Lentz, et longuement développée par lui dans la quatrième partie de son ouvrage (*Des dons et legs en faveur des établissements publics*, t. II, nos 334 et ss., et les décisions administratives citées aux nos 446 et ss.).

D'après cette doctrine, le véritable légataire n'est ni l'établissement public, ni le particulier désigné par le testament, mais bien le service public dans la compétence duquel rentre la disposition testamentaire et auquel doit échoir le bénéfice de cette disposition. Les stipulations contraires du testament sont considérées comme non écrites, par application de l'article 900 du Code civil.

Ces principes avaient été mis en pratique par la Députation permanente du Brabant dans l'espèce visée par l'arrêté royal du 23 octobre. Le testament de la demoiselle Solvay contenait trois dispositions charitables : en vertu de la première, une somme de 1000 fr. devait être remise à M. le curé de Sainte-Marie pour l'œuvre des malades pauvres, qui est une œuvre privée ; néanmoins la Députation permanente, contrairement à l'intention de la testatrice, avait considéré cette stipulation comme un legs en faveur de la bienfaisance publique, pour en gratifier la Commission des Hospices. Une seconde somme de 1000 fr. devait être remise au même ecclésiastique pour les écoles pauvres. La testatrice, en faisant donner la somme au curé, avait évidemment en vue de favoriser les écoles paroissiales ; l'arrêté de la Députation en faisait bénéficier la commune, comme représentant l'enseignement primaire public.

Une somme de 500 fr. devait être distribuée aux pauvres en vertu de la troisième disposition. Ici le testament n'indique pas à qui la somme doit être remise ; il s'agit par conséquent d'une simple charge d'hérédité, laissée aux soins des héritiers ou de l'exécuteur testamentaire. La testatrice demandait une distribution de pains à l'occasion de ses funérailles, conformément à un pieux usage ; le Bureau de bienfaisance, obligé d'attendre l'autorisation administrative, se trouvait même dans l'impossibilité d'exécuter cette dernière condition.

Le respect de la volonté du testateur, telle doit être évidemment la règle fondamentale dans l'exécution des dispositions testamentaires ; le système rejeté par l'arrêté royal qui nous occupe tendrait à créer un véritable monopole en faveur des administrations publiques, et à rendre impossible toute libéralité par testament en faveur d'institutions privées. » (1)

III

Un arrête royal du 12 Novembre 1902 refuse à la fabrique de l'église d'Audegem l'autorisation d'accepter une disposition testamentaire ayant pour objet la célébration de cent messes chantées pour défunts (*Moniteur* du 20 Nov. 1902).

Ce refus est motivé comme suit : « Considérant qu'eu égard à l'importance de la succession du défunt, les cent messes chantées dont il a prescrit la célébration peuvent être considérées comme constituant une charge d'hérédité ne tombant pas sous l'application de l'article 910 du code civil : qu'au surplus le gouvernement ne peut imposer aux héritiers du testateur, quant aux messes à célébrer dans des églises reconnues, l'exonération de ces messes sur pied du tarif diocésain approuvé le 8 Septembre 1879, ce tarif concernant exclusivement les services religieux fondés ».

Observations: Cette décision en tant qu'elle refuse l'autorisation d'accepter la charge d'exonérer les messes demandées par le testateur, est conforme à la jurisprudence constamment suivie par le département de la Justice, sauf une courte interruption à la suite d'une circulaire de M. Bara en date du 14 Mars 1882 (V. *Collat. Brug.*, T. II, p. 257 svv.). D'après cette jurisprudence « les dispositions ordonnant la célébration d'un certain nombre de messes une fois dites ne constituent point des legs au profit du culte, mais de simples

(1) Voir *Collationes Brugenses*, T. III, p. 49 svv.

charges d'hérédité » Circ. de M. Woeste du 17 Juillet 1884; par conséquent la fabrique d'église n'a pas à intervenir. Voir De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can. civ. compendium* (édit. 1899), T. II, p. 319 svv. — *Het Vlaamsch Bestuur*, T. XI, p. 106. — *Revue Catholique de Droit,* T. II, p. 289 ss.

Mais il est, dans le considérant qui nous occupe, une incidente, qui semble recéler une restriction au principe énoncé ci-dessus : *eu égard, dit l'arrêté, à l'importance de la succession du défunt...* Cependant on concoit difficilement quelle influence l'importance plus ou moins grande d'une succession pourrait avoir sur le caractère d'une disposition testamentaire de ce genre, à l'effet de la ranger soit parmi les legs au profit du culte soit parmi les simples charges d'hérédité. Quelque soit cette importance, il reste toujours vrai que le testateur n'a point eu l'intention de faire un avantage à la fabrique, et que partant il n'y a pas matière à l'application de l'article 910 du code civil; il reste également vrai qu'une semblable disposition ne constitue pas une *fondation*, dans le sens juridique du mot; ce qui est d'ailleurs clairement reconnu dans le texte du second motif allégué : *qu'au surplus* etc. : le gouvernement, y dit-on, ne pourrait appliquer à l'exonération des messes stipulées en ce cas le tarif diocésain... parce que ce tarif ne concerne que les services religieux *fondés;* — donc, dans l'espèce, il n'y a point de fondation de services religieux.

H. V. D. B.

IV

Fabrique d'église. — Charge de payer une somme annuelle au desservant pour la Messe de Binage. — Dépense facultative. — Illégalité d'une fondation pour cet objet. — Expression d'un simple vœu.

Arrêté royal du 22 juillet 1902.

LÉOPOLD II..., etc., vu l'expédition du testament reçu,

le 17 novembre 1901, par le notaire Glorieux, de résidence à Tournai, et par lequel Mme Hortense Willaumez, veuve de M. Noël Renier, propriétaire, demeurant à Calonne, dispose notamment comme suit :

« ... Je donne et lègue à la fabrique de l'église de Calonne les biens suivants : commune de Calonne : un hectare quarante-neuf ares quatre-vingts centiares, section B, n° 366*b*, quatre-vingt-cinq ares dix centiares, section A, n° 11*a* ; un hectare soixante-huit ares, section A, n° 23*a*, et un jardin de six ares vingt centiares, section A, n° 22, ce dernier bien pour n'en jouir qu'au décès de... ; et sur la commune de Saint-Maur, la parcelle de un hectare neuf ares ou celle de un hectare quatre ares cadastrées section B, l'une n° 14*d*, l'autre n° 14*e* ; celle des deux qui touche à une terre déjà appartenant à la fabrique d'église, aux charges suivantes, à remplir et à exécuter à perpétuité :

« 1° D'entretenir le caveau de ma famille ;

» 2° De me recommander au prône tous les dimanches, ainsi que mon père, ma mère, mon mari, mon fils et ma cousine... ;

» 3° De faire célébrer chaque année cinquante-quatre messes chantées pour le repos de mon âme et celles de mes parents prédésignés ;

» 4° De donner pour la messe de binage au desservant une somme de cent soixante-huit francs par an ;

» 5° De fonder douze sermons par année à l'honoraire de dix francs chacun ;

» Dans le cas où les revenus augmenteraient, de doubler les charges reprises sous les n° 4 et 5, et de changer au fur et à mesure du possible les obits en messes en l'honneur du Saint-Sacrement » ;

Vu la délibération en date du 2 mars 1902, par laquelle le bureau des marguilliers de l'église de Saint-Eloi, à Calonne, sollicite l'autorisation d'accepter ce legs ;

Vu les avis du conseil communal de Calonnè, de M. l'évêque diocésain et de la députation permanente du conseil provincial du Hainaut, en date des 9 et 24 avril, 6 juin 1902 ;

Vu le procès-verbal d'expertise en date du 28 décembre 1901, d'où il résulte que les biens faisant l'objet du legs précité, situé à Calonne, section A, nos 11*a*, 22*a*, 23*b*,

section B, n° 366*b*, et à Saint-Maur, section B, n° 14*d* du cadastre, ont une contenance totale de 5 hectares 14 ares, et une valeur de 43,690 francs ;

En ce qui concerne la clause prescrivant de remettre annuellement 168 francs au desservant pour la messe de binage :

Considérant que des allocations de cette nature constituent des dépenses facultatives pour les fabriques d'église, et qu'on ne peut les transformer, par voie de fondation en dépenses obligatoires ; que dès lors, la clause précitée doit être considérée comme étant l'expression d'un simple vœu ;

Vu les articles 900 et 937 du code civil, 59 du décret du 30 décembre 1809, 763° et paragraphes derniers de la loi communale, ainsi que le tarif du diocèse de Tournai, approuvé par Nous le 12 mars 1880 ;

Sur la proposition de Notre Ministre de la justice,

Nous avons arrêté et arrêtons :

Article unique. — La fabrique de l'église de Saint-Eloi, à Calonne, est autorisée à accepter le legs prémentionné, aux conditions imposées. en tant qu'elles ne sont pas contraires aux lois.

Observations. — Nous appelons l'attention de nos lecteurs sur la disposition de cet arrêté royal, par laquelle la clause d'une fondation prescrivant à la fabrique légataire de payer annuellement une certaine somme au curé pour la messe de binage, n'est pas admise comme légale et obligatoire. Cette décision ne s'accorde guère avec la jurisprudence consacrée par plusieurs arrêtés antérieurs : ainsi par A. R. du 7 Sept. 1897 la fabrique d'église de Heure-le-Tiesche fut autorisée à accepter une donation de 6800 fr^s « à charge de faire célébrer à perpétuité en l'église de ladite localité, une seconde messe les dimanches et jours de fête » (*Moniteur*, p. 3916). De même l'arrêté royal du 2 Août 1898 autorisa l'acceptation d'un legs d'une maison « à charge de faire célébrer les dimanches une messe basse en plus avec sermon (*Moniteur*, p. 3405) ». Ce qui était légal en 1897 et 1898 ne l'est donc plus en 1902 !

Mais ce qui paraîtra plus étrange encore c'est le motif sur lequel on veut appuyer cette prétendue illégalité: « Considérant que des allocations de cette nature constituent des dépenses facultatives pour les fabriques d'église, et qu'on ne peut les transformer par voie de fondation en dépenses obligatoires ».

Si ce considérant était fondé en droit, la liberté de faire des fondations qui ont pour objet l'exercice du culte, se trouverait singulièrement restreinte. Mais, comme le constate un jugement du tribunal de Namur du 21 Mars 1898, « aucune loi ne s'oppose à ce que les particuliers fournissent aux établissements publics, par des libéralités soumises à l'approbation du gouvernement, des ressources destinées aux dépenses *facultatives,* qui rentrent dans les attributions de l'établissement gratifié et se rattachent au service dont il est l'organe » (1).

De plus cette théorie est contraire à la jurisprudence précédemment suivie par le département de la Justice lui-même: plusieurs fois en effet des fabriques d'église ont été autorisées à accepter des dons et legs, ayant pour objet de pourvoir à des dépenses absolument facultatives; telles sont p. ex. les donations d'un local devant servir pour l'enseignement du catéchisme (A. R. du 16 Août 1896 — 23 Juillet 1897 — 11 Octobre 1897); et dans l'arrêté même que nous commentons ici, la charge d'entretenir un caveau de famille (sub 1°).

D'ailleurs le paiement d'une indemnité au curé chargé du binage a paru tellement raisonnable aux yeux du gouvernement qu'il permet d'inscrire aux budgets des *communes* une certaine somme à cette fin; et régulièrement, lorsque la Députation permanente ordonne la suppression de cette allocation, il fait droit au recours institué par les administrations intéressées contre cette décision (Arrêtés royaux des 9 et 20 Août; 8 Septembre

(1) Pasic. III, p. 195. — *Collat. Brug.* T. III, p. 476. Cf. T. II, p. 542.

et 27 Novembre 1897; 20 et 27 Septembre, 4, 14, 20 et 26 Octobre, 4 et 19 Novembre 1898; 24 et 31 Juillet, 1 Août, 1 et 15 Septembre 1899; 22, 28 et 29 Juin 1900; 28 Septembre 1901 et 19 Septembre 1902 et 16 Février 1903). Après cela, n'est-ce-pas une incohérence manifeste que de ne point reconnaître comme légale la clause d'un legs, prescrivant de payer telle somme à titre d'indemnité de binage?

Enfin par cela même que la loi reconnait à la fabrique la faculté de faire une dépense déterminée, ne permet-elle pas implicitement de faire des fondations en vue de couvrir cette dépense?

Mais, dit l'arrêté, autoriser pareille fondation, ce serait transformer une dépense facultative en dépense obligatoire. La réponse est facile: sans doute, disons nous, cette dépense sera désormais obligatoire, mais elle le sera en vertu d'un titre spécial: la fabrique la supportera, non pas en sa qualité d'établissement public auquel la loi impose certaines obligations, mais uniquement comme bénéficiaire d'une libéralité grevée de cette charge.

H. V. D. B.

Pensions de Vieillesse

Allocation annuelle de 65 francs

Instruction générale publiée par l'Office du Travail (1903).

L'Office du Travail vient de publier une nouvelle *Instruction générale* relative à l'allocation annuelle de 65 francs. Le Gouvernement y explique et précise plusieurs dispositions de l'arrêté royal du 30 décembre 1902. Il sera utile, croyons-nous, de reproduire les principaux passages de cette *Instruction :* ils compléteront les observations que nous avons présentées au sujet dudit arrêté dans notre précédent n° (p. 109 ss.).

CHAPITRE I

Conditions auxquelles l'allocation est subordonnée.

QUALITÉ D'OUVRIER OU D'ANCIEN OUVRIER. (ART. 5).

« Pour que cette condition habituelle (de la vie antérieure) existe, il n'est pas requis que l'intéressé ait été ouvrier d'une manière exclusive ou même pendant la principale ou majeure partie de sa vie antérieure, mais il ne suffirait pas qu'il eût exercé cette profession accidentellement ou d'une manière accessoire et passagère. Lorsque l'impétrant invoque le travail qu'il a accompli comme ouvrier chez ses parents, il devra établir qu'il y a tenu habituellement la place d'un travailleur salarié.

Les agents de l'État et notamment les facteurs des postes, les gendarmes, etc., qui sont pensionnés à charge du Trésor public, sans qu'ils aient eu à fournir aucune contribution pour constituer leur pension, ne peuvent pas être considérés comme « ouvriers » dans le sens de l'article 9 de la loi. Il en est de même du garde-champêtre, qui est un employé communal.

Les femmes ou veuves de ces agents ne bénéficient pas

comme telles, de la disposition contenue dans l'article 5, dernier alinéa, de l'arrêté royal du 30 décembre 1902.

Mais il en est autrement en ce qui concerne les anciens ouvriers des chemins de fer de l'État; ceux-ci sont compris dans la catégorie des travailleurs visés par l'article précité. »

Condition relative au besoin. (Art. 6).

« Il n'est permis, en aucun cas, de considérer comme se trouvant dans le besoin, ceux dont les revenus atteignent 360 francs pour un vieillard et 600 francs pour des conjoints habitant ensemble. En principe, les charges résultant de l'entretien, des infirmités et du loyer ne peuvent pas être défalquées des ressources pour calculer les « revenus ». Mais les charges réelles (1) viennent en principe en déduction de la valeur des propriétés qu'elles affectent.

En ce qui concerne les dettes chirographaires, le comité appréciera d'après leur nature et leur origine dûment établies, l'influence qu'elles peuvent exercer sur la détermination des ressources.

Les comités prendront, en outre, en considération la valeur en rente viagère des propriétés, des droits réels, du cheptel et des épargnes des impétrants: cette valeur sera calculée approximativement en se servant du tarif ci-annexé (2), d'après l'âge des intéressés au moment de l'intro-

---

(1) p. ex. les hypothèques.

(2) Ce tarif est le **tarif des rentes immédiates** publié par la **Caisse générale d'épargne et de retraite**. Le voici:

Rente immédiate correspondant à un capital de 10 francs.

AGE.	RENTE.	AGE.	RENTE.	AGE.	RENTE.
65	1,119 54	74	1,655 21	83	2,514 57
66	1,159 11	75	1,726 28	84	2,657 37
67	1,210 36	76	1,802 91	85	2,789 11
68	1,267 11	77	1,888 76	86	2,895 90
69	1,327 17	78	1,979 48	87	3,015 55
70	1,390 01	79	2,075 48	88	3,166 25
71	1,455 32	80	2,177 78	89	3,323 37
72	1,521 52	81	2,296 83	90	3,516 79
73	1,587 79	82	2,401 45		

duction de leur demande. Ce calcul devra être fait également chaque fois qu'une nouvelle instruction sera nécessaire et notamment en cas de changement de résidence ou de situation. Les comités tiendront compte, à cet effet, de la valeur vénale des propriétés et non pas de leur valeur calculée d'après le revenu cadastral.

Le « Cheptel » dont il est question ci-dessus concerne tout le bétail appartenant en propriété eu requérant, soit que celui-ci l'exploite lui-même, ou qu'il le confie à un tiers.

En ce qui concerne notamment les terres et le bétail appartenant au réquérant, il y aura lieu de faire entrer en ligne de compte, outre leur valeur en rente viagère, le profit net qui résulte de leur exploitation.

Lorsque l'impétrant habite avec des enfants, le comité de patronage aura à apprécier si les ressources de l'intéressé ne suffisent pas pour subvenir à l'entretien de son ménage, selon la condition habituelle des ouvriers de la région et de la même profession, eu égard notamment au nombre, à l'âge, au sexe et à la profession des personnes qui composent la famille. Mais la charge résultant de l'entretien d'une de ces personnes ne peut pas être estimée à une somme supérieure à 300 francs; elle sera évidemment beaucoup moins élevée en ce qui concerne les enfants en bas âge. »

Débitants de boissons alcooliques ou autres (art. 7). « Est considéré notamment comme personne interposée le conjoint ou descendant habitant avec l'impétrant ».

Hospitalisés. (Art. 8): Peuvent jouir de l'allocation les « intéressés qui n'ont été admis et ne peuvent être maintenus dans un établissement hospitalier *que grâce à ce subside* ».

CHAPITRE II

Procédure d'instruction.

Devoirs du bourgmestre. (Art. 13).

« Le bourgmestre est tenu de recevoir toutes les demandes d'allocations de 65 francs qui lui sont remises par les requérants ou par leurs mandataires, même si les intéressés ne remplissent pas les conditions prescrites par la loi ou si les déclarations contenues dans la demande ne paraissent pas

suffisamment justifiées. Il doit vérifier les requêtes et les pièces justificatives qui y sont annexées ; il complétera les attestations insuffisantes et rectifiera les erreurs, notamment en ce qui concerne les salaires et loyers. Il est tenu de certifier l'exactitude des renseignements fournis par les impétrants. Si des indications lui paraissent inexactes ou mensongères, il en fera la remarque. Il formulera des réserves lorsqu'il ne sera pas à même de se prononcer sur l'exactitude de certaines données. Il pourra, à défaut d'autres moyens d'information, requérir la comparution personnelle des intéressés, afin de les interroger.

Le bourgmestre doit fournir gratuitement aux intéressés ou à leurs mandataires, s'ils l'en requièrent, les extraits sur papier libre des documents susvisés relatifs à l'âge, à la nationalité, à la résidence, à la composition de la famille, à la qualité d'ouvrier ou d'ancien ouvrier, à la situation cadastrale des biens de l'impétrant et aux secours qui lui sont accordés par la bienfaisance communale. Toutes ces attestations peuvent être fournies sur un même certificat et aucune forme spéciale n'est prescrite à cet égard. Il appartiendra aux comités de patronage d'apprécier si ces déclarations sont faites avec une précision suffisante et de demander éventuellement aux bourgmestres et aux intéressés des renseignements et certificats complémentaires.

Les renseignements sur la situation des biens des impétrants seront donnés sous une forme aussi concise que possible et non sous forme d'extraits cadastraux proprement dits, lesquels ne peuvent être délivrés que par les directeurs des contributions.

Le bourgmestre n'a pas à émettre d'avis sur le bien fondé de la demande ; il doit transmettre au président du comité de patronage *indistinctement* toutes les demandes qui lui ont été remises. Cet envoi doit être fait dans le plus court délai possible et au plus tard dans le mois de la réception de la requête. »

Mission des Comités de patronage. (Art. 14).

« La Caisse générale d'épargne et de retraite consent à faire connaître aux comités de patronage le solde des livrets d'épargne appartenant aux personnes qui sollicitent l'allo-

cation de 65 francs. A cet effet, les comités devront faire parvenir directement à la dite Caisse des listes nominatives indiquant les nom, prénoms, lieu et date de naissance des requérants. Ils y joindront une autorisation signée par l'imprétrant et conçue comme suit. « J'autorise Monsieur le Directeur général de la Caisse générale d'épargne et de retraite à donner connaissance de mon livret et de celui de mon conjoint au comité de patronage de.....».

Liquidation. (Art. 18).

Si l'intéressé déclare avoir égaré la lettre par laquelle il lui a été notifié qu'il a droit à l'allocation, « la quittance pourra être payée éventuellement moyennant production d'une pièce d'identité quelconque, établissant la qualité de l'intéressé ».

Le paiement pourra être fait également entre les mains d'un tiers porteur d'une procuration sous seing privé et rédigée sur timbre.....

Les quittances ne sont valables que pendant quinze jours à compter de la date de la remise au bénéficiaire. Le bureau de poste adressera en temps utile un rappel à l'intéressé, afin que la quittance ne se périme pas. Lorsque néanmoins le paiement n'a pas été effectué, soit parce que la résidence du bénéficiaire n'était pas connue, soit pour tout autre motif, l'intéressé s'adressera *directement* au Ministère de l'Industrie et du Travail pour obtenir un duplicata de la quittance. Mais aucune réclamation concernant la liquidation ne pourra plus être introduite un an après l'émission du mandat, lors même que celui-ci n'aurait pas été encaissé. »

Listes annuelles des personnes admises a l'allocation. (Art. 19).

« L'arrêté royal du 30 décembre 1902 ayant complété les dispositions contenues dans l'arrêté du 20 octobre 1900, il y aura lieu de procéder cette année *à une nouvelle information* à l'égard de toutes les personnes admises en 1901 et 1902. L'allocation de 65 francs, qui a un caractère annal, sera retirée, pour 1903, aux bénéficiaires de 1901 et 1902 qui, d'après le résultat de la nouvelle instruction, seraient reconnus ne pas remplir les conditions requises telles qu'elles sont

déterminées par l'arrêté royal du 30 décembre 1902. Les dossiers des années précédentes seront communiqués, à cet effet, aux comités de patronage qui en feront la demande au Département. »

A. C.

Consultatio

Quomodo ordinanda est missa votiva SS. Trinitatis in gratiarum actionem ex præscripto Rever^mi Dom. Episcopi celebranda, Dominica, 8 Martii, occasione vigesimi quinti anniversarii Coronationis Sanctissimi Domini Nostri Papæ Leonis XIII?

Missa præscripta *uti votiva solemnis pro re gravi* et publica Ecclesiæ causa habenda est. Prouti decreto generali *De missis votivis* 30 junii 1896 (1) definitur: « Missa votiva solemnis pro re gravi et publica Ecclesiæ causa, illa est, quæ officio per se non respondens, ab Episcopo, vel *de ejus consensu*, pro qualibet vice obtinendo, *solemniter* celebratur, cum interventu Magistratus, aut saltem cleri et populi; et pro quadam spirituali vel temporali necessitate, quæ *communitatem* afficiat, v. gr. ad petendam pluviam, pro serenitate, pro quacumque necessitate, pro principe infirmo et similibus »; inter causas autem similes in decretis et apud auctores enumeratur gratiarum actio pro magno beneficio communi impetrato. Jam vero missa, de qua agitur, non respondet officio diei, celebranda est non tantum de consensu sed ex præcepto Ordinarii, cum solemnitate extrinseca, saltem in cantu et cum interventu cleri et populi; præcipitur propter causam gravem communem et publicam; agitur enim de gratiis agendis Deo pro impetrato magno beneficio communi,

(1) N° 3922, II, 1.

pro læto et extraordinario eventu qui totam Ecclesiam gaudio afficit. Hæc missa ergo sequitur regulas statutas et gaudet privilegiis concessis a rubricis et decretis missæ votivæ solemni pro re gravi. Consequenter:

1° Hæc missa celebrari potest in Dominica secunda quadragesimæ, quamvis hæc sit Dominica privilegiata secundæ classis. Votiva enim solemnis *pro re gravi* prohibetur quidem in Dominicis primæ classis, sicuti aliis quibusdam diebus solemnioribus (1), non autem in Dominicis secundæ classis.

2° Missa celebranda præcipitur *in gratiarum actionem*. Jamvero juxta rubricam specialem Missalis positam post missam votivam de SS. Trinitate: « Pro gratiarum actione dicitur missa de SS. Trinitate, vel de Spiritu Sancto, vel de B. Maria, additis sequentibus orationibus *sub una conclusione* », scilicet *Deus cujus misericordiæ non est numerus* etc. cum correspondentibus Secreta et Postcommunione. Ex tribus missis a rubrica assignatis præscribitur in casu prima de SS. Trinitate.

3° In missis votivis: « Color paramentorum erit juxta qualitatem missæ quæ celebratur » (2). Utendum ergo paramentis albis, prouti præscribitur in Rubr. tit. XVIII, 2, « in festo SS. Trinitatis » et in missis votivis ejusdem mysterii, « quocumque tempore dicantur ».

4° Dicendus est Hymnus *Gloria in excelsis* qui nunquam omittitur « in missa votiva solemniter dicenda pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa, dummodo non dicatur missa cum paramentis violaceis (3) » (quod hic non obtinet).

5° Quoad orationes: « In missis votivis, quando solemniter dicuntur pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa, dicitur una tantum Oratio: sed in missa

---

(1) Vide *Calend. liturg.*, Prænotanda, *de missis votivis*, 1°.
(2) *Decr. cit.*, II, 3.
(3) *Rubr. gen. Miss.* VIII, 4 et *Decr. cit.*, II, 3.

pro gratiarum actione additur alia Oratio, ut in proprio loco notatur » (Tit. IX, 14), scilicet Oratio *Deus cujus misericordiæ* etc. Et quidem « unica dicenda est oratio etsi una tantum cantetur missa, ut accidit in Ecclesiis, ubi onus Missæ Conventualis non existit » (1). In Missa ergo, de qua agimus, nulla facienda est commemoratio, neque Dominicæ, neque duplicis simplificati, nec dicitur oratio imperata.

6° « Dicitur *Credo* in missis votivis quæ solemniter pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa celebrantur, etiamsi dicantur in paramentis violaceis in Dominica ». Ita Rubr. XI. Non omittitur ergo *Credo* in votiva solemni, nisi quando celebratur in feriis hebdomadæ in colore violaceo. In casu nostro celebratur in Dominica et quidem cum paramentis albis, ergo dicendum est Symbolum.

7° Quoad Præfationem: « In missis votivis dicitur Præfatio propria, si propriam habeant » (XII, 4). Missa de SS. Trinitate habet præfationem propriam, hæc consequenter dicenda est. « Quando aliqua missa votiva pro causa publica solemniter celebratur, (Præfatio) dicitur in cantu solemni, ut in duplicibus ». (Rub., l. c.)(2).

8° « *Ite Missa est* dicitur, quandocumque dictum est *Gloria in excelsis* ». (Rub. gen. XIII, 1). In missa votiva solemni SS. Trinitatis, de qua agitur, dicitur *Gloria*, cantandum est ergo etiam *Ite missa est*.

---

(1) *Decr. cit.*, l. c. Possunt tamen alii casus occurrere in quibus Orationi Missæ votivæ solemnis pro re gravi addenda sit alia oratio sub unica conclusione; ita, si celebratur coram SS. Sacramento exposito additur ejusdem commemoratio; si missa canenda esset occurrente aliqua gravi et urgente necessitate pro qua nulla missa specialis in Missali notatur, sed adest tantum collecta, v. gr. ad petendam pluviam etc., juxta decr. 23 febr. 1884, n° 3605 ad IV: « dicenda foret missa *pro quacumque necessitate* » addendo orationi collectam particularis necessitatis quæ urget, sub unica conclusione; si oratio imperata sit pro re gravi cum obligatione eam recitandi etiam in duplice 1 cl., addi etiam debet orationi missæ votivæ pro re gravi sub unica conclusione. (*Decr. 3 julii 1869*, n° 3211 ad 8 et Decr. 7 Aug. 1875, n° 3365, III).

(2) Cfr. *decr.* n° 3922 *cit.*, II, 3.

9° « In missis votivis nunquam legitur in fine aliud Evangelium nisi S. Joannis *In principio* juxta Rubr. Tit. XIII » (1); etiamsi missa celebretur in Dominica vel vigilia vel feria proprium Evangelium habente.

10° Missa votiva pro re gravi celebrari debet cum solemnitate vel saltem, si ministri vel paramenta desint, in cantu (2); semper est ritus duplicis, ideoque cantus solemnis seu festivus adhibetur in orationibus, Præfatione (3), Oratione Dominica, necnon in Hymno *Gloria in excelsis* qui ut in duplicibus et *Ite Missa est* quod ut in festis solemnibus cantatur, (nisi in utroque tonus de Beata adhibendus sit). Quando autem celebratur in colore violaceo, *Benedicamus Domino* cantatur ut in duplicibus, prouti describitur in Canone Missæ in fine (4).

Nota. Præter missam solemnem de SS. Trinitate præscribitur ut post hanc cantentur Hymnus *Te Deum*, preces pro Papa *Oremus pro Pontifice* etc., necnon *Tantum ergo* etc. cum oratione *Deus qui nobis* etc., quam sequi debet benedictio SS. Sacramenti.

SS. Sacramentum ergo exponendum est post missam et quidem exponi potest *ante* cantum Hymni *Te Deum*, prouti in simili occasione, scilicet jubilæi Episcopalis SS. Domini Nostri Leonis Papæ XIII anno 1893 fuit ordinatum (5). Hac occasione congruenter referri potest Decretum 6 feb. 1892, n° 3764 ad VIII: « An quando immediate post missam solemnem exponitur SS. Sacramentum pro cantu Hymni *Te Deum*, vel pro aliis precibus (aut etiam simpliciter pro Adoratione ejusdem ad

(1) *Decr. cit., III, 3.*

(2) De Herdt I, n° 29.

(3) Supra 7°.

(4) Ill. Vanderstappen, *de rubricis Missalis*, q. 263 et *Cæremoniale*, appendix II, n° XI.

(5) « Na de Hoogmis met alle de plechtigheid der groote feestdagen te zingen zal het H. Sacrament uitgesteld en de *Te Deum* aangeheven worden enz. (*Epist. pastoralis Archiepiscopi et Episcoporum Belgii* 29 jan. 1893. Vide *Collect. Epist. Past.* XV, p. 300 ».

plures horas duratura), liceat celebranti benedictionem quoque cum eodem SS^mo Sacramento in fine daturo, retinere casulam cum manipulo ; vel debeat potius assumere pluviale » ? Resp. « Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam ». Planeta ergo et (etiam a ministris sacris) manipulus sunt deponenda et pluviale album induendum ante expositionem. Sed notari potest hic agi de expositione publica et solemni *in Ostensorio*. Pro benedictione enim SS. Sacramenti data immediate post missam cum *Sacra Pyxide*, servari potest dispositio data per aliud decretum 20 julii 1894, n° 3833 ad 3 : « Usus invaluit in pluribus hujus civitatis (Castri Maris) ecclesiis, in functionibus Marialibus aliisque, quæ cum Missa persolvuntur, dimittere populum cum benedictione Sanctissimi Sacramenti *in Pyxide* adservati, adhibito velo humerali *super planeta*. Quæritur an hic usus tolerari possit » ? Resp. « Affirmative et ita observandum ».

H. V. D. W.

Libri dijudicantur.

Prælectiones canonicæ ARTHURI VERMEERSCH, e Soc. Jesu. **De religiosis institutis et personis** *tractatus canonico-moralis ad recentissimas leges exactus*. Tomus prior, ad usum scholarum. In-8°, XXV-390 pp. Brugis, Beyaert, 1902. Pret. 5 fr.

Lata, die 8 Dec. 1900, Constitutione *Conditæ a Christo* (*Collat. Brug.*, T. VI, p. 97 sqq.) S. S. Leo Papa XIII Instituta votorum simplicium ex incerta sua juris conditione eximere statuit præcipueque mutua Episcoporum et Superiorum religiosorum jura definire. Hujus legis beneficio usus, doctissimus P. Vermeersch aggressus est hoc præsenti suo opere exponere « quid

omnium Religiosorum communis ratio, quid propria singulorum generum ferret, quid demum juris, quid officii tam Regularibus quam alumnis votorum simplicium competeret » (*Præf.*, p. V). Revera tomus hic prior continet tractationem completam eorum omnium jurium ac officiorum, quæ pertinent tum ad Ordines votorum solemnium, tum ad Congregationes votorum simplicium sive diœcesanas sive approbatas a S. Sede; imo ultima ejus pars agit etiam de tertiis ordinibus et piis sodalitiis seu confraternitatibus; alter vero tomus continet varia *supplementa* in quibus copiosius disseritur de præcipuis quibusdam quæstionibus, jam expositis, sed brevius, in priori tomo, deinde *monumenta* seu præcipua juris regularis documenta quæ hodie usu veniunt. Præ spatii angustia non licet vel brevissimam indicare summam rerum; ipsum librum adeat studiosus lector, nec ipsum pœnitebit. Persequenti enim per singula expositionem Auctoris, haud mirum sane apparebit præclaris laudibus hoc opus, statim ac prodiit in lucem, unanimi quasi voce apud varia periodica fuisse celebratum. Speciminis gratia, hoc unum testimonium referamus Cl. Boudinhon, professoris juris can. in Instituto Catholico Parisiensi: « Sous le rapport matériel, l'ouvrage est parfaitement accommodé à l'enseignement.... Pour le fond, je ne saurais en faire que des éloges: la rédaction sobre et claire, l'absence de toute exagération, le choix des opinions modérées, le constant souci d'appuyer les conclusions par des textes et des autorités, la place suffisante faite à l'histoire, enfin des références bibliographiques bien choisies et très nombreuses: telles sont les qualités qui assurent à ce manuel le meilleur accueil auprès des canonistes et spécialement des congrégations religieuses » (1). Huic judicio plene subscribimus, optamusque tractatum hunc multorum sacerdotum teri manibus. Omnes enim, maxime vero sanctimonialium Directores, scitu perutilia, vel et necessaria, in

(1) *Le Canoniste contemporain*, 1903, p. 56.

laudato opere invenient, notatim circa notionem status religiosi ejusque perfectionem, de vocatione ad aliquem statum et in specie ad statum religiosum (Cfr. etiam *Supplem.* III in altero tomo), de obligationibus religiosorum ex professione oriundis et in specie de obligatione votorum, de usu Sacrorum et foro conscientiæ apud religiosos, etc. De his omnibus disserit doctissimus Auctor, non tantum respiciens rationem fori exterioris, sed simul moralem iniens investigationem, ita ut merito tractatus inscriptus fuerit *Canonico-Moralis;* quodsi etiam dicatur concinnatus *ad usum scholarum*, non ideo putet aliquis arctioribus nimis limitibus eum contineri, cum scholæ intelligantur Religiosorum, in quibus solet multo longior ac apud nos haberi tractatio de jure regulari.

H. M.

***

Onderrichtingen en Aanspraken ten gerieve der bestuurders van H. Familien, Xaverianen, Werkmanskringen, Patronages, Zondagscholen, Congregatien, Derde Regels, enz. Nieuwe Uitgaaf der « Ware Goudmijn » van F. DUHAYON, S. J., herzien en vermeerderd met talrijke onderwerpen voor onzen tijd door P. LYNA, S. J., I Deel, 739 blz. in 8°; prix (franco) 4 fr. (broché) et 5 fr. 25 (relié) — Brugge, Beyaert, 1902.

Il devient banal d'insister sur l'opportunité et la nécessité du rôle et de la mission du prêtre dans la fondation, l'organisation et le développement des œuvres sociales. Comme le répétait récemment encore S.S. Léon XIII dans sa remarquable *Lettre encyclique* sur le *Sacerdoce catholique*, « l'activité sociale du clergé est un besoin de notre temps » (1). — Néanmoins, il importe de ne pas l'oublier, le prêtre, en fondant et en propageant les institutions sociales, doit avoir en vue par dessus tout le perfectionnement moral et religieux

(1) V. pl. ht. p. 81.

des membres: c'est à cette condition seulement que le souci du sort matériel des classes laborieuses est compatible avec le caractère sacerdotal. C'est pour ce motif que l'autorité ecclésiastique exige dans les œuvres économiques un caractère religieux plus ou moins accentué selon les circonstances, même dans les cas où il est pratiquement impossible de les rattacher à une institution pieuse ou religieuse.

L'ouvrage que nous présentons au lecteur contribuera, dans une certaine mesure, à faciliter aux directeurs d'œuvres sociales leur mission souvent délicate et difficile. Ils y trouveront un choix abondant et varié (64) d'*Instructions* et d'*Allocutions* de circonstance, parfaitement appropriées (1) aux différents auditoires que leur présentent tour à tour les associations religieuses, les patronages et les cercles ouvriers, les œuvres économiques et les institutions de prévoyance. Ces allocutions ont toutes un caractère religieux, et l'auteur s'est attaché à faire ressortir partout la nécessité et les effets bienfaisants des vertus chrétiennes, appelées à jouer un rôle si important dans la grande œuvre de la rénovation sociale.

Chaque allocution est précédée d'un plan analytique résumant fidèlement les idées maîtresses développées dans la conférence; presque toutes sont suivies d'un ou de plusieurs exemples en général bien choisis. Le style est d'ordinaire coulant et facile (2). Bref, ce recueil est bien fait et il vient à son heure: il est donc appelé à rendre de réels services au clergé.

A. C.

---

(1) Nous estimons toutefois qu'il est rarement opportun de parler publiquement et ex professo dans une congrégation ou un patronage, des liaisons amoureuses auxquelles l'auteur consacre trois conférences (16-18). Ces sujets délicats sont traités plus avantageusement au confessionnal, dans des entretiens particuliers ou dans des instructions données aux parents.

(2) Le ton, généralement calme et modéré, cesse de l'être et nous paraît déplacé là où l'auteur parle du service militaire en vigueur en Belgique et en Hollande (p. 121).

Collationes Brugenses

Monita

de interpretatione et usu Scripturæ sacræ.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. VIII, pag. 141.)

II

10. Omnis seu unaquæque Scriptura est divinitus inspirata, sed quinam de facto sunt illi libri ad Scripturam pertinentes adeoque divinitus inspirati? Respondetur: qui ut tales ab Ecclesia agnoscuntur, quæ custos est revelationis divinæ seu depositi fidei, et penes quam, qua talem, evidenter hac de re judicium est. Audiamus ergo Ecclesiam.

Itaque sacrosanctum Tridentinum Concilium canonem librorum sacrorum recenset, enumerando singulos suis, quibus vocari solebant, nominibus. Quoniam autem singulorum contentum eo ipso non erat definitum, neque vero definiri, nisi singulos exscribendo, poterat, excepto aliquatenus psalterio, quod indicatur « Psalterium Davidicum centum quinquaginta psalmorum »; et quoniam tamen Pseudo-Reformatores, quorumdam enumeratorum librorum partes respuebant, quasi non essent Scriptura, significare voluit Concilium se intelligere libros prædictos integros cum omnibus suis partibus.

Sed quomodo dignoscendi illi libri singuli *integri*? Addit Concilium duplicem dignoscendi viam: 1 communem Ecclesiæ catholicæ usum: « prout in Ecclesia catholica legi consueverunt », et 2 (quæ via propius ad Ecclesiam latinam pertinet) « in veteri vulgata latina editione habentur. » — Non tamen adæquate distinctæ sunt istæ viæ, ut et infra magis patebit, neque Concilium dicit *vel* ut in vulgata habentur, sed *et*. Deinde,

hanc eamdem editionem Vulgatam, ex omnibus latinis editionibus, in publicis disputationibus, prædicationibus, etc., ut authenticam esse habendam sancta Synodus statuit et declarat.

11. Jamvero, ex hac Tridentina definitione ac declaratione consectaria quædam, quæ legitime deducantur, aut ex adverso deduci nequeant, annotare opportunum videtur.

Et primo quidem, num de authentia humana seu auctoribus humanis aliquid definivit Concilium Tridentinum, eo quod libros enumerando ait: quinque Moysi, psalterium Davidicum, quatuordecim epistolæ Pauli Apostoli, etc.? An inde fide tenendum est quinque libros priores, eosque integros esse Moysi, omnes istas epistolas esse sine dubio Pauli, etc. Id minime definire intendit Concilium. Numquid ignoravit in psalterio Davidico non omnes esse psalmos David? Numquid integrum Pentateuchum, integrum librum Danielis, prout eos legimus, respective unius ejusdemque auctoris esse affirmare voluit? Cæterum, inspecto Concilii scopo, de auctoribus humanis non est intelligenda definitionis intentio.

Imo vero, plurimæ sunt quæstiones de auctoribus humanis quinam fuerint, de tempore scriptionis, de fontibus adhibitis, quæ nec internis indiciis, neque certa traditione solvi queunt. Qua in re, sedulo vigilandum est ne traditio quævis, etiam certa, ceu authentica seu proprie dicta Ecclesiæ traditio habeatur, aut aliqua ut certa et constans traducatur, quæ tales non sunt. Neque tamen ex adverso argumentum traditionis est spernendum, ac respuenda quasi a priori traditio: eo vel magis quod in simili re proprium ac per se validius sit externum testimonii argumentum, quam interna indicia, quæ sæpe conjecturis potius ac verosimilitudinibus quam apodicticis argumentis sunt annumeranda (1).

---

(1) Hæc eadem inculcat, Encyclica sua *Providentissimus*, Leo XIII.

Quemadmodum semper et ubique, heic quoque præprimis pretiosa valdeque necessaria est regularum strictæ logices accurata observatio; quod sæpius æquo a nonnullis modernis, sub prætextu critices sublimioris, oblivioni datur. Cæterum, his attentis, quam utilia et necessaria sint studia historica et critica, quibus hac in re vastus patet campus, nemo non videt. Multa enim sunt de authentia et tempore scriptionis, de fontibus adhibitis, de methodo compositionis libri, ejusque propria indole ac genere literario, ut ajunt, aliaque de quibus nec Ecclesiæ definitio nec certa veri nominis traditio existunt, quæque studiis historicis ac criticis sunt elucidanda. Idque eo utilius est magisque necessarium, quod inde in multis pendere potest recta interpretandi ratio, verusque ac accuratus textuum sensus.

12. Præterea vero, habemus quidem ex Concilio Tridentino libros Scripturæ integros cum omnibus suis partibus inveniri in veteri vulgata latina, quæ proin canonica declaratur, et authentica seu primitivæ, originali Scripturæ conformis, et porro ut talis habenda statuitur.

Sed quænam hæc intelligenda est authentia seu conformitas originali Scripturæ? An talis ac tanta, ut se extendat ad omnia, etiam accidentalia respectu scopi Scripturæ, qui est erudire in doctrina fidei et morum?

Minime: ubi enim Vulgata a textu in lingua scriptoris originali servato, vel et ab aliis versionibus discrepat, illius lectionem esse his præferendam et has esse necessario respuendas nemo admittit; agnoscunt vero omnes catholici theologi et interpretes factoque commonstrant interpretem latinum aliquando male intellexisse textum et præpostere vertisse, etiam amanuensium opera menda irrepsisse, additiones seu interpollationes factas fuisse, imo aliquando et positive erronea quædam sic irrepere potuisse. Neque id Patres Tridentini ignorabant.

Sed quid, ubi agitur de textibus dogmaticis, ut ajunt,

qui ad doctrinam fidei et morum directe pertinent? An in illis saltem, ut authentica dicatur Vulgata, semper et ubique textum ipsius Scriptoris sacri primigeneum accurate referre debet?

Neque id ea extensione affirmare cogunt verba Concilii, neque ejus scopus, neque historia.

Ut verba verificentur, attento et scopo Concilii, sufficit et requiritur aliqua vera authentia substantialis, quæ in hoc consistit ut 1/ negative quidem, nullus in Vulgata contineatur error dogmaticus, sive negando dogma in Scriptura expressum, sive affirmando ut revelatum quod revelatum non est, et 2/ positive, ut *generatim* rite exprimatur eodem loco verum dogma quo apud Scriptorem sacrum exprimebatur. Quod autem, non modo omnem errorem doctrinæ vitavit sed omnes ad unum textus dogmaticos, aut imo eodem quo Auctor sacer loco, exprimere debuerit interpres Vulgatus, omnesque ad unum rite intellexerit et expresserit, id neque ex verbis, neque ex scopo, neque ex historia definitionis Tridentinæ deduci posse multi optime catholici theologi et interpretes, absque ulla Ecclesiæ reprehensione, admittunt ; idemque revera affirmari non posse validis rationibus ostendunt, exemplaque ad id commonstrandum adducunt. Quibus heic immorari non licet.

Unde rursum vides quam late, imo in immensum pateat hic novus studiis criticis et historicis campus, ut textus primigenius Scripturæ ad amussim stabiliatur.

13. Num vero e prædictis concludi potest nullam partem Vulgatæ in particulari esse definitam ut authenticam.

Ut hæc quæstio sat subtilis ac difficilis solvatur, caute procedendum est, præ oculis habitis strictæ logices regulis.

Itaque, cum a toto, in suppositione distributiva sumpto, ad partes, aliis verbis, a subjecto universali ad particulare seu partem subjectivam, sub eo conten-

tam, valeat immediata illatio, sine ope ratiocinii: si definitur hujusmodi propositio universalis, eo ipso definitæ habentur omnes propositiones particulares sub ea contentæ: v. g. si definitur omnes homines posse salvari, eo ipso definitur hunc et illum in particulari posse salvari. Et si omnes libri in Vulgata determinate contenti definiuntur authentici, eo ipso singuli in particulari. Revera ita definivit Concilium Tridentinum Vulgatam esse authenticam, ut singuli ejus libri, singillatim a se enumerati, sint definiti authentici.

Sed quæritur de partibus singulorum librorum, quas non enumeravit nec enumerare poterat singillatim Concilium, neque adeo singillatim definivit ut authenticas. Quid igitur de hujusmodi partibus in particulari dicendum? Partes illæ, pro subjecta materia, non intelliguntur partes subjectivæ respectu subjecti universalis seu respectu totius in suppositione distributiva sumpti, neque enim sunt homogeneæ et individue distinctæ aut in antecessum enumeratæ, sunt indeterminate et in confuso sumptæ, sed ergo intelliguntur de partibus respectu totius in suppositione collectiva sumpti, et hujusmodi totum seu liber integer cum suis partibus definitur authenticus, scil. substantialiter, ut supra explicatum. Jamvero ex toto collectivo, in hujusmodi materia, non valet illatio ad partes, sicut ex eo quod totum collectivum sit magnum, non sequitur ejus partes esse magnas, sed eorum numerum et quantitatem esse tales et tantos ut faciant totum magnum. Adeoque ex eo quod definiatur liber totus authenticus, non sequitur hanc et illam partem, pro arbitrio sumptam, esse definitam ut authenticam, sed partes in confuso esse ita authenticas, eo numero ac gradu, ut totum dici queat authenticum. Si autem singulæ quævis essent dicendæ definitæ ut authenticæ, sequeretur jam authentiam totius definitam, non esse solum substantialem sed se extendere ad omnia ad amussim.

Num ergo de partibus singulorum librorum nihil est

definitum? Si ita esset, nec de toto aliquid esset definitum et inanis ac vana esset definitio Tridentina. Est ergo definitum de partibus illis, sicut de toto, eas *generatim* esse authenticas, quamvis hæc vel illa per exceptionem non sit authentica.

14. Sed de partibus singulis in particulari quæritur, an et quatenus ipsis applicetur definitio Tridentina. Sunt qui respondent applicari quidem alicui textui seu parti in particulari definitionem, id vero fieri ope ratiocinii, ita ut numquam sit de fide hunc determinatum textum esse authenticum, saltem vi definitionis Tridentinæ.

Atvero, hac in re non est locus ratiocinio. Ubi enim de partibus subjectivis agitur respectu totius in suppositione distributiva sumpti, illatio est immediata, sine ope ratiocinii. Si vero de partibus sermo est respectu totius in suppositione collectiva, non valet illatio immediata, vi formæ, sed nec, pro subjecta materia seu in re præsente, ratiocinio est locus, cum de facto agatur, an necne textus hic vel ille pertineat ad primævam Scripturam. Et hoc quidem factum directe non definivit Concilium Tridentinum, sed vel aperte deprehendendum, vel in dubio investigandum reliquit studiis historicis et criticis; adeoque non est *de fide catholica* hunc textum esse authenticum, quem non definivit Ecclesia in particulari authenticum. Statim autem ac certo constat alicui de facto, jam *quoad illum* cui constat, applicatur definitio Tridentina generalis de toto illi parti seu textui, in quantum legi consuevit in Ecclesia et invenitur in Vulgata, idque absque ope ratiocinii; et *quoad ipsum* jam de fide est, vi definitionis Tridentinæ, hunc textum esse divinam Scripturam. Videlicet, si in libris originali lingua scriptis et in versionibus communiter omnibus textum aliquem reperis, seu communem Ecclesiæ catholicæ usum certo deprehendis, applicatur *quoad te* definitio Tridentina, sicuti libro integro, ita et huic textui, et utrumque

tibi est de fide. Si idem textus et in Vulgata comparet, applicatur eidem eadem definitio et ratione alterius criterii, a priore non adæquate distincti, a Tridentino indicati. Dicet forte aliquis, ita si res se habet, satis inutilis apparet definitio Tridentina, quod Vulgatam spectat : siquidem applicari eget vi prioris criterii indicati, vel saltem dependenter ab illo. Respondetur, nequaquam inutilem esse dictam definitionem : manet enim hæc summa utilitas, quod tamquam de fide certa nobis designetur authentica quoad substantiam determinata editio Scripturæ universæ et singulorum ejusdem librorum, quæ proin editio in disputatione, prædicatione, studio tuto adhiberi possit et debeat, a qua etiam incipiamus (nam ab aliqua editione incipiendum est) determinationem et in dubio investigationem singularum partium et textuum in particulari; quos si facto constat ita haberi in Vulgata (nam et plures etiam sunt editiones Vulgatæ), ut et legi consueverint in Ecclesia catholica, eo ipso, vi definitionis Tridentinæ, habendi sunt ut authentici.

Igitur in summa, vi definitionis Tridentinæ, quod Vulgatam spectat : de fide est 1/ nullum in Vulgata reperiri errorem dogmaticum ; 2/ in textibus dogmaticis generatim reperiri genuinum sensum primævæ Scripturæ, quamvis hic illic per exceptionem non reperiatur ; 3/ de fide est quoad nos, partem aliquam determinatam seu textum aliquem dogmaticum in particulari esse eodem modo authenticum, quoties nobis constat de facto eum communiter in Ecclesia catholica legi consuevisse et in Vulgata haberi. Ubi diligenter nota discrimen inter hos duos modos dicendi : 1° omnes textus dogmatici (1) qui legi consueverunt in Ecclesia catholica et in Vul-

(1) Illis proprie et præprimis applicatur criterium : ex lectione enim consueta in Ecclesia catholica constat semper et ubique ita fuisse ex Scriptura propositum et creditum. Aliis textibus, in quibus nulla doctrina fidei aut morum proponitur, multo laxius idem criterium applicatur, utrum sub hac determinata forma seu lectione sint inspirati.

gata habentur sunt authentici, ergo hic textus, quem *a posteriori* sine dubio constat de facto legi consuevisse in Ecclesia catholica et haberi in Vulgata, est authenticus. Ubi vides illationem esse immediatam sine ratiocinio: si enim ponas syllogismum: Omnes textus etc. Atqui hic textus, ponis meram formam syllogisticam, sicut ubi dicis: Omnes homines... Atqui ego sum homo, sed nullus ibi medius terminus, neque vis syllogistica. 2° Vulgata est substantialiter authentica, vel omnes partes ejus collective sumptæ sunt substantialiter authenticæ, adeoque *a priori* generatim loquendo aliqua pars in particulari erit authentica, quamvis per exceptionem fieri possit ut non sit. Neque per illationem, neque per ratiocinium plus deducere potes. Sed inter omnes designatam habes editionem, quæ quoad substantiam est de fide certo authentica.

Ex quibus rursum vides, nequaquam viam præcludi studiis criticis et historicis, qua late patent; sed profecto iisdem studiis directionem et præsidium afferri a Concilio Tridentino per suam definitionem de canonicis Scripturis et de authentia Vulgatæ.

III

15. Breve compendium, quo naturam ac indolem sacrorum librorum complectitur, S. Paulus complet addendo finem ac scopum Scripturæ: *utilis est ad docendum, ad erudiendum in justitia* etc.; quo jam propius ad interpretationem et usum Scripturæ accedimus. Est igitur omnis seu unaquæque scriptura vere verbum Dei scriptum, quo, interprete Ecclesia, infallibiliter doceamur credenda atque agenda ad æternam salutem consequendam, et informemur ad vitæ sanctitatem; nequaquam vero quo notitiis profanis instruamur, et humanas scientias atque artes addiscamus.

Ex quibus illico deducitur: 1/ nihil esse timendum a veri nominis scientia quacumque aut quavis veritate

humana certa, quasi genuino verbo Dei, rite intellecto, possit assertum scientificum aut historicum, verum certumque, realiter contradicere. Nota singula verba: nonnisi defectu logices, sive in interpretando verbo Dei, sive in conclusionibus scientificis et historicis proponendis, hujusmodi conficta dissensio inter Scripturam et scientiam humanam nascitur. Quod et Leo XIII, in encyclica *Providentissimus Deus*, ex S. Augustino monet: « Nulla quidem theologum inter et physicum vera dissensio intercesserit, dum suis uterque finibus se contineant, id caventes, secundum S. Augustini monitum, ne aliquid temere et incognitum pro cognito asserant (1). Sin tamen dissenserint, quemadmodum se gerat theologus, summatim est regula ab eodem oblata: " Quidquid, inquit, ipsi de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris Litteris non esse contrarium; quidquid autem de quibuslibet suis voluminibus his nostris Litteris, idest catholicæ fidei, contrarium protulerint, aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum (2). " »

Hæc, quæ de scientiis physicis præprimis dicta sunt, ad cognatas disciplinas, ad historiam præsertim, transferri paulo infra significat idem Leo XIII, cujus litteras apostolicas ut heic insertas haberi vellemus (3).

16. Ex dictis sequitur: 2/ quod idem Pontifex pergens sic dilucide exponit: « De cujus æquitate regulæ [ex Augustino modo citatæ] in consideratione sit primum, scriptores sacros, seu verius " Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista (videlicet intimam adspectabilium rerum constitutionem) docere homines, nulli saluti profutura " (4); quare eos, potius

(1) *In Gen., opus imperf.*, IX, 30.

(2) *De Gen. ad litt.*, l. I, c. XXI, n. 41.

(3) Quas litteras apostolicas, cum datæ fuerint antequam lucem vidissent *Collationes Brugenses*, his nunc inserendas curabimus. (Cfr. fasc. proxime sequens).

(4) Augustinus, *ibid.*, l. II, c. IX, n. 20.

quam explorationem naturæ recta persequantur, res ipsas aliquando describere et tractare aut quodam translationis modo, aut sicut communis sermo per ea ferebat tempora, hodieque de multis fert rebus in quotidiana vita, ipsos inter homines scientissimos. Vulgari autem sermone quam ea primo proprieque efferantur quæ cadant sub sensus, non dissimiliter scriptor sacer (monuitque et Doctor Angelicus) " ea secutus est, quæ sensibiliter apparent (1) " seu quæ Deus ipse, homines alloquens, ad eorum captum significavit humano more. »

Hæc multis exemplis posse firmari nemo non videt, et quoniam passim obvia unicuique est applicatio hujusmodi monitorum sapientissimorum, huic rei non immorabimur.

17. Ex dictis sequitur itidem: 3/ non esse per se inquirenda in libris sacris argumenta ad profanas opiniones stabiliendas seu theorias scientificas in rebus physicis comprobandas. Neque, ubi obscura est Scriptura, ita inhærendum est alicui opinioni aut systemati rerum naturalium, quasi hic sit certus et tenendus Scripturæ sensus. Quod sapienter monet Angelicus: « Sicut Augustinus docet, in hujusmodi quæstionibus, duo sunt observanda. Primo quidem, ut veritas Scripturæ inconcusse teneatur. Secundo, cum Scriptura divina multipliciter exponi possit, quod nulli expositioni aliquis ita præcise inhæreat, ut, si certa ratione constiterit hoc esse falsum quod aliquis sensum Scripturæ credebat, id nihilominus asserere præsumat: ne Scriptura ex hoc verbo ab infidelibus derideatur, et ne eis via credendi præcludatur (2). » Ne igitur imprudenter obtrudamus nostram opinionem, sed memores simus modestiæ ejusdem S. Doctoris dicentis alibi (3): « in

(1) *Summa*, I, q. LXX, a. 1, ad 3.
(2) I, q. LXVIII, a. 1, in corp.
(3) *In II Sent.*, *dist.* II, q. 1, a. 3.

his quæ de necessitate fidei non sunt, licuit Sanctis diversimode opinari, sicut et nobis. » Ne præsertim imprudentissime nostram sententiam, quasi sit Scriptoris sacri, traducamus : « Mihi videtur, ait idem S. Thomas (1), tutius esse, hujusmodi, quæ philosophi communiter senserunt, et nostræ fidei non repugnant, nec sic esse asserenda ut dogmata fidei, etsi aliquando sub nomine philosophorum introducantur, nec sic esse neganda tamquam fidei contraria, ne sapientibus hujus mundi occasio contemnendi doctrinam fidei præbeatur. »

18. Verba etiam Augustini, ad quæ S. Thomas ut supra provocat, merito adjicimus, notatu dignissima : « Et in rebus obscuris, *ait* (2), atque a nostris oculis remotissimis, si qua inde scripta etiam divina legerimus, quæ possint salva fide qua imbuimur, alias atque alias parere sententias ; in nullam earum nos præcipiti affirmatione ita projiciamus, ut si forte diligentius discussa veritas eam recte labefactaverit, corruamus : non pro sententia Scripturarum, sed pro nostra ita dimicantes, ut eam velimus Scripturarum esse, quæ nostra est ; cum potius eam quæ Scripturarum est, nostram esse velle debeamus. »

Et paulo infra, luculenter et iterato prudentiam servandam et strictam logices regularum applicationem exemplis proponit et commendat (3), hæcque addit : « Plerumque enim accidit ut aliquid de terra, de cœlo, de cæteris mundi hujus elementis, de motu et conversione vel etiam magnitudine et intervallis siderum, de certis defectibus solis et lunæ, de circuitibus annorum et temporum, de naturis animalium, fruticum, lapidum, atque hujusmodi cæteris, etiam non christianus ita

---

(1) *Opusc.* X.

(2) *De Gen. ad litt.*, l. I, c. XVIII, n. 37, et cf. *Confess.*, l. II, c. XXIV et XXV.

(3) Et cf. eumdem Aug. *epist.* CXLIII (al. VII) *ad Marcellinum*, nn. 7-11, apud Migne P. L. t. XXIII, col. 588-589.

noverit, ut certissima ratione vel experientia teneat. Turpe est autem nimis et perniciosum ac maxime cavendum, ut christianum de his rebus quasi secundum christianas Litteras loquentem, ita delirare quilibet infidelis audiat, ut, quemadmodum dicitur, risum tenere vix possit. Et non tam molestum est, quod errans homo deridetur, sed quod auctores nostri ab eis qui foris sunt, talia sensisse creduntur, et cum magno eorum exitio de quorum salute satagimus, tamquam indocti reprehenduntur atque respuuntur. Cum enim quemquam de numero Christianorum in ea re quam optime norunt, errare deprehenderint, et vanam sententiam suam de nostris Litteris asserere : quo pacto illis Libris credituri sunt, de resurrectione mortuorum, et de spe vitæ æternæ, regnoque cœlorum, quando de his rebus quas jam experiri, vel indubitatis numeris percipere potuerunt, fallaciter putaverint esse conscriptos? Quid enim molestiæ tristitiæque ingerant prudentibus fratribus temerarii præsumptores, satis dici non potest, cum si quando de prava et falsa opinione sua reprehendi, et convinci cœperint ab eis qui nostrorum Librorum auctoritate non tenentur, ad defendendum id quod levissima temeritate et apertissima falsitate dixerunt, eosdem Libros sanctos, unde id probent, proferre conantur, vel etiam memoriter, quæ ad testimonium valere arbitrantur, multa inde verba pronuntiant, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant (1 *Tim.*, I, 7) (1). »

19. Hæc igitur nos admonent ne, vi et nomine divinæ Scripturæ, assertum alicujus scientiæ humanæ damnemus, nisi certa sit hujusmodi asserti cum certa auctoritate Scripturæ repugnantia. Quod tamen non impedit quin, ubi aliqua obscuritas est et periculum videtur ne veritas fidei seu certa doctrina Ecclesiæ labefactetur, hoc periculum indicemus, eo vel magis quod viri scien-

(1) *De Gen. ad litt.*, l. I, c. XIX, n. 39.

tiarum et critices sublimioris non infrequenter, sanæ philosophiæ et regularum logices obliti, hypothesim pro certa veritate, et conjecturas pro argumentis proponant.

Admonemur præterea, ne vi et nomine Scripturæ divinæ, humana placita vel et veritatem philosophicam, etiamsi aliunde certam, astruamus, nisi certus Scripturæ sensus has reapse veritates vel aperte edicat, vel ex nexu certo veritatis revelatæ cum veritate philosophica easdem insinuet; hoc autem eventu, nihil profecto impedit ex Scriptura eas confirmare. Neque enim cum illis faciendum est qui, quoniam scopus Scripturæ cum humanis veritatibus nihil commune habet, nihil unquam quovis modo asseri aut confirmari rationalium veritatum in sacris libris autumare videntur, omniaque affirmari ac propugnari impune posse a viris scientificis.

20. Neque magis iis assentimur qui, absque distinctione ulla, *modum proponendi* Scripturæ, dummodo ipsum dogma retineatur, ut nullius momenti habent; et ita v. g. in primo capite Geneseos, quod modum describendi creationem rerum attinet, vel merum humani scriptoris phantasiæ opus, vel fabularum inter gentes sparsarum reminiscentiam, vel et mythicum genus in illa descriptione reperiri non verentur asserere. Hoc neque divini Auctoris dignitatem nostramque in eum reverentiam decere, neque per ipsa sanæ rationis præcepta licere videtur. Quod quidem hoc in exemplo illi non attendunt, hoc est, quod scriptor humanus nonnisi divinam revelationem de prima conditione rerum, utpote soli Deo nota, referre potuerit, sive immediate sibi factam, quod valde probabile apparet, sive ad se relatam, quam ipse Deus scribendam inspiravit. Si primum dicas, num Deum finges mythum quemdam gentilium esse imitatum, aut totum reliquisse phantasiæ scriptoris inspirati, iisque immersisse quasi dogmata revelata? Annon vero potius Deus, more prophetico, imagines et quasi tabulas in phantasia scriptoris descripsit, quas

iste ad captum humanum, vel et poëtice depinxerit, ita ut dogma rite intelligeretur, etiam a simplicibus et indoctis, et quæ ad scientiam naturæ pertinent non docerentur quidem ex professo, sed nec iisdem contradiceretur, neque quasi ex consilio et intentione, absque ulla ratione aut utilitate, eadem occultarentur et falsæ apprehensioni exponerentur? Si alterum dicas, tunc quidem scriptor humanus nosse potuerit fabulas ethnicorum, quas quoad doctrinam corrigeret, sed num Deus ita eum sibi reliquit quoad formam narrandi, ut soli phantasiæ suæ indulgeret, aut mythos gentilium non ita corrigeret, ut rationabilis atque utilis esset ipse *modus* narrandi, seu is tandem quem modo supra descripsimus? Certe tota ab initio traditio catholica, scilicet Patres Ecclesiæ, totaque Schola, et deinceps agmen catholicorum interpretum omnium ita rem, ut nos, intellexerunt, multaque cura simulque et summa modestia in verum sensum narrationis mosaïcæ inquisierunt; nemini vero in mentem venit, retento dogmate, modum narrandi quasi nihili habere. Quod non leve præjudicium est adversus modernos nostros, quos hac in re arguimus.

Quod autem quidam juniores tum SS. Patrum, tum Scholasticorum, cæterorumque insignium hujus etiam temporis interpretum opinandi agendique seu generatim interpretandi modum attribuere non verentur falsæ notioni inspirationis, id incredibilis sentiendi immodestia atque intolerabilis loquendi audacia jure vocatur, quasi vero tot et tanti viri, tota quasi Ecclesia catholica hos exspectaverint, a quibus notionem inspirationis discerent! Quod autem controversia mota non fuerit antea, sicut nunc, de natura atque extensione inspirationis, profecto non arguit notionem illam fuisse falsam aut ignoratam, sed non fuisse enucleatam et clarius atque latius expositam.

Cæterum, de his satis; quod autem narrationem mosaïcam attinet, de ea mox agendum nobis erit initio tertiæ partis meditationum theologicarum.

21. Finem huic tertio doctrinæ puncto de indole et scopo scripti inspirati imponimus, exponendo quartum ex disputatis consectarium: scilicet, 4/ nulla si repugnantia inter certam doctrinam Scripturæ et veritatem quamcumque humanam certam admitti potest, neque in ipsis bibliis antilogias veras atque reales, sed apparentes tantum et mere verbales, esse concedendas. Neque enim ullus error in Scriptura est admittendus, ut luculenter docet Leo XIII, in encyc. *Providentissimus:* « Consequitur, ut qui in locis authenticis Librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinæ inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem. Atque adeo Patribus omnibus et Doctoribus persuasissimum fuit, divinas Litteras, quales ab hagiographis editæ sunt, ab omni omnino errore esse immunes, ut propterea non pauca illa, quæ contrarii aliquid vel dissimile viderentur afferre (eademque fere sunt quæ nomine novæ scientiæ nunc objiciunt), non subtiliter minus quam religiose componere inter se et conciliare studuerint; professi unanimes, Libros eos et integros et per partes a divino æque esse afflatu, Deumque ipsum per sacros auctores elocutum nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse. Ea valeant universe quæ idem Augustinus ad Hieronymum scripsit: " Ego enim fateor caritati tuæ, solis eis Scripturarum libris qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam. Ac si aliquid in eis offendero litteris quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam (1). " »

22. Sane nemo catholicorum post hæc, sub quocumque prætextu vel colore, qualemcumque errorem etiam

(1) *Epist.* LXXXII, I, *et crebrius alibi.* Ita notat Pontifex.

in minimis apud authenticas Scripturas agnoscere potest. Attamen, quod satis mirari non possumus et vehementer dolendum est, quidam ex nova, ut ajunt, schola, qui cæterorum quasi non initiatorum misereri videntur, dum se ultro subscribere confitentur doctrinæ a Pontifice propositæ, variis viis eamdem doctrinam ita temperare conantur, ut eam potius labefactare censendi sint. Ita distinctionem adhibent miserrime applicatam, de qua supra, inter veritatem relationis et veritatem relati; ita de veritate *relativa* nonnumquam loquuntur; item distinguunt inter fidelitatem narrationis essentialem, necessariam et sufficientem pro scopo auctoris, et eam concomitantes errores in rebus minoris momenti, quos appellant *inexactitudes de détail*, ne nomen *erroris* adhibere videantur; ita ut parum curandum sit de antilogiis hagiographorum in rebus hujusmodi. Multum etiam insistunt in scopo Scripturæ, nempe docendi veritates fidei et morum, ut ex hujusmodi scopo quasi unice dimetiri velint veritatem divinorum scriptorum, et consequenter aliquatenus ipsam inspirationem: non perspicientes se, dum alios falsæ notionis inspirationis insimulant, ipsos rectam hujusmodi notionem non esse assecutos.

23. Neque dubitant etiam ad Ecclesiæ Patres appellare, inter quos Augustinum, *De consensu evangelistarum*, quem legendo, ait aliquis: « Vous seriez probablement dérouté par la liberté d'allures qu'il prend en face des antilogies du récit évangélique... Le grand docteur n'a pas craint d'admettre que la mémoire a parfois manqué aux évangélistes; non seulement ils ont omis par oubli, mais ils ont mêlé, en racontant les choses comme ils s'en souvenaient; parfois même ils ont confondu et mis un nom pour un autre. » Atqui, si legit iste quod citat, nempe l. II, c. XII, nn. 27-29, ibi viderit Augustinum omni cura ad conciliandos evangelistas allaborare, nec errorem quemcumque admittere; ibique audiverit Augustinum aperte declarantem: « Omnem autem falsita-

tem abesse ab evangelistis decet, non solum eam quæ mentiendo promitur, sed etiam eam quæ obliviscendo. » Nihil in toto isto contextu invenitur, quod non sit conforme modo agendi omnium hucusque interpretum catholicorum in solvendis difficultatibus ex antilogiis apparentibus oriundis. Sane et hi interpretes non ignorarunt has explicationes S. Doctoris, et nedum nimiam libertatem in iis attoniti invenerint, potius rectam justamque conciliandi rationem Augustini imitati sunt.

Quod autem additur de confusione nominum, pertinet ad alium locum citatum ejusdem operis, nempe l. III, c. VII, nn. 29-31, ubi explicat Augustinus quomodo factum sit ut apud *Matth.*, XXVII, 9 legatur: per *Jeremiam* prophetam, cum prophetia sit *Zachariæ*. Audiendo supra citatum auctorem gallum, crederes Augustinum id simpliciter tribuere errori a parte Matthæi. Atqui, S. Doctor, postquam proposuit solutionem difficultatis ex errore amanuensium, qui vel addiderint nomen Jeremiæ, ubi Matthæus scripserat solum *per prophetam dicentem*, vel mutaverint nomen Zachariæ, quod prius scriptum fuerat, hanc quidem solutionem non admittit, sed legendum esse contendit Jeremiam, quamvis prophetia sit Zachariæ. Atvero, num hoc simpliciter errori Matthæi tribuendum esse agnoscit, ita ut erronee inveniatur in evangelio? Absit, sed quia (etiamsi id in Matthæo lapsu memoriæ contigerit, quod admonitus certe emendasset, ait, nisi cogitasset recordationi suæ, quæ Spiritu sancto regebatur, non frustra occurrisse nomen Zachariæ) sed quia, inquam, positiva voluntate ipse Deus eum sic scribere voluit; cujus rei rationem affert: ut Deus nos doceret perfectam concordiam esse inter prophetas, ita ut quod Zacharias dixit, et Jeremias et alii dixerint, qui uno ore Spiritus sancti loquebantur. Tandem et aliam causam tangit « cur hoc nomen Jeremiæ in testimonio Zachariæ sic manere permissum, vel potius sancti Spiritus auctoritate præceptum sit. » Videlicet quia Matthæus citaverit quoad

sensum prophetiam, quæ partim apud utrumque prophetam reperitur, et ut admoneatur lector, non invento testimonio apud Jeremiam, nisi de agro empto, reliqua quærenda esse de pretio, triginta argenteis, apud alium prophetam, et conferendum esse testimonium utrumque (1).

Hæ quidem solutiones Augustini possunt non arridere multis, sed quid iis inest quod vel a longe indicet *in evangeliis* errorem seu confusionem nominum ab Augustino admitti?

24. Idem auctor gallus etiam Doctorem maximum Hieronymum invocat variis locis. Et primo quidem in *Matth.*, XIII, 35; quid autem ex hoc velit, nescimus: nihil aliud dicit Hieronymus quam se cum Vulgata ibi scribere: *per prophetam dicentem*, cum arbitretur in principio editum ita: *per Asaph prophetam*, quod imperitus scriptor, cum non intellexerit, emendaverit posito nomine Isaiæ, cujus vocabulum manifestius erat, et revera in nonnullis codicibus legitur; quod quidem a prudentibus viris fuerit sublatum. Quid inde?

Deinde in *Matth.*, XXVII, 9, de quo suprà apud Augustinum, hæc habet Hieronymus: « Mihi videtur magis de Zacharia sumptum testimonium: evangelistarum et apostolorum more vulgato, qui verborum ordine prætermisso sensus tantum de veteri testamento proferunt in exemplum. »

Unde nec difficultatem hic solvit, sed nec quidquam profert unde putandus sit errorem aliquem in evangeliis agnovisse. Alio vero in loco, *epist.* LVII, n. 7, hæc habet: « Accusent apostolum falsitatis, quod nec cum hebraïco, nec cum Septuaginta congruat translatoribus; et quod his majus est, erret in nomine, pro Zacharia quippe Jeremiam posuit. Sed absit hoc de pedissequo Christi dicere: cui curæ fuit non verba et syllabas aucupari, sed sententias dogmatum ponere. »

---

(1) Ita etiam Theophylactus legit et legendum vult: per Jeremiam *et* prophetam, quia, ait, miscentur una simul, quæ a duobus dicta sunt.

Facere igitur solet Hieronymus, quod alibi notat: « In rebus obscuris diversas ponimus opiniones, ut non tam scribere quam loqui tibi coram videamur. » Ibidem pergens aliam difficultatem tangit: « Cæterum Apostolus interminabiles genealogias et Judaïcas fabulas prohibens, de istiusmodi mihi videtur interdicere quæstionibus [videlicet de duratione regni regum Juda et Israël]. Quid enim prodest hærere in littera, et vel scriptoris (1) errorem, vel annorum seriem calumniari, cum manifestissime scribatur: *Littera occidit, spiritus autem vivificat* (2 *Cor.*, III). Relege omnes et veteris et novi testamenti libros, et tantam annorum reperies dissonantiam, et numerum inter Judam et Israël, id est, inter regnum utrumque confusum, ut hujuscemodi hærere quæstionibus, non tam studiosi, quam otiosi hominis esse videatur (2). » Hæ igitur quæstiones de variis lectionibus sunt, quæ, ubi numeri intercedunt, nemo non videt quam difficile sit originalem sacri Scriptoris textum stabilire. Quamplurima etiam ignoramus, et valde incerta sunt præprimis quæ ad chronologiam biblicam spectant, ita ut plus quam temerarium sit de similibus velle definitum judicium ferre, et calumniari seriem annorum.

Idem S. Doctor in *Michæam* (l. II, c. V) V, 2, agens de testimonio adducto apud *Matth.*, II, 5, citat quidem « istiusmodi errorem, ut aut ordo mutetur, aut verba, et interdum sensus quoque ipse diversus sit, vel apostolis vel evangelistis non ex libro carpentibus testimonia, sed memoriæ credentibus, quæ nonnumquam fallitur. » Sed hæc non ex suo sensu affirmat, quem percepimus supra in *Matth.*, XXVII, et *epist.* LVII, sed ex aliorum: modo enim citata verba introducit hac forma: « Sunt autem qui asserant... istiusmodi esse

(1) Per scriptorem non intelligendum putamus hagiographum sed amanuensem, ut supra etiam loquitur idem Hieronymus in *Matth.*, XIII.

(2) *Epist.*, LXXII, n. 5.

errorem... » Præterea suam in casu solutionem aperte indicat: « Arbitror Matthæum, volentem arguere scribarum et sacerdotum erga divinæ Scripturæ lectionem negligentiam, sic etiam posuisse, ut ab eis dictum est. » Scilicet: *Et tu, Bethleem terra Juda, nequaquam minima es* etc. quod nec hebraico, nec Septuaginta interpretibus convenit.

25. Cæterum evidens est ubi Scriptor sacer sive expresse se significat, sive implicite censendus est loqui juxta externas apparentias, juxta receptum illius temporis usum, aut hominum existimationem, potius quam juxta intimam rei veritatem, ibi non esse locum errori aut falsitati cuivis, quod crebro Hieronymus (1), Augustinus, aliique advertunt, ut de Anania, qui propheta dicitur (*Jerem.*, XXVIII), de Joseph, qui dicitur pater Jesu, etc., sed et nunc temporis nemo de errore in his cogitat aut hæc mira esse autumat, cum imo et nunc ita homines loquantur. Hæc omnia non sunt nova, neque ulli interpreti fuerunt ignota; quorsum ergo hæc omnia a quibusdam junioribus proferuntur?

Quæ tandem ex Origene objiciuntur, t. X *in Joan.*, 2 et sqq., pertinent ad suum interpretandi morem quo, sicut hic, sæpe alibi litteræ detrahit fidem Origenes, quam anagogicis expositionibus conciliare nititur, et nimis longum esset hæc persequi. Neque necesse id est, quum Origenes, qui solus quosdam novit, quos non nominat nec ullus cæterorum Patrum nosse videtur, qui erroneas sententias in Scripturis admiserint, hos tamen non est secutus, et cum multa ausus fuerit, horum tamen temeritati non accessit.

---

(1) Ita Hieronymus sentit Herodem gavisum fuisse de petitione Herodiadis, cum Matthæus dicat: contristatus est rex. Sed evangelista, si recta sit Hieronymi sententia, non ideo falsum dixit, sed, quam externe monstravit tristitiam hypocrita, notavit, neque in hoc ei contradicit Hieronymus.

IV

26. Absoluta jam expositione trium doctrinæ punctorum, quibus vera natura ac indoles sacrorum librorum innotesceret, conclusionis instar quædam monita practica atque consilia nullo negotio e prædictis eruemus.

Et primo quidem, generale monitum est ut, sicut in omni disciplina id maximi momenti est, ita hac in re stricte inhæreamus logices regulis, imo et sanæ universim philosophiæ principiis regi nos sinamus. Ea ratione nec incognitum pro cognito, nec incertum pro certo, nec conjectura pro argumento sumetur, neque falsæ aut confusæ notiones erunt; quod quidem haud raro apud scientiarum physicarum seu naturalium cultores, apud criticos et historicos contingit, quos, cum a certa Ecclesiæ doctrina deflectere videris, defectu philosophiæ et in specie logices illos evanescere in ratiociniis suis cito deprehendes; quod crebro quoque novarum rerum amatoribus accidere perspicies.

In antedictis toties huic monito locus fuit, ut non amplius ei instare necesse sit.

27. Jam magis specialiter loquendo, quemadmodum nullam scientiam intimius aggredi atque scrutari (præter elementa, intellige, scientiæ addiscenda) sine prævia sanæ philosophiæ armatura licet, sic neque Scripturarum proprie dictam seu veram scientiam sine debita præparatione theologica. Certo errant, qui putant cum fructu et absque periculo in scientiam scripturisticam, qua late patet, incumbere posse juvenes qui curriculum theologicum non percurrerint, imo gradusque academicos non ascenderint. Initiari quidem possunt debentque, dum in theologiæ palæstra exercentur, tum elementis studii scripturistici minoris scholæ alumni, tum intimiori et latiori scientiæ Scripturarum theologiæ majoris discipuli, prudenter quidem, ne immodestiam opinandi loquendique ebibant; sed nisi consuetum fundamentum theologicum, idque solidum atque integrum,

nullo detracto lapide, firmum subsistat, quæcumque superstruuntur hinc vel inde cum multiplici ruinæ periculo vacillabunt.

Videlicet, præprimis retinenda est vera optimeque perspecta doctrina Ecclesiæ de natura libri inspirati, de canone sacrorum librorum et authentia Vulgatæ, de supremo Ecclesiæ interpretandi magisterio; quibus rite intellectis, et linguarum græcæ, hebraïcæ, cæterarumque orientalium notitia percepta, in studia philologica et historica, in antiquitatum inquisitionem, in artem criticam incumbere licebit, adhibitis etiam quæ apud eruditos heterodoxos ac rationalistas inveniuntur, secundum tamen strictæ logices regulas exacta, ita ut in dubiis et genuina lectio Scripturæ stabiliri possit et in obscuris verus sacri Scriptoris sensus indagari.

Nemo non videt quanta hæc res sit, quæ præter ingenium perspicax, specialem aptitudinem, debitam præparationem, exigit longum assiduumque laborem, quod profecto paucorum est; quamquam nullus sacerdos ab his studiis ita alienus esse debet, ut ex illorum paucorum fructibus percipere non possit.

28. Itaque plane absona sunt quæ a quibusdam dicta referuntur (quod credere non possumus): quasi unusquisque Scripturam per se ipsam interpretari deberet, neque adhibenda sint interpretum commentaria! Quis umquam talia cogitavit? Non ipse certe Doctor Maximus, Hieronymus, qui omnium ferme scripta legit et nonnulla commentaria, ut Origenis in Jeremiam et Ezechielem, e græco in latinum vertit. Et Augustinus: « Si unaquæque disciplina, *inquit*, quamquam vilis et facilis, ut percipi possit, doctorem aut magistrum requirit, quid temerariæ superbiæ plenius, quam divinorum sacramentorum libros ab interpretibus suis nolle cognoscere (1). »

Et porro, quasi adhibenda sint sola vel præ cæteris

(1) Ad Honorat. *De utilitate cred.*, XVII, 35, cit. in encycl. *Providentissimus*, quam hac de re legas.

Rationalistarum scripta, despectis catholicis interpretibus. Contra hujusmodi insaniam, audiatur Concilium Tridentinum: « Præterea, ad coërcenda petulantia ingenia, decernit ut nemo, suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei et morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus detorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat; etiamsi hujusmodi interpretationes nullo umquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contravenerint, per Ordinarios declarentur, et pœnis a jure statutis puniantur. » Neque vero soli Patres despici non debent. « Cæterorum interpretum catholicorum est minor quidem auctoritas, attamen, quoniam Bibliorum studia continuum quemdam progressum in Ecclesia habuerunt, istorum pariter commentariis suus tribuendus est honor, ex quibus multa opportune peti liceat ad refellenda contraria, ad difficiliora enodanda. At vero id nimium dedecet, ut quis, egregiis operibus, quæ nostri abunde reliquerunt, ignoratis aut despectis, heterodoxorum libros præoptet, ab eisque cum præsenti sanæ doctrinæ periculo et non raro cum detrimento fidei, explicationem locorum quærat, in quibus catholici ingenia et labores suos jamdudum optimeque collocarint. Licet enim heterodoxorum studiis, prudenter adhibitis, juvari interdum possit interpres catholicus, meminerit tamen, ex crebris quoque veterum documentis (1), incorruptum sacrarum Litterarum sensum extra Ecclesiam neutiquam reperiri, neque ab eis tradi posse qui, veræ fidei expertes, Scripturæ non medullam attingunt, sed corticem rodunt (2). » Ita Leo XIII, in encycl. *Providentissimus*.

(1) Cf. Clem. Alex., *Strom.*, VII, 16; Orig., *De princ.*, IV, 8; *In Levit.*, *hom.* 4, 8; Tertull., *De præscr.*, 15, seq.; S. Hilar. Pict., *in Matth.*, XIII, 1.

(2) S. Greg. M., *Moral.*, XX, 9 (al. 11).

29. Quod autem in specie Rationalistas attinet, ubi de philologia et arte critica, de historia et inquisitione rerum antiquarum præprimis agitur, diffitendum non est eos ingenti labore et industria talia produxisse, quibus viri catholici non parum adjuventur, imo et exstimulentur ut simili studio inquirant nec jam ab illis solum mutuentur illarum rerum notitiam. Quamquam et in hoc caute procedendum est: ex præjudicatis enim opinionibus isti sæpius loquuntur, et, cum se sectatores rationis puræ profitentur, non raro a regulis rationis recedunt, affirmantes quod ignorant, conjecturas pro certis rationibus et putida sophismata pro ratiociniis habentes. Atvero, ab hujusmodi viris, qui a priori miracula et prophetias, revelationem divinam, totumque ordinem supernaturalem negant, eaque, contra omne rationis præceptum, quavis ratiocinatione et disputatione despecta, ut impossibilia rejiciunt, ab illis, inquam, sensum et interpretationem divini verbi exquirere, quod aliud non docet nisi a Deo supernaturaliter revelata, nihil absurdius esse potest. Quod autem Rationalistas quosdam, Gallos præcipue, quos inter vulgarizatores, ut ajunt, computes, utpote qui in usum vulgarem, scil. omnium sive simplicium sive in aliis forte rebus doctorum, libros novi præsertim testamenti interpretantur, mendaciis et sophismatibus fidem vulgi, ex mera impietate, pessumdantes: quod tales impios et scelestos quidam catholici non verentur laudibus extollere, vera dementia est: si enim ex aliis forte operibus illis fuerit tribuenda quædam doctrinæ laus, hanc in libris, de quibus dicimus, merito delevisse ipsi dicendi sunt, cum his nulla veri nominis scientia contineatur.

30. Ultimum monitum et consilium nostrum est ut omnes sacerdotes juniorque clerus attente perlegant et sedulo meditentur litteras apostolicas Leonis XIII, *Providentissimus Deus*. — Porro vigilandum est nobis præprimis sacerdotibus et clericis, ut abstineamus ab

omni opinandi loquendique immodestia, sed et caveamus ab omni scripto hujusmodi immodestiam redolente, quæ cæterum veram scientiam non comitatur. Quæramus autem medullam, verum genuinumque sensum verbi Dei apud Patres et catholicos interpretes: quis enim non videt, hoc generatim Clero esse longe præcipuum, ut, rite percepto sensu sacrorum eloquiorum, aptus sit ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum in justitia, ad seipsum pabulo divino nutriendum atque sanctificandum; et, si diu noctuque in id incumbamus, nondum fore ut tempus nobis suppetat ad intellectum integrum sacrarum Scripturarum assequendum.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Maii.

—

I

Expone doctrinam de Redemptione propositam a S. Paulo in epistola ad Rom. III, 23-26.

II

Expone quid importet perfecta æqualitas divinarum Personarum.

III

Ostende quomodo peccatum mortale necessario inducat reatum *pœnæ æternæ*, et quidem *damni* et *sensus*.

IV

Da notionem peccati venialis actualis.

V

Quæritur utrum aliquando licita sit cooperatio positiva stricte sumpta ad peccatum alterius. Explica.

VI

Quænam sumi debent secunda et tertia oratio in missis votivis privatis.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Februarii propositas.

—

I

Q. Explica Marc. III, 27-29: *Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi prius fortem alliget et tunc domum ejus diripiet. Amen dico vobis quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata et blasphemiæ quibus blasphemaverint. Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.*

R. Scribæ ea ratione explicaverant miracula Jesu quatenus per virtutem Beelzebub, principis dæmoniorum, ejiciat dæmonia (v. 22). Jesus autem primo variis comparationibus ostendit hanc explicationem esse impossibilem (vv. 23-26); deinde huic opponit (ἀλλὰ in græco) veram explicationem sub nova quadam comparatione (v. 27): Nemo qui ingressus fuerit in domum cujusdam viri fortis, potest ustensilia ejus rapere nisi prius alligaverit fortem. Facilis est applicatio: Jesus nequit ejicere dæmones nisi prius devicerit principem dæmoniorum. Necesse autem non est quærere de significatione domus fortis ejusque ustensilium, nam Jesus non proponit allegoriam, sed comparationem.

Solemni deinde sermone *(amen dico vobis)* ostendit malitiam hujus calumniæ (v. 29) et ut eam magis extollat, hanc blasphemiam irremissibilem omnibus omnino (1) aliis blasphemiis opponit (v. 28).

Petitur autem quid sit blasphemia contra Spiritum sanctum et quomodo sit irremissibilis.

---

(1) Ad majorem emphasim vox *omnia* sicut in Vulg. ita et in græco initio propositionis ponitur, longe a substantivo cui pertinet.

Ad 1m: « Certum est peccatum in Spiritum sanctum non dici, quod contra Spiritus sancti personam est, quia illud cujus causa hæc a Christo sententia pronuntiata est, non contra personam Spiritus sancti, sed contra Christi personam erat: dicebant enim eum spiritum immundum habere. Illud etiam certum, peccatum in Spiritum sanctum non semper omnium peccatorum esse gravissimum, nam.... athei, quibus hodie plenus est orbis, haud paulo magis peccant quam illi Pharisæi... Certum etiam... non de omni peccati in Spiritum sanctum genere Christum hic agere, sed de eo tantum quod in contumeliosis verbis consistit: hoc enim blasphemiæ nomen significat ». Ita Maldonatus. Qui, post recensitas non minus quam decem interpretationes quæ apud antiquos Scriptores occurrunt, addit: « Verus sensus non aliunde quam ex hoc ipso loco eruendus. Videmus qua occasione hoc Christus dixerit, quia dicebant Pharisæi eum in Beelzebub ejicere dæmonia, manifesta Spiritus sancti opera dæmoni tribuentes; hoc ergo est peccare in Spiritum sanctum ».

Ad 2m ita dicit « Nunquam remittitur, non utique propterea quod remitti non possit; tenenda est regula fidei, quæ nullum peccatum esse docet, quod a Deo remitti non possit; neque propterea quod nunquam remittatur, credibile enim est aliquos etiam ex illis, qui tunc Christum dicebant in Beelzebub ejicere dæmonia, postea resipuisse; sed propterea quod qui in Spiritum sanctum peccant, nullam peccati excusationem habeant, ideoque natura sua veniam non mereantur. In aliis plerisque peccatis aut ignorantia aut infirmitas, si non omnino, aliqua saltem ex parte culpam excusat.... At in peccato contra Spiritum sanctum nihil ejusmodi, quod culpam elevare possit, reperitur....

« At omnia peccata mortalia, dicet aliquis, ejusmodi sunt, ut veniam natura sua non mereantur: cur enim quæ mortalia non sunt, venialia dicuntur, nisi quia veniam merentur?.... Respondeo nullum peccatum

mortale natura sua veniam mereri; sed alia, si cum hoc comparentur, quia aliquam excusationem præ se ferunt, digna videri venia ».

Aliter Lucas Brug. : « Numquam aut certe admodum raro fit ut remittatur. Veræ quidem pœnitentiæ numquam admissi venia negatur; cœterum hi, ut numquam ad remissionem, ita nec ad pœnitentiam perveniunt. Ratio est, quia directo oppugnant id sine quo ad pœnitentiam et peccatorum remissionem perveniri nequit, Spiritum sanctum scilicet sive gratiam Spiritus sancti : a qua dum manent alieni, excæcantur magis magisque, obdurantur, traduntur in reprobum sensum, ita ut ad pœnitentiam numquam adspirent. »

A. D. B.

II

Q. **Expone notionem** *processionis divinæ ad intra.*

R. 1. Nomen **processionis** primo est inventum ad significandum *motum localem*, secundum quem aliquid ordinate, nempe successive, ab uno loco per medium transit in extremum (1); inde hoc nomen translatum est ad designandum omnem exitum causati a causa, et ulterius ad notificandam omnem eductionem seu emanationem principiati a principio, seu omnem **originem unius ab alio** (2).

2. Jamvero origo unius ab alio concipi nequit nisi inquantum sit aliqua *operatio* ratione cujus unum procedat ab alio (3).

Sed jam oportet ut **duplex genus processionis** accurate et diligenter distinguatur. Apud creaturas enim

---

(1) Apud auctores latinos antiquos nomen *processionis* adhibetur v. gr. de *agmine* (la marche) exercitus.

(2) Cf. S. Thomas, *De Potentia*, Q. X, a. 1; in I, D. XIII, Q. I, a. 3 ad 1 et ad 2.

(3) Cf. S. Thomas, I, Q. XXVII, a. 1.

dupliciter aliquid procedit seu oritur ab alio: uno modo sicut **operatio**, alio modo sicut **operatum** (1), scilicet sicut res producta (2).

Et sane operatio definitur *actualitas virtutis:* ita intellectio est actualitas virtutis intellectivæ, et volitio, actualitas virtutis volitivæ. Porro in creaturis actualitas virtutis est quædam entitas realiter distincta ab essentia operantis et ab ejusdem potentia operativa, est aliquod accidens: igitur quando aliqua creatura fit actu agens, tunc ipsa operatio, *entitative* spectata, emanat seu procedit ab operante (3): hæc est processio *operationis.* Præterea sæpe, non semper, operans operando *producit aliquid*, scilicet dat esse physicum alicui quod prius non existebat et quod distinctum est ab ipsa operatione: v. gr. generans producit genitum, artifex producit artificiatum, puta statuam, homo intelligens secundum naturales intellectus vires producit verbum mentis seu speciem expressam: talis processio est processio *operati.*

Quam ut plenius intelligamus, in memoriam revocemus distinctionem inter operationem *immanentem* et operationem *transeuntem. Immanens* operatio illa est « quæ in ipso operante manet et est ipsius operantis perfectio, ut sentire, intelligere, velle » (4); *transiens* operatio illa est « quæ in exteriorem rem transit, quæ est perfectio facti quod per ipsam constituitur, ut calefacere, secare, ædificare » (5).

Inde operatio transiens « de sui ratione dicit *pro-*

---

(1) Hîc *passive* accipitur hoc participium sicut etiam fit in vocabulis *ex opere operato.*

(2) « Dupliciter potest aliquid procedere ab altero: uno modo sicut actio ab agente. vel operatio ab operante; alio modo sicut operatum ab operante. » S. Thomas, *De Veritate*, Q. IV, a. 2, ad 7.

(3) Nempe operatio emanat a supposito tamquam a principio *quod* agit, emanat a natura tamquam a principio *primo quo* agit suppositum et emanat a potentia operativa seu facultate tamquam a principio *proximo quo* agit suppositum.

(4) S. Thomas, *S. cont. Gent.* L. II, c. 1.

(5) Id. ibid.

ductionem alicujus *effectus extra* operantem; unde tam impossibile est ut operatio transiens detur absque processione *operati* quam impossibile est ut sit effectio absque effectu vel causalitas absque causato » (1). Aliter res se habet de operatione immanente: non enim est de ratione operationis immanentis in quantum hujusmodi ut sit productio alicujus operati. Sed operatio immanens quandoque habet *operatum*, quandoque non: operatio immanens qua talis nunquam producit effectum *extra* operantem, ut patet ex ipsa definitione operationis immanentis: sed alia operatio immanens producit *intra* operantem aliquod operatum, alia vero non (2). V. gr. in homine secundum naturæ vires intelligente, ipsa operatione intellectus producitur verbum, nempe species expressa, in ipsa facultate intellectiva remanens: ideo quando homo fit actu intelligens, tunc in ipso habetur *et* processio *operationis et* processio *operati*. E contrario quando homo vult, ipsa operatione volitiva non producitur (saltem secundum communem sententiam) aliquid in voluntate realiter distinctum ab ipsa operatione volendi: ideo quando homo fit actu volens, tunc in ipso habetur *sola* processio *operationis* (3).

---

(1) Billot, *De Deo Uno et Trino*, Romæ, 1897, p. 322.

(2) Cf. Cajetanus, in I. Q. XXVII. a. 1. n. XI.

(3) Cf. S. Thomas, De Veritate, Q. IV, a. 2, ad 7. — Licet omnis operatio habeat aliquem *terminum*, tamen ille terminus non est semper aliquid proprie productum, scilicet causatum secundum esse reale seu *physicum*, sed potest esse aliquid causatum secundum esse *intentionale*, et tunc non est aliquid *proprie operatum*. Ad rem Ferrariensis: « Quum omnis potentia activa aut productiva alicujus operationis habeat aliquod objectum in quod per suam operationem tendit, et ad quod sua operatio terminatur, necesse est omnem operationem medium aliquo modo esse inter potentiam quæ est ejus principium productivum et objectum quod est ejus terminus: sed aliquando ipse terminus est per talem operationem productus, sicut in actionibus transeuntibus apparet: aliquando vero non est productus simpliciter secundum suum esse reale, licet sit forte productus secundum aliquod esse intentionale. Sentire (v. gr. *videre*) est operatio et emanatio quædam cujus principium elicitivum est potentia sensitiva: terminus vero est ipsum sensibile (v. gr. objectum *visibile*) quod secundum esse quidem naturale aut reale non est productum per

3. Ex Revelatione cognoscimus esse realiter in ipso Deo duos *procedentes*, scilicet Filium qui a Patre originem habet et Spiritum sanctum qui tum a Patre tum a Filio habet originem: ergo oportet ut in Deo sint etiam realiter *processiones ad intra*.

Ut possimus nobis efformare notionem divinæ processionis ad intra oportet ut illam intelligamus per *analogiam* a processionibus ad intra quæ apud nos inveniuntur (1), removendo quidquid in eis est imperfectionis.

Imprimis nequit esse in Deo processio *operationis:* hæc enim importat ut *ipsius operationis entitas*, scilicet ipsa *actualitas virtutis*, emanet ab agente, ideoque sit aliquod accidens realiter distinctum ab essentia agentis: « igitur fingere in Deo processionem operationis nihil aliud esset quam ponere in ipso potentialitatem et motum et compositionem » (2): quæ omnia Deo repugnant.

Præterea nequit esse in Deo processio *proprie operati ad intra* (3): nam hoc deberet esse aliquid in Deo vere *causatum:* quod repugnat quum Deus sit ens omnino *necessarium*.

Remanet ut in Deo sit *processio* **secundum operationem et per modum operati**. Etenim licet in Deo non esse

---

actum sentiendi. Secundum tamen aliquam rationem potest dici aliquo modo productum, sc. in ratione sensati in actu (v. gr. *visi* in actu). *Comment. in S. cont. Gent.* L. IV, c. 11.

(1) Minime dicimus illas quæ apud nos sunt processiones esse rationem ex qua deducere possumus esse in Deo processiones, sed, posita SS. Trinitatis revelatione, possumus ex consideratione processionum, quæ apud nos sunt, juvari in concipiendo id quod Deus nobis revelavit.

(2) Billot, op. c. p. 321.

(3) Omnis Dei operatio est formaliter immanens: attamen est quædam Dei operatio quæ *eminenter* seu *virtualiter* transiens est, scilicet operatio intellectus et voluntatis prout sine ulla sui mutatione contingenter terminatur ad creaturas producendas, conservandas, regendas. Hujus operationis divinæ est aliquis terminus vere productus, aliquid *operatum*, nempe creatura: sed illud operatum est *extra* Deum ac processio illius operati est *processio ad extra*, non ad intra. Cf. S. Thomas, *S. cont. Gent.* L. II, c. 1; Billot, op. c. p. 322.

possit processio *operationis*, tamen divina processio debet esse *secundum operationem:* quia processio concipi nequit nisi *ratione* alicujus operationis. Deinde hæc processio debet esse *per modum operati:* nam non possumus concipere aliquid aliud *procedens* quam vel ipsam *operationem,* vel operationis *terminum:* jamvero *nullo modo* potest esse *realiter* in Deo processio *operationis:* quia hæc *processio* importat ut operans *perficiatur:* operatio enim est perfectio operantis. Relinguitur ut in Deo sit processio termini operationis: hæc autem non dicitur in Deo processio *operati*, quia in Deo *proprie* operatum seu causatum esse nequit; sed dicitur *per modum operati*, quia in Deo habetur aliquid correspondens ad id quod apud nos est *operatum* (1).

4. Quum ex fide constet dari processiones divinas ad intra, quum illæ processiones nequeant esse nisi secundum operationem *immanentem*, et quum in puro spiritu non alia sit immanens operatio quam *intellectus* et *voluntatis,* oportet ut processiones divinas ad intra intelligere conemur per analogiam ad processionem operati vel per modum operati quæ apud nos invenitur in intellectu et in voluntate.

Jamvero in homine ut intelligat secundum suæ naturæ vires tria requiruntur: « *Primo,* principium intellectionis, id est intellectus informatus specie intelligibili impressa; *secundo,* operatio elicita, id est, intellectio;... *tertio* verbum ut terminans operationem tam in ratione operati quam in ratione objecti; in ratione quidem operati quia est forma quædam secundum operationem

(1) « Processus ergo operationis ab operante non distinguit rem per se existentem ab alia re per se existente; sed distinguit perfectionem a perfecto, quia operatio est perfectio operantis. Sed processus operati distinguit unam rem ab alia. In divinis autem non potest secundum rem esse distinctio perfectionis a perfectibili. Inveniuntur tamen in Deo res ab invicem distinctæ, scilicet tres personæ; et ideo processus qui significatur in divinis ut operationis ab operante, non est nisi rationis tantum; sed processus qui significatur ut rei a principio potest in Deo realiter inveniri. » S. Thomas, *De Veritate,* Q. IV, a. 2, ad 7.

intellectivam producta; in ratione objecti, quia est species intellecta in qua scilicet intelligitur res extra intellectum consistens » (1).

Hic etiam notemus verbum formaliter consideratum ut similitudinem intentionalem rei intellectæ sese habere ut *rem intellectam in intelligente ipsam;* præterea reales dari relationes « inter verbum intellectualiter procedens et illud a quo procedit » (2).

Nunc supposito quod in Deo sit *realis processio* secundum operationem *intellectus*, inquirimus in quo talis ratio salvetur. Imprimis, ut ex supra dictis constat, hæc erit processio *per modum operati*. Porro in Deo intelligere est realiter ipsum esse: quapropter in Deo realiter idem sunt omnia quæ ad operationem intellectivam concurrunt quocumque modo: ergo in Deo realiter idem sunt et principium intellectionis, et operatio intelligendi et ipsum verbum in quantum est aliqua res *absoluta* (3) nempe in quantum est res intellecta in esse intellecto. Repugnat igitur ut in Deo intelligente

---

(1) Billot, op. c. p. 328. Cf. Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *Meditationes Theologicæ*, in *Collat. Brug.*, T. I, p. 337 et seq.; De Jaegher, *Institutiones Philosophicæ*, Rollarii, 1900, n 422 et seq.

(2) S. Thomas, I, Q. XXVIII, a. 1 ad 4.

(3) In scholastica expositione mysterii SS. Trinitatis nullam majoris momenti invenire est distinctionem quam distinctionem inter rem *absolutam* et rem *relativam* seu *relationem*. Res *absoluta* est omne id quod *ex propria ratione* sui generis dicit vel ponit ipsum *subjectum* aut *aliquid in subjecto, modificans* illud. Ita *substantia* ex propria ratione sui generis dicit *ens cui competit esse in se*; *qualitas* ex formali sui ratione dicit aliquid *intrinsece modificans* substantiam: hæc (et omnia alia prædicamenta præter relationem) sunt res *absolutæ*: sed *relatio ex propria ratione sui generis* nihil dicit quam respectum *ad aliud*: relatio ex sola formali sui ratione non dicit modificationem subjecti, sed esse *ad*: nominat scilicet respectum quodammodo contingentem ipsam rem relatam, prout ab ea tendit in alterum: consequenter relatio formaliter considerata nullam addit *perfectionem* rei relatæ. Quando sermo est de *verbo* mentis oportet distinguere ipsum verbum prout est res absoluta, nempe prout est apud nos aliquod accidens inhærens intellectui, et *relationem* illius verbi ad intellectum. Cf. S. Thomas, I. Q. VI, a. 2, a. 1; Q. XXVIII, a. 1; Cajetanus, Comment. in h. l.; Billot, op. c. p. 377; De Jaegher, op. c. n. 258; *Collat. Brug.* supra p. 21 et p. 92.

procedat verbum a suo principio distinctum quoad esse *absolutum*, quapropter si datur in Deo realis processio secundum operationem intellectus et consequenter realis distinctio inter procedentem et principium a quo procedit, hæc non aliter haberi potest quam secundum **relationes** reales intelligentis ad rem intellectam in esse intellecto, et rei intellectæ in esse intellecto ad intelligentem (1). Hæ relationes et ipsæ sunt realiter idem ac ipsa essentia divina et proinde sunt *subsistentes*, sed quum sint ad invicem oppositæ ideo sunt ab invicem realiter distinctæ.

Sicut per analogiam ab intellectione nostra conati sumus intelligere quid sit in Deo processio secundum operationem intellectus, ita conabimur intelligere quid sit in Deo processio secundum operationem voluntatis per analogiam ad nostrum volendi actum. Hæc autem processio intellectu difficilior est.

Hoc imprimis in memoriam revocemus quod : « Cum ad voluntatem plures actus pertinere videantur, ut desiderare, delectari, odisse et hujusmodi, omnium tamen et unum principium et communis radix *amor* invenitur... Ex hoc enim quod aliquid amamus, desideramus illud si absit, gaudemus autem cum adest, et tristamur cum ab eo impedimur; et odimus quæ nos ab amato impediunt, et irascimur contra ea » (2). Quæstio igitur de processione secundum operationem voluntatis versatur circa principalem voluntatis operationem, nempe actum amandi (3).

In homine dum amat invenitur et principium amandi, nempe voluntas, et ipsa operatio elicita, nempe amor :

---

(1) Potissima differentia quæ intercedit inter processionem verbi apud nos et apud Deum in hoc est quod « id quod procedit in anima est absolutum et accidens, in Deo autem minime : nam procedens est relativus subsistens, sola relatione distinctus a principio pariter relativo » Billot, op. c. p. 604.

(2) S. Thomas, *S. cont. Gent.* L. IV, c. 19.

(3) Cf. Billot, op. c. p. 333.

sed non habetur (saltem secundum communem sententiam) tertia realitas, nempe res aliqua producta, quemadmodum habetur in intellectu verbum seu species expressa. Consequenter in homine non habentur reales relationes inter aliquid quod procederet in voluntate et illud a quo procedit.

Attamen etiam in voluntate res amata quodammodo est intentionaliter in amante: quatenus nempe amans inclinatur ad rem amatam et quatenus hæc inclinatio est quædam virtus seu quidam influxus rei amatæ in amante. « Hæc inclinatio (licet non realiter distincta ab actione amandi tamquam ejus operatum) habet tamen distinctam formalitatem operati: dum scilicet actio amandi consideratur *ut actualitas virtutis ipsius operantis*, seu ut motus quo amans seipsum movet seseque coaptat bono amabili; inclinatio vero qua trahitur amans in amatum consideratur potius ut *quædam virtus amati*, et pro tanto dicitur amatum in amante, juxta illud S. Thomæ, L. IV, c. Gent, c. 19: « Amatum in voluntate existit ut inclinans et quodammodo impellens intrinsece amantem in ipsam rem amatam » (1). Ratione igitur distinguere possumus rem amatam in esse amato et ipsum amantem et ratione concipere relationes inter rem amatam in esse amato et amantem.

Sicut in Deo intelligere est ipsum esse ita et velle seu amare: quapropter in Deo realiter idem sunt omnia quæ ad operationem amandi concurrunt quocumque modo. Repugnat ut in Deo amante procedat realiter aliquid quod sit distinctum quoad esse *absolutum* a suo principio: quapropter si datur in Deo realis processio secundum operationem voluntatis et consequenter realis distinctio inter procedentem et principium a quo procedit, hæc non aliter haberi potest quam secundum reales **relationes** amantis ad rem amatam in esse amato et rei amatæ in esse amato ad amantem.

---

(1) Billot, op. c. p. 334.

Conclusio. Processio divina ad intra seu *origo* unius ab alio in Deo est processio *secundum operationem* et *per modum operati:* est processio una secundum operationem intellectus per modum *rei intellectæ* in esse intellecto, et altera secundum operationem voluntatis per modum *rei amatæ* in esse amato: hæc autem processio realiter nihil aliud est quam realis *relatio*, relatio nempe principiati ad principium, sed relatio *subsistens*, utpote realiter identificata cum essentia divina quæ est ipsum Esse.

J. V. D. M.

III

Q. *Titius sacerdos, nocte evigilans videnque horam undecimam indicatam in horologio, sumit haustum aquæ; mane autem stupefactus advertit horologium eamdem adhuc indicare horam: an et quare potest celebrare? — Idem, transacta probabiliter media nocte feriæ VI, manducat carnes cum intentione non celebrandi in Sabbato, sed simul dat hoc consilium socio puta itineris: probabiliter nondum est media nox, ergo potes aliquid sumere, servata utique lege abstinentiæ, et mane celebrare: dijudica modum agendi Titii.*

R. Ad I/. *Titius tutò celebrare potest.* Etenim dubium habetur negativum facti, et quidem tale, ut supponit ipse tenor quæstionis positæ, in quo habeatur vera utriusque partis ignorantia, utrum nempe Titius biberit ante an post mediam noctem. Quum autem agatur de facto fundante obligationem abstinendi a celebrando, hæc dici debet prorsus dubia adeoque nulla.

Ad intelligentiam solutionis propositæ hæc breviter notamus: Imprimis quæstio est, ut patet, de *sola liceitate* celebrationis. Unde audiri non debet Sanchez (1), contendens in casu viam tutiorem esse sequendam

(1) *De matrim.*, Lib. II, disp. 41, n. 40. Cfr. Ills ac Revs Waffelaert, *De dubio solvendo in re morali*, n. 217.

propter reverentiam Sacramenti, quasi hujus valor aut fructus periclitarentur (1). Ad quam æquivocationem tollendam satis erit animadvertisse jejunium naturale esse quidem ab Ecclesia præceptum propter reverentiam Sacramenti, sed periculum irreverentiæ ex hac parte non esse timendum nisi propter violatum præceptum Ecclesiæ. Jamvero in casu nullum habetur periculum ne violetur lex ecclesiastica de jejunio naturali: hæc enim, et est secundum notandum, lex est prohibitiva, prohibens scilicet Communionem post sumptum cibum vel potum. Probandum igitur est factum fracti jejunii, ut quis teneatur abstinere; non vero huic, ut asserit Card. de Lugo (2), incumbit onus probandi se non comedisse post mediam noctem (3).

Negandum tamen non est fieri posse ut quis *in casu simili* teneatur abstinere a celebrando: sicut enim interdum aliquis certus esse posset se non bibisse post mediam noctem, puta quia memor est se percepisse motum sui horologii vel aliud audivisse nuntians horam eamdem, ita etiam alicui moraliter certo constare posset de fracto jejunio, ut si singulis fere noctibus evigilet, media nocte jam notabiliter transacta, et casu quo bibit fidens suo horologio nullam habeat rationem seriam putandi hac vice somnum citius solito fuisse interruptum. Nam ex communiter contingentibus prudens fit præsumptio, et in casu haberetur « probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat » (4).

---

(1) Vide *suprà*, p. 25.

(2) *De Euchar.*, Disp. XV, Sect. 2, n. 44. Rationem indicatam admittit pro dubitante de ipsa comestione, sed non pro eo qui scit se comedisse, sed dubitat an esset post mediam noctem. Attamen eadem solutio valet: etenim non, ut ipse dicit, comestio autert jus ad communicandum, sed comestio *post mediam noctem*. Cf. S. Alph., Lib. I, n. 39 coll. n. 38 et Lib. VI, n. 282; Lahousse, *De Euchar.*, n. 138.

(3) Diversa esset solutio, si ageretur de lege quadam positiva, puta recitandi Horas canonicas: qui dubitaret (dubio negativo) de facto recitationis, adhuc teneretur recitare.

(4) S. Th. 2-2, q. LXX, art. 2; coll. 1-2, q. XCVI, art. 1, ad 3.

Ad II/. *Modus agendi Titii non videtur improbandus.* Imprimis licite manducat carnes (in supposito utique quod illo Sabbato non teneatur lege abstinentiæ): simpliciter enim applicat, et quidem recte, principium commune Probabilistis et Æquiprobabilistis: *obligatio dubia est obligatio nulla;* nec recurrit ad principium possessionis, quo non indiget, quodque in casu nequit restringere principium adductum (1). Quodsi quis nihilominus velit applicare principium possessionis, resolvet in casu *possidere* libertatem, non vero præceptum abstinentiæ (2). — Sed major habetur difficultas in hoc quod *simul* det Titius socio indicatum consilium: primo enim aspectu videtur perperam applicare probabilismum ad oppositas sententias probabiles. Hoc sane obtineret, si vel ipse ederet carnes et simul intenderet celebrare, vel socium ad utrumque consilio induceret. Sed rem penitius inspicienti apparebit modum agendi Titii in casu proposito non esse damnandum: sane ex eo quod Titius usus sit sententia probabili mediam noctem esse transactam, socius ejus non amittit jus utendi sententia opposita, dummodo hæc, ut supponitur, sit etiam probabilis; atvero si socius licite utitur sententia opposita, profecto licite etiam Titius eum ad hoc inducit consilio: honestas

---

(1) De hac restrictione, quæ in casu obtrudi posset, theoretice saltem, ab Æquiprobabilistis, diximus *suprà*, p. 170 ss.

(2) Nonnulli tamen contenderunt possidere, ut aiunt, legem abstinentiæ, et forte nituntur solutioni datæ apud Haine, *Theol. Moralis elementa*, tract. *de conscientia*, q. 26: « Si die Jovis dubites an sit duodecima noctis. potes adhuc manducare carnes; si die Sabbati dubites, non potes, juxta plerosque; quia in primo casu libertas, in secundo obligatio abstinendi possidet ». Quoad ultimum dubium: si est negativum, valet solutio; si est positivum, non valet (Cf. *suprà*, p. 173 ss). Non satis distinguitur dubium negativum et positivum in *l. cit.* apud Haine; ceterum integra ejus expositio de conscientia dubia et probabili desideraretur accuratior et clarior. Si quis vero auctoritatem invocaret Cl. Bouquillon, in 1ª ed. n. 370, remittendus esset ad n. 361, 364 et 377 ubi diserte dicit se nn. 363-373 præ oculis habere dubium negativum.

enim consilii pendet, seclusis utique scandalo et pravo fine, ab honestate actus qui consulitur.

Objiciet aliquis in casu violari certò alterutram legem. Respondemus hanc rationem non procedere, nisi agatur *de una eademque persona* simul utrumque contradictorium probabile ad praxim deducente: tunc enim, quamvis ignoretur utra lex violetur materialiter, minime ignoratur alterutram eludi ab agente; unde sciens se legem *aliquam* violare, illicite agit; sed si agatur de diversa persona, præcise quia ignoratur utra lex violetur, ignoratur etiam utra persona alterutrum præceptum lædat, adeoque utrumque agens liberum est a peccato formali seu licite agit. — Neque magis proficit obtrudens hanc objectionem: una probabilitas in praxim deducta practice destruit oppositam. Quæ propositio est ad minus ambigua, ne eam dicamus falsam, saltem prout jacet: nam in casu ex eo quod Titius in praxim deducit sententiam probabilem de transacta media nocte, non potest impediri socius ejus a deducendo in praxim sententiam contradictoriam. Accuratius et verius dicetur cum Ill° ac Rev° Waffelaert: « Quando duo contradictoria sunt speculative dubia aut probabilia, nullo modo est dubium aut probabile utrumque simul esse verum, imo vero hoc repugnat » (1). Jamvero in solutione proposita nihil absurdi reperitur, quod liquet ex hac comparatione: ut Titius posset manducare carnes cum intentione mane celebrandi, « requireretur ut sit probabile *simul esse mediam noctem et non esse*, quod repugnat » (2), seu ut sit probabile quod simul sit media nox et non sit; at in casu proposito requiritur et sufficit ut sit *simul probabile* esse mediam noctem et non esse seu ut utrumque sit probabile, quod minime repugnat.

H. M.

---

(1) *De dubio solvendo in re morali, n. 208,* sub 1°.
(2) *Ibid.*

IV

Q. *Proba in omni scandalo directo speciei contra charitatem addi speciem peccati contra virtutem ad quam lædendam proximus inducitur.*

R. 1/ *Argumentum directum.* Quælibet virtus non solum directe prohibet homines quominus ipsi eam violent, sed insuper *indirecte* prohibet ne alios *inducant* ad eam violandam.

Atqui in omni scandalo directo, quæcumque sit scandalizantis intentio (1), proximus *inducitur positivo influxu ac vera efficacia morali* ad violandam virtutem.

Ergo in omni scandalo directo speciei contra charitatem additur species peccati contra obligationem *indirectam* virtutis ad quam lædendam proximus inducitur.

Major patet: etenim actio, inducens proximum ad peccandum contra determinatam virtutem, vel est vera causa in ordine morali hujus peccati proximi, sine quà positâ proximus dictam virtutem non violaret; vel saltem, etiamsi proximus prævidetur (2) non peccaturus, formaliter est volitio et approbatio violationis illius virtutis. Ergo est formale peccatum huic virtuti oppositum. — Quod autem hæc malitia opponatur obligationi *indirectæ* virtutis, explicabitur infrà.

Minor ex definitione scandali directi (3) hujusque explicatione (4) satis intelligitur.

2/ *Confirmatur a posteriori, argumento ab absurdo.* Si in scandalo directo solùm esset malitia contra charitatem propter detrimentum spirituale proximo illatum, et nulla esset malitia contra specialem virtutem, cui oppo-

---

(1) Cfr. *suprà* p. 101.

(2) Unde hæc scandali malitia adest quando prævidetur conatum sollicitationis seu inductionis fore incassum: gravior tamen malitia tùm contrà charitatem, tùm contra virtutem lædendam contrahitur, cæteris paribus, quo certior effectus prævidetur.

(3) Vide *suprà* p. 95 ss., 99 s.

(4) *Ibid.* p. 100 ss.

nitur peccatum illud particulare, ad quod proximus inducitur, *sequeretur nullum omnino esse peccatum inducere proximum ad peccatum materiale,* v. g. si inducas ad comedendas carnes eum qui oblitus est præceptum hodierni jejunii. *Consequentia probatur:* « quia tunc nullum prorsus infers detrimentum spirituale vel corporale proximo, cùm ipse non peccet propter inadvertentiam. Ergo si illa inductio non habet malitiam nisi ex detrimento proximi, nullam prorsus habebis malitiam in prædicto casu. Consequens nemo concedet: alioquin liceret inducere ad mendacium, inobedientiam, et similia, eum qui invincibiliter ignoraret hæc esse illicita. Fatendum ergo est ejusmodi inductionem non solum adversari charitati propter spirituale detrimentum proximi, sed etiam lædere specialem virtutem in illa materia particulari, quæ indirecte obligat nos, ne cooperemur alicui ad ejus violationem » (1).

3/ *Argumentum auctoritatis.* Thesim probatam Theologi unanimes asserunt probantque, licet unus alterve a communissima sententia minime recedens, difficultates quoad casus particulares proponat, quas rite solutas invenire est apud Ill^m ac Reverend^m Waffelaert: *Etude de théologie morale sur la Coopération suivie d'une Dissertation sur l'Espèce Morale du Scandale.* Bruges 1883, p. 184 ss.

Explicanda manet specifica malitia contra virtutem specialem ad quam lædendam proximus inducitur. Diximus autem dictam malitiam opponi obligationi *indirectæ* virtutis. Est enim hæc obligatio indirecta *specifice distincta* ab obligatione primaria et directa in omnibus virtutibus quæ sunt *ad nos*, vel quæ sunt *imperfecte ad alterum* et ideo communiter partes potentiales justitiæ (2) vocantur, quales sunt obedientia, religio, pietas

(1) Lugo, *De Sacram. Pœnit.* Disp. XVI, Sect. IV, n. 155. — Cfr. *Collat. Brug.*, T. VII, p. 308 ss.

(2) Cfr. Ill^m ac Reverend^m Waffelaert, *Tract. de Justitia*, Brugis, Tom. I (1885) n. 20.

etc. Ut notat Lugo (1) « neque enim ejusdem speciei est violare jejunium, et provocare quod alter illud violet; sicut neque est virtus ejusdem speciei velle jejunare, ac velle quod alii jejunent; *sed est peccatum alterius speciei contra obligationem indirectam ejusdem virtutis,* eo quod singulæ virtutes directe quidem obligant ad suos actus quos directe præcipiunt; indirecte autem obligant alios ut non avertant homines ab observantia illius actus præcepti ».

In *sola justitia* tamen quæ est perfecte ad alterum utraque obligatio, alibi distincta, sub respectu morali *per se et generatim* identificatur: alter enim habet *jus strictum* ne in bonis suis actu tuo positivo et efficaci lædatur, sive hæc efficacia directe et immediate pendeat ex actu tuo, sive mediante actione proximi vim suam exserat. Quod, ut patet, sequitur ex ipsa justitiæ natura: jus *strictum* alteri debitum tanquam objectum habet, adeoque ejus obligatio cessat statim ac, deficiente jure stricto, cessat obligatio directa (2).

Quod iterum præclare confirmat Lugo (3): « aliquando tamen simul contrahet (inducens scil.) aliam malitiam *ejusdem speciei,* ut si inducas alium ad furtum vel homicidium, peccas quidem non solo peccato scandali, propter inductionem ad peccandum, sed etiam *peccato furti et injustitiæ;* quia lædis *jus* quod dominus habet ne coopereris ablationi injustæ suarum rerum » (4).

Diximum in virtute justitiæ *per se et generatim* utramque obligationem identificari, nam *in casu quodam particulari et per accidens* justitia habet obligationem indirectam quæ in scandalo directo violari potest: casu nempe quo quis, juri suo stricto minime cedens, alterum ad illud jus lædendum induceret. Ità qui absque justa

---

(1) *De Justitia.* Disp. IX, n. 14.

(2) Cfr. Ill^m ac Reverend^m Waffelaert, *Etude sur la Coopér.* etc. p. 145.

(3) *o. c.*, ibid.

(4) Unde intelligitur eum, qui peccato scandali directi fuit causa efficax damni, teneri ad restituendum.

causa petit mutuum sub usuris, mutuantem inducit ad violandam justitiam strictam (datur enim alteritas perfecta inter mutuantem et mutuatarium); nihilominus per accidens mutuatarius non esset formaliter injustus, cum alteritas erga se adeoque jus strictum deficiat. Attamen lædit obligationem justitiæ *indirectam*, quia inducit ad jus strictum violandum (1). Sit igitur sequens

Conclusio: In omni peccato scandali directi, præter speciem contra charitatem inest species contra obligationem *indirectam* virtutis ad quam lædendam proximus inducitur, nisi tamen virtus lædenda sit justitia: hujus enim violatur obligatio *directa*, excepto casu quo quis, juri suo non cedens, alterum induceret ad illud jus violandum.

Est igitur *certissima obligatio* pœnitentis in confessione scandali directi declarare, quodnam fuerit peccatum ad quod alterum induxerit aut inducere voluerit (2).

A. C.

V

Q. *Quæritur utrum in scandalo indirecto regulariter sit alia species peccati præter speciem charitati oppositam? Proba responsum.*

R. *In scandalo indirecto* (3) *regulariter non est alia species peccati præter speciem charitati oppositam — Dicimus « regulariter », nam a addiur species contra virtutem lædendam a proximo, si agatur de violanda virtute quæ,*

---

(1) Cfr. Illmo ac Reverend^mo Waffelaert, *o. c.*, p. 136, 145 s.

(2) In peccato quod cum complice committitur, sume luxuriam, etiam consentiens alterum suo modo inducit ad peccatum; quare, qui prior seducendo incœpit, graviore quidem circumstantia sed non specie diversa peccat, nisi forsan scandalum fuerit diabolicum. Unde, ad integritatem confessionis quod attinet, malitia scandali per se sufficienter exprimitur declarando speciem peccati cum complice peracti. Videsis Lehmkull, *Theol. Mor.*, Tom. I, n. 630.

(3) *Suprà* definito p. 99 s.; 102 ss.

ut fides, etiam obligat ad impediendum peccatorem, adeoque, a fortiori, ad non dandam occasionem peccato; b per accidens, si nempe indirecte scandalizans intendat violationem virtutis, additur peccatum affectus interni contra dictam virtutem, non autem peccatum externum (1).

Probatur thesis. *1m argumentum.* Singula virtus directe quidem prohibet quominus ipse eam violem, indirecte verò ne alios ad eam violandam inducam (2); attamen nullo argumento probatur eam obligare ne ponam occasionem violandæ virtutis per alios, vel a fortiori ut virtutis violationes apud alios impediam, aut ut positive procurem quod alii eam amplectantur (3). Ad hoc sola charitas per se obligat, (ut suprà p. 177 ss. ostendimus) sub certis conditionibus, ut apud alterum observationem virtutis procuremus, adeoque, a fortiori, præcepto negativo vetat quominus absque causa sufficiente proximo occasionem virtutis violandæ præbeamus. Idcirco, ea etiam de causa scandalo indirecto speciem contra charitatem inesse jure merito asseruimus.

Jamvero, nullus hucusque solide probavit obligationem absque justa causa non præbendi occasionem violandæ virtutis, imponi *speciali uniuscujusque virtutis præcepto.*

Solvitur difficultas. Sequens argumentum, variis modis propositum, plures auctores adducunt: sicut voluntarium indirectum sufficit ad peccandum, ità etiam sufficit ad peccandum contra talem virtutem, respectu cujus voluntarium indirectum est: unde est quod in moralibus voluntarium directum et indirectum ad eamdem speciem pertinent (4).

---

(1) Cfr. Illm ac Reverendm Waffelaert, *Annot. in Tract. de Virt. theol.*, Brugis 1900, n. 541 (in fine).

(2) Vide *suprà* p. 269.

(3) Cfr. Illm ac Reverendm Waffelaert, *Etude sur la Coopération* etc. Bruges, 1883, p. 140 s.

(4) Cfr. Bucceroni, *Instit. Theol. mor.*, Romæ 1893, vol. I, n. 424; — Aertnys, *Theol. mor.*, Tornaci 1890, Tom. I, p. 143; S. Alphonsus.

Voluntarium directum et indirectum ad eamdem speciem pertinere, necnon sufficere ad peccandum cóntra virtutem specialem voluntarium indirectum, minime inficiamur. Verùm — et ex hac parte dictum argumentum omnino claudicat — peccatum ad quod proximus per scandalum *indirectum* inducitur *nequaquàm est indirecte voluntarium seu voluntarium in causa.*

Etenim, ut effectus (peccatum proximi) ex actione vel omissione (scandalo indirecto) sequens sit voluntarius in causa, non sufficit ut causa (actio vel omissio) libere ponatur et ut ipse effectus fuerit aliquo modo prævisus, sed insuper requiritur ut effectus ex causa sequatur *per se* seu ex ipsa causæ natura; vel, si effectus sequatur *per accidens* tantum et præter naturam causæ, oportet ut agens obligatus sit causam omittere, præcise qua causam, id est: ideo ne sequatur effectus (1).

Jamvero, peccatum proximi nullo modo sequitur *per se* ex scandalo indirecto: ex ipsa enim scandali indirecti notione (2) liquet peccatum proximi minime ut effectum contineri in actione scandalizante a qua omnino est separabilis. Neque, licet sequatur *per accidens*, adest specialis singularum virtutum obligatio vitandi causam qua causam seu ne sequatur effectus externus. Etenim scandalum indirectum est causa omnino imperfecta, et licet adsit obligatio charitatis vitandi hanc causam (quamtumvis imperfectam) qua nata est nocumentum spirituale proximo afferre, non probatur adesse specialis obligatio *virtutis lædendæ*, causam vitandi *qua causam peccati externi alieni.* Effectus (peccatum proximi)

Lib. III, Tract. III, n. 45: « occasio illa, esto non sit causa de se influxiva (ad peccatum) est tamen causa moralis ut proximus peccet; dicitur *causa moralis*, quæ in substantia æquivalet causæ directe inductivæ ad peccatum, cùm sine ea proximus non peccaret ».

(1) Cfr. Bouquillon, *Theol. mor. fund.*, Brugis 1890, n. 322; ed. 3a (1902) n. 32. — Illm ac Reverendm Waffelaert, *Etude sur la Coopér.* etc., p. 148; — *Collat. Brug.*, Tom. I, p. 284 ss.

(2) Vide suprà p. 99 ss.; 102 ss.

non est satis connexus cum causa ut effectus, *qua talis,* volenti causam sit *voluntarius*.

Quando accedit *intentio* determinata effectus seu peccati proximi, et ea intentione ponitur causa ut sequatur peccatum proximi, tunc intentio illa, licet non suppleat connexionem requisitam (1) ut effectus sit vere *voluntarius* (quia deficit causalitas proprie dicta), efficit tamen ut effectus ille sit *volitus* (2): adeoque in hoc casu additur *peccatum affectus interni* contra virtutem ad quam lædendam scandalum indirectum imperfecte inducit, seu cujus est causa improprie dicta.

Tota difficultas practice eo redit ut causa proprie dicta a causa late dicta seu scandalum directum ab indirecto secernatur (3): ipsa principia indubia arbitramur.

2m argumentum desumitur ex doctrina ab adversariis admissa. Omnes enim fatentur eum qui, absque intentione proximum ad injustitiam inducendi, ipsi *occasionem* (4) violandæ *justitiæ* præbuit, non teneri ad restitutionem. Inde jure merito concludimus ipsum scandalizantem jus alienum efficaciter non læsisse: siquidem omnis læsio juris alieni voluntaria et efficax secum trahit obligationem restituendi. Ergo non ex propria justitiæ obligatione, sed ex sola obligatione charitatis, scandalizans tenetur abstinere a præbenda occasione violandæ justitiæ (5).

Ad *argumentum auctoritatis* quod attinet cfr. Disser-

---

(1) Libenter concedimus ad rationem causæ multum conducere intentionem operantis, eamque dictam connexionem quandoque supplere et efficere ut effectus sit operanti *voluntarius;* attamen ad hoc requiritur vera et proprie dicta causa quæ in scandalo indirecto deficit. Cfr. Illm ac Reverendm Waffelaert, *Etude sur la Coopér.* etc., p. 148 s.; — Lugo, *De Justitia et Jure*, Disp. VIII, n. 75-77.

(2) Cfr. Bouquillon, *o. c.*, nº 323 (2a ed.), n. 32 (3a ed.).

(3) Cfr. Illm ac Reverendm Waffelaert, *o. c.*, p. 148.

(4) Quando v. g. prævides ex tua *intemperantia* Petrum, præter tuam intentionem, inducendum esse ad furtum.

(5) Hanc consequentiam frustra adversarii effugere conantur ut ostendit Ills ac Reverends Waffelaert, *o. c.*, p. 141 ss.

tationem Ill^i ac Reverendi Waffelaert, p. 132 ss. 150 ss. Probabilitatem extrinsecam sententiæ S. Alphonsi et aliorum nolumus negare: inter recentiores tamen Theologos nullos fere nacta est defensores (1).

Probatur 1ª limitatio: Attamen in scandalo indirecto additur species contra virtutem lædendam a proximo, si agitur de virtute quæ obligat ad impediendum peccatorem, adeoque, a fortiori, ad non dandum occasionem peccato. Hujusmodi autem videtur esse *virtus fidei divinæ*. Auctores enim communiter docent præceptum externæ fidei professionis per accidens urgere quando fides et veracitas divina contumeliose tractatur ab aliis quos possumus impedire (2). Hoc præceptum quidem alii aliis verbis proponunt, quoad substantiam verò unanimes theologi admittunt. Unde cùm fides indirecte obliget ad *impediendam* læsionem auctoritatis divinæ, merito deducimus eam *a fortiori* indirecte obligare ne scandalo indirecto occasio illius læsionis præbeatur (3).

Probatur 2ª limitatio. Si indirecte scandalizans violationem virtutis intendat, per accidens additur charitatis læsioni peccatum affectus interni contra eam virtutem, propter pravam illam voluntatem; non tamen additur peccatum externum eidem virtuti oppositum.

---

(1) Ità thesi nostræ (saltem ut probabiliori) patrocinantur Ballerini-Palmieri, *opus theol. mor.*, vol. II (Prati 1890) p. 169, n. 199; — Lehmkull, *Theol. mor.*, Friburgi B. 1898, T. I, n. 630 (ed. X, eod. num.); — Bucceroni, *Instit. theol. mor.*, Romæ 1893, p. 154, n. 124; — Theol. Mechlin. *Tract. de Virt.* (1896) p. 185; — D'Annibale, *summula Theol. mor.*, Pars II, Romæ 1896, n. 87-88; — Haine, *Theol. mor.*, T. I, Lovanii 1894, p. 322; Ill^s Lambrecht, *Verklaring van den mechel. catech.* Gent 1890, p. 615; — Génicot, *Theol. mor. Instit.*, Lovanii 1898, vol. I, p. 199, n. 232; — Berardi, *Praxis Confess.* Bononiæ 1887, vol. I, n. 595, malitiam levem admittit contra virtutes quas forte scandalizatus offensurus erit « quum impulsus supponatur levis »; — Aertnys C. SS. R. *Theol. mor.*, Tornaci 1890, Tom. I, p. 143, ità adhæret sententiæ S. Alphonsi ut nostram thesim practice haud probabilem ducat!

(2) Cfr. Bouquillon, *Tract. de virt. theol.*, Brugis, 1878, n. 195. — Lugo, *De Fide div.*, Disp. XIV, S. IV, n. 62 s.

(3) Cfr. *Collat. Brug.*, T. VII, p. 88 s.

Etenim cùm in scandalo indirecto omnis causalitas proprie dicta deficiat, peccatum proximi nequit *qua effectus externus* esse voluntarium in causa (1), adeoque nequit in propria specie imputari (2).

Conclusio practica. Thesis probata extrinsece est probabilior — hodiedum saltem — quam sententia opposita; intrinsecè verò ità ex traditis argumentis probabilior apparet, ut probabilitas doctrinæ, omni scandalo indirecto vindicantis speciale peccatum contra virtutem cujus violandæ præbetur occasio, fere tota evanescere videatur (3). Unde *practice* necesse non est, ad speciem moralem peccati scandali quod attinet (4), pœnitentem in confessione speciem peccati alieni exprimere cui ansam dederit, sed sufficit generatim declarare peccatum scandali ejusque gravitatem ac malitiam quam forte ex se habet.

A. C.

VI

Q. *Qualis præscribitur parochis residentia ?*

R. Non qualiscumque imponitur parochis residentia, sed variis stipata conditionibus, quæ sunt quasi qualitates ejus. Videlicet

I° *Quoad modum* residendi seu indolem residentiæ præceptæ: debet esse *formalis* seu laboriosa, et non sufficit materialis tantum. Hoc aperte colligitur ex ipso textu Decretalium, Lib. III, Tit. IV, c. *quia nonnulli* 3:

---

(1) Cfr. Ill^{m} ac Reverend^{m} Waffelaert, *o. c.*, p. 140, 148. — Illud peccatum esset *volitum*, non autem *voluntarium*. Cfr. *Collat. Brug.*, T. VII, p. 80 s.

(2) Vide *statim suprà*, p. 273 ss.

(3) Cfr. Ill^{m} ac Reverend^{m} Waffelaert, *o. c.*, p. 151 s.

(4) Nam ex alio capite (v. g. ut judicet confessarius de gravitate scandali, necnon de malitia quam actio scandalizans ex sua natura habere potest) ordinarie materia in qua scandalum datum fuerit, declaranda erit.

« Cum igitur ecclesia vel ecclesiasticum ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in loco, et curam ejus per seipsam valeat exercere ». Unde axioma receptum: « Residere nihil aliud est quam deservire » (1). Apposite Ben. XIV: « Advertendum hic est, ait, ut quis residentiæ legem impleat, quam Tridentinum Concilium ac Summi Pontifices tantopere commendant atque præcipiunt, haudquaquam satis esse, si corpore solum intersit, in desidia tamen versetur, vel tantum leviora munera sibi desumat, reliqua vero ministris committat. Residentiam quippe non cum inertia sed cum laboribus conjungendam esse Tridentina Synodus jubet... » (2). Quamvis autem, ut videtur (3), parochi, qui materialiter tantum resident et per alios officio suo quoad substantiam funguntur, fructus faciant suos neque ad ullam restitutionem teneantur, « illud tamen certum est, desides ejusmodi parochos lethali crimini obnoxios esse, et a præside pro culpæ gravitate plectendos » (4). Attamen « sufficienter formalis seu laboriosa censenda est residentia parochi, si parochialium muniorum partem notabilem per seipsum expleat; quamvis multa vicariis adjutoribus exequenda relinquat » (5). In his consuetudo attendi debet, quæ est optima legum interpres. Unde in nostris regionibus, ubi in parochiis sat numerosis solent adjungi parocho vicarii, qui eum ex officio adjuvent in exercenda cura animarum, parochus quidem, juxta principia exposita, tenetur per seipsum et personaliter munia parochialia obire, ita ut vere dici

---

(1) Fagnanus, in Lib. III Decret., tit. IV, c. 6. Cf. *Rev. théol. franç.*, T. V, p. 371 ss.

(2) *Instit. eccl.*, XVII, n. 6.

(3) Cf. Reiffenstuel, in Lib. III, Tit. IV, n. 87, et alii ibi citati; Henry, *De residentia beneficiatorum*, Lovanii 1863, p. 161; Van den Berghe, Tract. autogr. *de Parochis*, n. 164; Wernz, *Jus Decretalium*, T. II, (Romæ 1899), n. 484, II.

(4) Bened. XIV, *ubi supra*.

(5) Bouix, *De parocho*, Part. V, cap. I, § VI.

possit curam suæ parochiæ personaliter exercere, vicarium vero esse cooperatorem ; attamen appretiatione quadam morali opus est, ne scilicet parocho ita rigorosa imponatur residentia, ut jam evadat fere inutile ministerium cooperatoris (1).

II° *Quoad locum.* Parochus residere debet *intra limites parochiæ*, imo *in domo parochiali*, si hæc existat, ut pluries declaratum est a S. C. C. ; quodsi desint ædes parochiales, debet conducere domum intra fines parochiæ sitam et ecclesiæ suæ vicinam (2). Nota tamen hanc obligationem admittere aliquas excusationis causas, ut etiam patet ex variis declarationibus S. C. C. (3).

III° *Quoad tempus.* Parochus residere tenetur diurno ac nocturno tempore (4), et quidem *continuò*. Ejus tamen commoratio non debet esse continua *physice*, ita ut ne exiguo temporis intervallo abesse possit, sed intelligenda est *moraliter*, quoniam, ut dicit Trid., *Sess.* XXIII, Cap. I, *De reform.*, « qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt ». Per quantum vero tempus et sub quibusnam conditionibus abesse liceat parochis, inquirunt Auctores (5).

H. M.

---

(1) Cf. Henry, *op. cit.*, p. 162, coll. Reiffenstuel, *l. cit* , n. 86.

(2) Cf. Henry, *op. cit.*, p. 163 ss. ; *Nouv. rev. théol.*, T. XXVIII, p. 261 ss. ; *Rev. théol. fr.*, T. VII, p. 683 ss. ; De Brabandere-Van Coillie, n. 464 ; Van den Berghe, *op. cit.*, n. 165 ; Bouix, *l. cit.*, § 1 recenset declarationes huc spectantes, ex Ben. XIV, *Instit. eccl.*, XVII.

(3) Cf. Henry, *op. cit.*, p. 167 sq. ; *Rev théol. fr.*, *l. cit.*, p. 686 ss.

(4) S. C. C. 10 Maii 1687, cit. apud Bouix, *l. cit.*, n. 12.

(5) Cf. Henry, *op. cit.*, p. 169 sqq. ; De Brabandere-Van Coillie, n. 465 ; Van den Berghe, *op. cit.*, n. 167 ss. ; *Nouv. rev. théol.*, *l. cit.*, p. 263 ss. ; p. 382 ss. ; *Rev. théol. fr.*, T. VII, p. 739 ss. ; T. VIII, p. 46 ss.

Pensions de Vieillesse

Allocation annuelle de 65 francs

—

Interprétation de l'art. 14 de l'A. R. du 30 décembre 1902 (v. pl. ht. p. 115 ss.).

On nous a signalé de divers côtés l'extrême difficulté qu'ont rencontrée les impétrants et leurs mandataires, à réunir tous les documents requis en vertu de l'art. 10, en particulier les pièces justifiant de la qualité d'ouvrier ou d'ancien ouvrier et les états de salaires de l'intéressé, de son conjoint, de ses enfants ou descendants. Beaucoup de requêtes ont dû être introduites avant le 28 février sans qu'il ait été possible d'y joindre toutes les pièces justificatives requises. Il est, dans certains cas, absolument impossible de se procurer tous les documents. — On nous demande si les Comités de patronage peuvent, en vertu de l'art. 14, alin. 4, écarter ces requêtes comme non recevables?

Les termes du susdit art. 14 alin. 4, portant que ces demandes *pourront* être écartées, laissent entendre suffisamment que les Comités de patronage auront à rechercher avant tout la *cause* du retard apporté à compléter les pièces justificatives, et, éventuellement, de l'absence totale de certains documents au dossier. Les requêtes incomplètes ne seront écartées que dans le cas où il sera prouvé que ce retard ou cette absence sont imputables à l'impétrant.

Cette interprétation qui est suggérée par les termes mêmes de l'arrêté, est confirmée par une réponse de M. le Ministre de l'industrie et du travail (1): « En

(1) Chambre des Représ. (Séance du 10 mars 1903) *Ann. parl.* p 795 s

vertu de l'art. 14 alin. 4, de l'A. R. du 30 décembre 1902, les Comités de patronage ne sont pas obligés d'écarter comme non recevables les demandes introduites avant le 1r janvier 1903, mais auxquelles toutes les pièces justificatives requises à l'art. 10, n'ont pas été jointes jusqu'au 28 février au plus tard. Ces Comités apprécieront à cet égard si le retard apporté à compléter les dossiers provient de la négligence de l'intéressé ou de la difficulté de se procurer certains documents ».

A. C.

Consultationes

I

Q. Bertha, ætatis 13 annorum, anno elapso et hoc anno adscripta fuit ad 1am communionem faciendam. Instigante prava matre nec scholam nec catechesim, nisi paucis omnino diebus adivit. Pastor per duos annos omnia conamina adhibuit ut eam instruendi saltem occasionem haberet, sed in vanum. Ideo valde dubitans de puellæ capacitate et memor disciplinæ diœcesanæ, et hoc anno eam admittere recusat nisi sese ad instructionem præviam, etiam si matri placeat privatim datam, submittat. Mater ira accensa ducit filiam in aliam parochiam, ut, ibi ignota, confiteatur et s. communionem accipiat. — Petitur

1° quid judicandum de modo agendi pastoris recusantis puellam?

2° quid de modo agendi puellæ et matris?

3° an puellæ in posterum s. communionem publice petenti danda vel deneganda sit.

R. I/ **Disciplina vigens.**

Parocho competit, sub auctoritate Episcopi, jus ac

officium pueros, ad primam communionem admitti cupientes, examinandi utrum ad SS. Eucharistiam suscipiendam idonei existant ac rite instructi. Quod jus in multis locis reapse a solo parocho exercetur, ad tramites Litterarum Encyclicarum Benedicti XIV, *Etsi minime* (1), § 9, quarum tenoris vi Episcopi *parochis* districte præcipere debent « ne quis eorum sacrum Eucharistiæ sacramentum administret... iis qui graviora Fidei ac Doctrinæ capita et Sacramenti virtutem et vim ignorent ; vel quia parum in hoc tyrocinio profecerint, vel quia ea neglexerint audire, quæ ad hujusmodi sacramenta pie riteque suscipienda statis temporibus tradita sunt » ; parum infrà § 14, addens : « monendus parochus, ne alienæ opera minium tribuat, sed videat ipse quo loco res sint, cum pueri sacramentum Eucharistiæ.... sibi administrari exposcant ».

In hunc sensum plura extant decreta synodalia non tantum in Gallia et Belgio sed in variis locis, uti constat ex relatione facta apud *Nouv. Rev. théol.*, XX, p. 275 et seq., collato tomo I, p. 309 et seq. Ita etiam *Pastorale Brugense*, p. 71, n. 2, parochos monet ut « pueri ad primam communionem non admittantur, nisi prius diligenter examinati et instructi, eaque discretione et ætate sint, ut dijudicare possint Corpus Domini ».

Possunt igitur ac debent parochi pueros, quos, diligenti facto examine, incapaces et ignaros repererint, a S. Eucharistiæ susceptione arcere ; iisdemque parochis, in multis locis, positivo statuto, judicium illud ferendum reservatur.

Insuper « decretum Congregationis prosynodalis anni 1866, (2) n. 10, jus tribuit parochis diœcesis

---

(1) *Parvum Bullarum*, I, pp. 225 et seq.

(2) « Pueri et puellæ, qui propter distantiam vel difficultatem viarum, ad propriæ parochiæ scholam non accedunt, sed alienam frequentant, equidem, ab initio Quadragesimæ, nisi parochus aliter concedat, catechismo suæ parochialis ecclesiæ interesse debebunt ». *Collectio Epist. Pastor.*, XI, p. 141.

Brugensis, pueros et puellas vocandi ad catechismum ecclesiæ parochialis », in præparationem ad primam communionem tradendum. De Brabandere-Van Coillie, *Jus Canon.*, I, n. 459.

Quinimo videtur quod pueros, huic disciplinæ, sine proportionata causa, sese subtrahentes vel a parentibus mala fide subtractos, licet sufficienter eruditos, posset parochus a prima communione repellere, signanter si eorum admissio scandalum provocare esset nata, aliisque occasioni foret ut disciplinam vigentem flocci-facerent; hanc tamen exclusionem restringendam esse censemus ad primam communionem *in forma solemni* peragendam, non autem extendendam ad communionem, privatim et absque consueta solemnitate, instituendam.

Quæ distinctio nititur in responso S. Congr. Concilii, 21 Julii 1888, simul cum declaratione diei 23 Julii proxime sequentis, circa decreta Episcopi Anneciensis, admissionem ad primam communionem spectantia, in quo responso declaratur Episcopum pueros, discretionis ætatem adeptos, a prima communione posse repellere, non quidem absolute, sed a prima communione in forma solemni celebranda (1).

Porro discretio in neo-communicantibus requisita importat cognitionem graviorum Fidei ac Doctrinæ capitum, ac talem SS. Sacramenti notitiam ut panem Eucharisticum a profano et communi cibo valeant discernere (2).

Quocirca attende quod ex una parte « non omnis discretio, uti docet Bened. XIV, *De Synod. Diœc.*, l. VII, c. 12, n. 2, quæ sufficiens habetur ad se expiandum sacramentali confessione, satis est ad rite percipiendam Eucharistiam, cujus excellentia majorem exigit

(1) Cf. *Nouv. Rev. théol.*, XXI, p. 29.

(2) Cf. *Rit. Rom.*, Tit. IV, cap. 1, n. 11; *Catech. Conc. Trid.*, P. II, cap. 4, n. 63; collata Constit. Ben. XIV, *Etsi minime*, l. c.

in suscipiente judicii maturitatem, ut debita religione ac reverentia ad eam accedat » ; ex alia vero parte non est nimium urgenda instructio ac ingenii expolitio *stricto jure necessaria*, uti ex admissione tot hebetum quotidie innotescit.

II. **Solutio** casus propositi.

Ad 1m: Jure suo usus est parochus, recusans ad celebrationem primæ communionis *solemnem* admittere puellam de qua quæritur : tum quia non fuit rite examinata, tum quia existenti disciplinæ sese nullatenus conformavit. Attamen, si illam aliunde noverit sufficienter instructam et mente evolutam, non potuisset eam, juxta modò dicta, in indefinitum amovere a SS. Eucharistiæ susceptione, qua tantopere indiget anima christiana, imo ad quam gravi præcepto obligatur ; quod præsertim valet pro casu quo a prava matre coacta ab instructionibus abstinuerit invita.

Ad 2m patet solutio, quæ, quod spectat instructionis neglectum, continetur in hisce verbis Concilii Plenarii Americæ Latinæ, in Urbe celebrati anno 1899, uti referunt *Acta*, n. 528 : « pueri non communicantes, in debita ætate constituti, peccant, si ex proprio defectu instrui aut communicare nolint ; at si defectus sit ex parte patris aut matris, alteriusve qui ad dandam instructionem obligatur, hi peccabunt mortaliter ». Indubitanter etiam culpanda est mater ex eo quod, contra disciplinam vigentem, filiam neo-communicantem propriæ parochiæ subtraxerit, ut in aliena et indebita ecclesia primam institueret communionem ; quæ matris culpa admodum augetur si noverit filiam requisita instructione penitus carentem.

Ad 3m. Non posset parochus Berthæ, in aliena ecclesia Sacramento primum refectæ, iteratam s. communionem publice petenti denegare, nisi *publice* constaret eam esse indispositam, propter notum requisitæ discretionis defectum, ac graviter culpabilem eumque pertinacem instructionis neglectum. In casu autem dubio

consulatur Episcopus, ut opportunam agendi rationem indicare dignetur.

A. D. S.

II

Q. In nostra parochia vicepastor et coadjutor parochi alternatim populo proponunt meditationes quadragesimales de amarissima Passione Domini; honoraria percipit vicepastor, dum ipse prædicat, parochus autem ipse, dum prædicat coadjutor. An et quare hæc praxis ut legitima haberi potest?

R. Quæstio potest poni modo generaliori: np. ex art. 37 decreti anni 1809 sub 2° indicatur inter onera fabricæ obligatio « de payer l'honoraire des prédicateurs de l'avent, du carême et autres solennités »; inde in budgeto fabricæ sub titulo expensarum n° 39 inscribi solet summa determinata pro solvendis istis honorariis. Jam quæritur *cuinam hæc jure cedant.* Principium est parochum jus habere ad emolumenta quæ obveniunt occasione exercitii jurium et functionum parochialium, et ideo *jura stolæ* vocari consueverunt. Unde solutio quæstionis positæ pendet a solutione hujus quæstionis: utrum præfata prædicatio sit habenda necne tamquam functio parochialis. Jamvero distingui debet duplex genus prædicationis: una *ordinaria*, quæ partem constituit essentialem ministerii parochialis, quam proinde tenetur parochus peragere per se et personaliter, nisi sit legitime impeditus (1); altera *extraordinaria*, quæ, licet omitti nequeat, ob consuetudinem quæ habeat vim legis vel ob statutum particulare, tamen non ingreditur rationem ministerii parochialis, nec directe imponitur habentibus curam animarum, sed in multis locis extraneo committitur: ad hanc referri debent sic dictæ stationes adventus et quadragesimæ, necnon conciones solemnes habitæ occa-

(1) De Brabandere-Van Coillie, n. 458.

sione festi solemnioris, Adorationis perpetuæ etc. Prior illa prædicatio partem constituit officii, cujus intuitu assignatur portio congrua, np. apud nos pensio (traitement) a gubernio solvi solita et subsidia fabricæ et municipii (supplément de traitement); posteriori autem adnectitur retributio *specialis,* ut np. compensetur labor specialis (1). Unde resolvimus: coadjutor, a quo fiunt major catechesis et homilia dominicales, non habet jus ad emolumentum distinctum a pensione quam ipsi solvit gubernium vel parochus; si vero faciat meditationes quadragesimales vel concionem solemnem, cui impenditur honorarium speciale in budgeto fabricæ, ipse solus, sicut vicepastor vel extraneus, jus habet percipiendi emolumenta indicata.

H. M.

III

Q. An stipendia quæ apud nos, vi facultatis pontificiæ, percipiuntur pro missis binationis vel loco missarum pro grege celebratis, impendi possunt in favorem Universitatis Catholicæ?

R. Negative: patet enim ex adjunctis quibus inducta fuit illa facultas, hanc fuisse petitam adeoque concessam ut melius provideri posset institutioni catholicæ *puerorum*, quæ sola in discrimen vocabatur: unde sequitur ad *opus scholare*, cui, juxta tenorem facultatis, dicta stipendia integra debent impendi, non pertinere scholas medias seu gymnasia, neque superiores seu universitates.

H. V. D. B.

(1) Cf. *Revue catholique de droit*, T. V, p. 226.

Libri dijudicantur.

De Heerlijkheden der Goddelijke Genade *naar* P. EUSEBIUS NIEREMBERG, S. J., *vrij bewrocht door* Dr M. JOS. SCHEEBEN. 5de *Uitgaaf overzien door* BR. ALB. M. WEISZ, O. Pr. In 't Vlaamsch vertaald door eenen priester uit het bisdom van Brugge. — Roosselare, J. De Meester.

Hoc in opere cl. A. nomine **Genade** intelligit gratiam sanctificantem (p. 18): hanc autem considerat prout est principium primum seu radicale totius vitæ supernaturalis: proinde dotes gratiæ exponit A. non solum prout est in se ipsa, sed etiam prout annexa habet alia dona supernaturalia et prout ab illa tamquam a nova natura procedunt actus supernaturales: ita logice adducitur A. ut agat de plerisque doctrinæ capitibus quæ in tractatu de gratia actuali et habituali, et in tractatu de virtutibus infusis et donis Spiritus Sancti exponuntur eaque omnia ordinatim in unum totum componit.

Auctoris tamen scopus non fuit conficere tractatum theologicum ad usum illorum qui in scholis fidei veritatum scientificam cognitionem acquirere tenentur; sed jure meritoque dolens A. quod fideles tam parum cognoscunt et non raro tam fallaciter cogitant de mysterio gratiæ, librum conscripsit quo ad captum illorum explicaret quid sit gratia et quanta hujus doni excellentia. *Synthetica* utens methodo successive exponit A. illa notionis gratiæ elementa quibus magis ac magis innotescit quid sit gratia sanctificans in se ipsa considerata (1a P.), deinde qualis sit unio quæ per gratiam efficitur Deum inter et hominem (2a P.), quænam sint dona supernaturalia ad gratiam consequentia, qualis sit valor actuum productorum ab homine justificato, quale robur a gratia mutuetur natura in ordine ad recte agendum (3a P.), quinam sint alii præcipui fructus gratiæ (4a P.), quomodo gratia sit acquirenda, adhi-

benda, augenda et conservanda (5ª P.). Amplæ hujus doctrinæ elementa primo speculative proponit auctor et excellit in eligendis similititudinibus quibus natura rerum immaterialium facilius innotescat; deinde practicas deducit conclusiones et exhortationes, quibus lector et gratiam magni faciat, illamque ejusque augmentum desideret efficaciter, et præsertim vehemens concipiat odium in peccatum.

Quædam tamen hic notatu utilia censemus ut majori cum fructu legatur laudatum opus. Non accurate asserit auctor: « de genade... (is) in eenen zekeren zin voortreffelijker dan de hemelsche heerlijkheid die toch het hoogste goed schijnt te zijn, dat God ons kan geven. Inderdaad de hemelsche heerlijkheid, in dewelke de gelukzaligen God aanschouwen en genieten, is ja, niets anders dan de volle ontwikkeling der genade, die wij bezitten » (p. 39). Nulla enim ratione, ut videtur, dici potest gratiam præstantiorem esse visione beatifica. Ad rationem quam affert A. ad assertum confirmandum dicimus illam non valere: nam operatio est simpliciter perfectior quam potentia quæ ordinatur ad operationem: actus et potentia sunt in eodem ordine, sed actus est perfectio et potentia est capacitas perfectionis. Præterea ipsa visione beatifica fit homo beatus et ultimum finem actu possidet et ita quidem ut eum amittere nequeat; sola vero gratia sanctificante nec beatus fit homo, nec finem suum attingit ultimum.

A. dignitatem Matris Dei comparando cum dignitate filii Dei adoptivi per gratiam collata (p. 91) non indicat eas esse *diversi ordinis*, nec recte, ut videtur, sine ulla distinctione, asserit dignitatem filii Dei adoptivi esse majorem dignitate Matris Dei in seipsa considerata (1).

« Aan velen nochtans zijner bijzonder geliefde kinderen heeft God getoond dat de genade ons eene

(1) Hæc comparatio clarius instituitur in opere P. Terrien, *La Mère de Dieu et la Mère des Hommes*, Paris, 1900, 1e Partie, T. I, p. 239 et s.

onverpoosde en onvoorwaardelijke heerschappij over levende en levenlooze schepselen kan verleenen. De arme H. Franciscus riep de vogelen des velds bij, gebood hun... » (p. 211).

Hoc miraculosum dominium in res sensibiles est gratia *gratis data* et licet quandoque concedatur ut merces sanctitatis tamen nequit dici provenire a gratia sanctificante quæ est gratia *gratum faciens*.

In c. 12 2^æ Partis (p. 212) ulterius explicat A. quam intima sit conjunctio Deum inter et animam gratia sanctificante donatam: totius capitis materia indicatur his verbis: « die eenheid... heeft voor uitwerksel dat wij met Hem (God) in eenen zeer waren en diepen zin één wezen, één lichaam, één geest geworden » (p. 213); postea etiam exponit A. omnes justos et sanctos non solum cum Deo et Christo sed etiam ad invicem conjungi et ita etiam unum corpus unumque spiritum constituere. Obscura tamen est hujus materiæ expositio quia ibi non indicatur illos varios conjunctionis modos esse generum omnino diversorum: intrinsece enim diversæ sunt hæ uniones cum Deo, nempe unio per gratiam sanctificantem solam, unio per visionem beatificam, unio per receptionem corporis Christi in Eucharistia, unio fidelium ad Christum tamquam Caput Ecclesiæ.

Asseritur (p. 298) ad omnes et singulos actus supernaturales requiri etiam in homine justificato gratiam aliquam actualem: licet hæc sententia a multis theologis propugnetur, tamen uti *certa* tradi nequit: hanc enim probati Auctores, tum antiquiores, tum recentes ob rationes non spernendas negant (1).

---

(1) *Non requiri* gratiam actualem ad *singulos* actus supernaturales in *justificato* docent Cajetanus in I-II^æ, Q. CIX, a. 9; Soto, *De Natura et Gratia*, L. III, c. 4; Molina, *Concordia*, Disp. VII et Disp. XXXIX; et, inter recentes, Terrien, *La Grâce et la Gloire*, Paris, 1897, T. I, L. III, ch. 4, p. 189 et T. II, L. VII, ch. 5, p. 58; Billot, *De Virtutibus Infusis*, Romæ, 1901, Thes. VII, p. 173; Pignataro, *De Gratia*, (autogr.) Romæ, 1900, p. 127.

Nec approbandus videtur hic loquendi modus : « Wanneer wij de zonde verfoeien als een *bovennatuurlijk kwaad* » (p. 420) : licet peccatum opponatur *bono supernaturali* non ideo recte vocatur *malum supernaturale*.

Hisce paucis, quæ notavimus, exceptis, tutam doctrinam et amplam idoneoque expressam sermone tradit A. Quapropter congratulamur traductori qui versione sua aptissima (1) egregium opus tum fidelibus tum præsertim suis in sacerdotio confratribus cognoscendum præbuit : hi enim illo in opere materiam prædicationum invenient optimam persuasumque habebunt et gratiæ mysterium posse ad captum fidelium exponi, et ex hac expositione uberrimos salutis fructus esse expectandos.

J. V. D.-M.

*
* *

Manuale liturgicum *juxta novissimam rubricarum reformationem et recentissima SS. Rituum Congregationis decreta*, cura et studio P. VICTORII AB APPELTERN, *Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum alumni et Juris Canonici ac S. Liturgiæ lectoris. Mechliniæ, typis H. Dierickx-Beke Filiorum.*

Ejusdem præclari Auctoris editus fuit anno 1900 : « *Libellus manualis Sacerdotum pro missa secundum ordinem officii et extra ejusdem ordinem rite celebranda* », quem libellum (*Collat. Brugen.*, 1900, p. 690) vere pretiosum et maxime commendandum prædicavimus, tum propter doctrinam generatim accuratissimam, tum propter facilitatem quam utentibus præbet in solvendis casibus vel dubiis occurrentibus in celebratione Missæ.

Iisdem imo majoribus laudibus efferre possumus novum hunc et multo ampliorem tractatum : *Manuale liturgicum,* cujus duo priores tomi prodierunt, primus continens introductionem ad S. Liturgiam et partem I de rubricis Missalis Romani, alter continens partem II

(1) In uno alterove loco tamen non omnino clare perspicitur sensus, v. gr. p. 435.

de rubricis Breviarii Romani. Tomus tertius nondum editus tractabit de rubricis Ritualis Romani. Eminet opus claritate, ordine simul ac brevitate, et præsertim erruditione amplissima, ex fontibus hausta propriis, rubricis scilicet Missalis, Breviarii aliorumque librorum liturgicorum, necnon decretis etiam recentioribus S. Congregationis Rituum passim et opportune citatis; ideoque judicio majori auctoritate valentium jure merito verus thesaurus et aurifodina reputari potest.

Duo priora capita tomi prioris, prouti in Præfatione operis monetur, jam typis mandata fuerant, quando juris publici factum est novissimæ Collectionis authenticæ S. R. C. decretorum tertium volumen, continens plura decreta hucusque nunquam evulgata. Quamvis autem auctor doctrinam in prioribus capitibus traditam retractare quoad essentialia non debuerit, quasdam tamen mutationes et correctionis minoris forte momenti coactus fuit introducere et ideo ad calcem voluminis addenda et corrigenda ad normam novorum decretorum afferre ipsi necessarium visum est; quod certe aliquod incommodum et aliqualem confusionem parit. Hoc tamen quid accidentale, et non impedit quin opus integrum ut perutile sit commendandum præsertim iis quibus munus Sacram Liturgiam docendi incumbit vel qui in ea scientia delectantur.

H. V. D. W.

***

Les Caisses rurales en Belgique et à l'étranger — *étude théorique et monographique* par J. TRIGAUT, professeur au Collège de Binche — 160 p. 8°, Renaix, Leherte — Courtin; Bruxelles, Schepens et Cie 1903. Prix 2 fr.

Les prêts des Caisses Raiffeisen et leurs garanties. *Étude juridique* par M. DAMOISEAUX, Docteur en droit, Commissaire de l'arrondissement de Mons. 45 p. 8°; Chez les mêmes éditeurs 1903. Prix 1 fr.

Voici deux excellentes publications du Cercle d'étu-

des sociales de Binche : elles se rapportent toutes les deux aux coopératives de crédit agricole dont on ne saurait assez vanter les avantages économiques et sociaux, et qui ont pris en Belgique, dans l'espace de dix ans, un essor si considérable. Les deux études se complètent d'une façon heureuse. M. Trigaut expose le but, les avantages, la constitution et le fonctionnement des Caisses Raiffeisen ; l'histoire succincte de leur fondation, de leur propagation et de leurs opérations en Belgique et dans les pays étrangers ; l'étude monographique d'une caisse rurale et d'une caisse centrale ; des conseils pratiques pour tous ceux qui interviennent dans la fondation, l'administration et la gérance des sociétés et, enfin, les principaux documents relatifs à la constitution légale et à l'inspection des caisses rurales et centrales.

M. Damoiseaux, de son côté, donne un exposé succinct mais précis de la théorie juridique des principales garanties (le cautionnement, le privilège agricole, le gage et l'hypothèque) par lesquelles il est d'usage d'assurer l'exécution des obligations qui résultent des prêts agricoles. Cette étude juridique s'adresse tout spécialement aux administrateurs des Sociétés Raiffeisen, en ce temps surtout où celles-ci s'engagent résolument dans la voie des prêts tant individuels que collectifs. Les administrateurs, responsables des capitaux prêtés, ne sauraient s'entourer de trop de précautions : ils sauront gré à M. Damoiseaux de leur avoir facilité la tâche.

A. C.

Collationes Brugenses

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI LEONIS DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XIII LITTERÆ ENCYCLICÆ AD PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS UNIVERSOS CATHOLICI ORBIS GRATIAM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES

De studiis scripturæ sacræ.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis universis catholici orbis gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentibus

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Introductio.

Providentissimus Deus, qui humanum genus, admirabili caritatis consilio, ad consortium naturæ divinæ principio evexit, dein a communi labe exitioque eductum, in pristinam dignitatem restituit, hoc eidem propterea contulit singulare præsidium, ut arcana divinitatis, sapientiæ, misericordiæ suæ supernaturali via patefaceret. Licet enim in divina revelatione res quoque comprehendantur quæ humanæ rationi inaccessæ non sunt, ideo hominibus revelatæ, *ut ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint, non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem* (1). Quæ *supernaturalis revelatio secundum universalis Ecclesiæ fidem*, continetur tum *in sine scripto traditionibus*, tum etiam *in libris scriptis*, qui appellantur sacri et canonici, eo quod *Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiæ traditi sunt* (2). Hoc sane de

Duplex fons supernaturalis revelationis: Traditio et Scriptura.

(1) Conc. Vat., sess. III, cap. II, *De revel.*
(2) *Ibid.*

utriusque Testamenti libris perpetuo tenuit palamque professa est Ecclesia: eaque cognita sunt gravissima veterum documenta, quibus enuntiatur, Deum prius per prophetas, deinde per seipsum, postea per Apostolos locutum, etiam Scripturam condidisse, quæ canonica nominatur (1), eamdemque esse oracula et eloquia divina (2), litteras esse, humano generi longe a patria peregrinanti a Patre cælesti datas et per auctores sacros transmissas (3). Jam, tanta quum sit præstantia et dignitas Scripturarum, ut Deo ipso auctore confectæ, altissima ejusdem mysteria, consilia, opera complectantur, illud consequitur, eam quoque partem sacræ theologiæ, quæ in eisdem divinis Libris tuendis interpretandisque versatur, excellentiæ et utilitatis esse quam maximæ. — Nos igitur, quemadmodum alia quædam disciplinarum genera, quippe quæ ad incrementa divinæ gloriæ humanæque salutis valere plurimum posse viderentur, crebris epistolis et cohortationibus provehenda, non sine fructu, Deo adjutore, curavimus, ita nobilissimum hoc sacrarum Litterarum studium excitare et commendare, atque etiam ad temporum necessitates congruentius dirigere jamdiu apud Nos cogitamus. Movemur nempe ac prope impellimur sollicitudine Apostolici muneris, non modo ut hunc præclarum catholicæ revelationis fontem tutius atque uberius ad utilitatem dominici gregis patere velimus, verum etiam ut eumdem ne patiamur ulla in parte violari, ab iis qui in Scripturam sanctam, sive impio ausu invehuntur aperte, sive nova quædam fallaciter imprudenterve moliuntur. — Non sumus equidem nescii, Venerabiles Fratres, haud paucos esse e catholicis, viros ingenio doctrinisque abundantes, qui ferantur alacres ad divinorum Librorum vel defensionem agendam vel cognitionem et intelligentiam parandam ampliorem. At vero, qui eorum operam atque fructus merito collaudamus, facere tamen non possumus quin ceteros etiam, quorum sollertia et doctrina et pietas

Vere eximia Theologiæ pars quæ circa Scripturas tuendas et interpretandas versatur.

Quare et hanc disciplinam intendit Pontifex promovere et dirigere, ut plus fructuum afferat atque ab impio ausu et audacia novitatis defendatur.

(1) S. Aug. *De civ. Dei*, XI, 3.

(2) S. Clem. Rom. I ad Cor. 45; S. Polycarp. ad Phil. 7; S. Iren. *c. hær.* II. 28, 2.

(3) S. Chrys. *in Gen. hom.* 2, 2; S. Aug. *in Ps.* XXX, *serm.* 2, 1; S. Greg. M. ad Theod. *ep.* IV, 31.

optime hac in re pollicentur, ad eamdem sancti propositi laudem vehementer hortemur. Optamus nimirum et cupimus, ut plures patrocinium divinarum Litterarum rite suscipiant teneantque constanter; utque illi potissime, quos divina gratia in sacrum ordinem vocavit, majorem in dies diligentiam industriamque iisdem legendis, meditandis, explanandis, quod æquissimum est, impendant.

1a Pars.
S. Scripturæ utilitas et quanti eam semper fecerit Ecclesia.

Hoc enimvero studium cur tantopere commendandum videatur, præter ipsius præstantiam atque obsequium verbo Dei debitum, præcipua causa inest in multiplici utilitatum genere, quas inde novimus manaturas, sponsore certissimo Spiritu Sancto: *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus* (1). Tali sane consilio Scripturas a Deo esse datas hominibus, exempla ostendunt Christi Domini et Apostolorum. Ipse enim qui « miraculis conciliavit auctoritatem, auctoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem (2), » ad sacras Litteras, in divinæ suæ legationis munere, appellare consuevit: nam per occasionem ex ipsis etiam sese a Deo missum Deumque declarat, ex ipsis argumenta petit ad discipulos erudiendos, ad doctrinam confirmandam suam; earumdem testimonia et a calumniis vindicat obtrectantium; et Sadducæis ac Pharisæis ad coarguendum opponit, in ipsumque Satanam, impudentius sollicitantem, retorquet; easdemque sub ipsum vitæ exitum usurpavit, explanavitque discipulis redivivus, usque dum ad Patris gloriam ascendit. — Ejus autem voce præceptisque Apostoli confirmati, tametsi dabat ipse *signa et prodigia fieri per manus eorum* (3), magnam tamen efficacitatem ex divinis traxerunt Libris, ut christianam sapientiam late gentibus persuaderent, ut Judæorum pervicaciam frangerent, ut hæreses comprimerent erumpentes. Id apertum ex ipsorum concionibus, in primis Beati Petri, quas, in argumentum firmissimum præscriptionis novæ, dictis veteris Testamenti fere contexuerunt; idque ipsum patet ex Matthæi et Joannis Evangeliis atque ex

S. Scripturæ studium multiplicem affert utilitatem; ut testatur ipse Spiritus Sanctus;

ostendunt exempla Christi

et Apostolorum.

(1) II Tim. III, 16-17.
(2) S. Aug., *De util. cred.*, XIV, 32.
(3) Act. XIV, 3.

Catholicis, quæ vocantur, epistolis; luculentissime vero ex ejus testimonio qui « ad pedes Gamalielis Legem Moysis et Prophetas se didicisse gloriatur, ut armatus spiritualibus telis postea diceret confidenter : *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo* (1) ».

Quare illi studio sedulo incumbant tirones sacerdotii, — indeque hauriant argumenta veritatis prædicandæ de Deo,

Per exempla igitur Christi Domini et Apostolorum omnes intelligant, tirones præsertim militiæ sacræ, quanti faciendæ sint divinæ Litteræ, et quo ipsi studio, qua religione ad idem veluti armamentarium accedere debeant. Nam catholicæ veritatis doctrinam qui habeant apud doctos vel indoctos tractandam, nulla uspiam de Deo, summo et perfectissimo bono, deque operibus gloriam caritatemque ipsius prodentibus, suppetet eis vel cumulatior copia vel amplior prædicatio.

de Christo Redemptore,

De Servatore autem humani generis nihil uberius expressiusve quam ea, quæ in universo habentur Bibliorum contextu; recteque affirmavit Hieronymus, « ignorationem Scripturarum esse ignorationem Christi (2) »: ab illis nimirum extat, veluti viva et spirans, imago ejus, ex qua levatio malorum, cohortatio virtutum, amoris divini invitatio mirifice prorsus diffunditur.

de Ecclesia,

Ad Ecclesiam vero quod attinet, institutio, natura, munera, charismata ejus tam crebra ibidem mentione occurrunt, tam multa pro ea tamque firma prompta sunt argumenta, idem ut Hieronymus verissime edixerit: « Qui sacrarum Scripturarum testimoniis roboratus est, is est propugnaculum Ecclesiæ (3). Quod si de vitæ morumque conformatione et disciplina quæratur, larga indidem et optima subsidia habituri sunt viri apostolici: plena sanctitatis præscripta, suavitate et vi condita hortamenta, exempla in omni virtutum genere insignia; gravissima accedit, ipsius Dei nomine et verbis, præmiorum in æternitatem promissio, denunciatio pœnarum.

de vitæ sanctitate;

Atque hæc propria et singularis Scripturarum virtus a divino afflatu Spiritus Sancti profecta, ea est quæ oratori sacro auctoritatem addit, apostolicam præbet dicendi libertatem, nervosam victricemque tribuit eloquentiam. Quisquis enim divini verbi spiritum et robur eloquendo refert, ille,

ut magis valida et efficax sit prædicatio

(1) S. Hier. *De studio Script.*, ad. Paulin, *ep.* LIII, 3.
(2) *In Is. Prol.*
(3) *In Is.* LIV, 12.

non loquitur in sermone tantum, sed et in virtute et in Spiritu Sancto et in plenitudine multa (1). Quamobrem ii dicendi sunt præpostere improvideque facere, qui ita conciones de religione habent et præcepta divina enuntiant, nihil ut fere afferant nisi humanæ scientiæ et prudentiæ verba, suis magis argumentis quam divinis innixi. Istorum scilicet orationem, quantumvis nitentem luminibus, languescere et frigere necesse est, utpote quæ igne careat sermonis Dei (2), eamdemque longe abesse ab illa, qua divinus sermo pollet virtute: *Vivus est enim sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus* (3). Quamquam, hoc etiam prudentioribus assentiendum est, inesse in sacris Litteris mire variam et uberem magnisque dignam rebus eloquentiam; id quod Augustinus pervidit diserteque arguit (4), atque res ipsa confirmat præstantissimorum in oratoribus sacris qui nomen suum assiduæ Bibliorum consuetudini piæque meditationi se præcipue debere, grati Deo affirmarunt.

eique insit abundans et digna eloquentia.

Quæ omnia SS. Patres cognitione et usu quum exploratissima haberent, nunquam cessarunt in divinis Litteris earumque fructibus collaudandis. Eas enimvero crebris locis appellant vel thesaurum locupletissimum doctrinarum cælestium (5), vel perennes fontes salutis (6), vel ita proponunt quasi prata fertilia et amœnissimos hortos, in quibus grex dominicus admirabili modo reficiatur et delectetur (7). Apte cadunt illa S. Hieronymi ad Nepotianum clericum: « Divinas Scripturas sæpius lege, imo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur; disce quod doceas.... sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit (8); » convenitque sententia S. Gregorii Magni, quo nemo sapientius pastorum Ecclesiæ descripsit munera: « Necesse est, inquit, ut qui ad officium prædicationis excubant, a sacræ lectionis

Unde SS. Patres divinas Litteras earumque fructus continuo collaudant;

(1) I Thess. I, 5.
(2) Jerem. XXIII, 29.
(3) Hebr. IV, 12.
(4) *De doctr. chr.*, IV, 6, 7.
(5) S. Chris. *in Gen. hom.* 21, 2; *hom.* 60, 3, S. Aug. *De discipl. chr.* 2.
(6) S. Athan. *ep. fest.* 39.
(7) S. Aug. *serm.* 26, 24; S. Ambr. *in Ps.* CXVIII, *serm.* 19, 2.
(8) S. Hier. *De vit. cleric.* ad Nepot.

concionatores autem monent ut ex iis propriæ primum perfectionis adjumenta desumant.

studio non recedant (1). » — Hic tamen libet Augustinum admonentem inducere, « Verbi Dei inanem esse forinsecus prædicatorem, qui non sit intus auditor (2), » eumque ipsum Gregorium sacris concionatoribus præcipientem, « ut in divinis sermonibus, priusquam aliis eos proferant, semetipsos requirant, ne insequentes aliorum facta se desarant (3). » Sed hoc jam, ab exemplo et documento Christi, qui *cœpit facere et docere,* vox apostolica late præmonuerat, non unum allocuta Timotheum, sed omnem clericorum ordinem, eo mandato: *Attende tibi et doctrinæ, insta in illis; hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt* (4). Salutis profecto perfectionisque et propriæ et alienæ eximia in sacris Litteris præsto sunt adjumenta, copiosius in Psalmis celebrata; iis tamen, qui ad divina eloquia, non solum mentem afferant docilem atque attentam, sed integræ quoque piæque habitum voluntatis. Neque enim eorum ratio librorum similis atque communium putanda est; sed, quoniam sunt ab ipso Spiritu Sancto dictati, resque gravissimas continent multisque partibus reconditas et difficiliores, ad illas propterea intelligendas exponendasque semper ejusdem Spiritus « indigemus adventu (5), » hoc est lumine et gratia ejus: quæ sane, ut divini Psaltæ frequenter instat auctoritas, humili sunt precatione imploranda, sanctimonia vitæ custodienda.

Suam autem aliorumque sanctitatem ex Scriptura is hauriet qui mente humilis et voluntate pius est, atque lumen et gratiam Spiritus S. invocat.

Ecclesiæ circa S. Scripturæ studium et explanationem constans et provida sollicitudo.

Præclare igitur ex his providentia excellit Ecclesiæ, quæ, *ne cœlestis ille sacrorum Librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceret* (6), optimis semper et institutis et legibus cavit. Ipsa enim constituit, non solum magnam eorum partem ab omnibus suis ministris in quotidiano sacræ psalmodiæ officio legendam esse et mente pia considerandam, sed eorumdem expositionem et interpretationem in ecclesiis cathedralibus, in monasteriis, in conventibus aliorum regularium, in quibus studia commode vigere possint, per idoneos viros esse tradendam; diebus autem saltem dominicis et festis solemnibus fideles salutari-

(1) S. Greg. M., *Regul. past. II*, II (*al.* 22); *Moral.* XVIII, 26 (*al.* 14).
(2) S. Aug. *serm.* 179, 1.
(3) S. Greg. M., *Regul. past. III*, 24 (*al.* 48).
(4) I Tim. IV, 16.
(5) S. Hier. *in Mich.* 1. 10.
(6) Conc. Trid. sess. V, decret. *De reform.*, 1.

bus Evangelii verbis pasci, restricte jussit (1). Item prudentiæ debetur diligentiæque Ecclesiæ cultus ille Scripturæ sacræ per ætatem omnem vividus et plurimæ ferax utilitatis. — In quo etiam ad firmanda documenta hortationesque Nostras, juvat commemorare quemadmodum a religionis christianæ initiis, quotquot sanctitate vitæ rerumque divinarum scientia floruerunt, ii sacris in Litteris multi semper assiduique fuerint. Proximos Apostolorum discipulos, in quibus Clementem Romanum, Ignatium Antiochenum, Polycarpum, tum Apologetas, nominatim Justinum et Irenæum, videmus epistolis et libris suis, sive ad tutelam sive ad commendationem pertinerent catholicorum dogmatum, e divinis maxime Litteris fidem, robur, gratiam omnem pietatis arcessere. Scholis autem catecheticis ac theologicis in multis sedibus episcoporum exortis, Alexandrina et Antiochena celeberrimis, quæ in eis habebatur institutio, non alia prope re, nisi lectione, explicatione, defensione divini verbi scripti continebatur. Inde plerique prodierunt Patres et scriptores, quorum operosis studiis egregiisque libris consecuta tria circiter sæcula ita abundarunt, ut ætas biblicæ exegeseos aurea jure ea sit appellata. — Inter orientales principem locum tenet Origenes, celeritate ingenii et laborum constantia admirabilis, cujus ex plurimis scriptis et immenso Hexaplorum opere deinceps fere omnes hauserunt. Adnumerandi plures, qui hujus disciplinæ fines amplificarunt: ita, inter excellentiores tulit Alexandria Clementem, Cyrillum; Palæstina Eusebium, Cyrillum alterum; Cappadocia Basilium Magnum, utrumque Gregorium, Nazianzenum et Nyssenum; Antiochia Joannem illum Chrysostomum, in quo hujus peritia doctrinæ cum summa eloquentia certavit. Neque id præclare minus apud occidentales. In multis qui se admodum probavere, clara Tertulliani et Cypriani nomina, Hilarii et Ambrosii, Leonis et Gregorii Magnorum; clarissima Augustini et Hieronymi: quorum alter mire acutus extitit in perspicienda divini verbi sententia, uberrimusque in ea deducenda ad auxilia catholicæ veritatis; alter a singulari Bibliorum scientia magnisque ad eorum usum laboribus, nomine Doctoris maximi præconio Ecclesiæ est honestatus.

Inde ab exordio Ecclesiæ multi SS. Litteras coluerunt: — Apostolorum discipuli;

scholæ catecheticæ et theologicæ;

unde prodierunt plerique Patres et Scriptores optime de re biblica meriti, tum apud Orientales,

tùm apud Occidentales.

(1) *Ibid.* 1-2.

Postea curarunt anteriorum scriptorum opera apte digesta pervulgare, aut sacros codices glossis illustrare, aut eorum integritati novis curis consulere. Sæc. XII floret allegorica Scripturæ expositio.

Ex eo tempore ad undecimum usque sæculum, quamquam hujusmodi contentio studiorum non pari atque antea ardore ac fructu viguit, viguit tamen, opera præsertim hominum sacri ordinis. Curaverunt enim, aut quæ veteres in hac re fructuosiora reliquissent deligere, eaque apte digesta de cursque aucta pervulgare, ut ab Isidoro Hispalensi, Beda, Alcuino factum est in primis; aut sacros codices illustrare glossis, ut Valafridus Strabo et Anselmus Laudunensis, aut eorumdem integritati novis curis consulere, ut Petrus Damianus et Lanfrancus fecerunt. — Sæculo autem duodecimo allegoricam Scripturæ enarrationem bona cum laude plerique tractarunt: in eo genere S. Bernardus ceteris facile antecessit, cujus etiam sermones nihil prope nisi divinas Litteras sapiunt. — Sed nova et lætiora incrementa ex disciplina accessere *Scholasticorum*. Qui, etsi in germanam versionis latinæ lectionem studuerunt inquirere, confectaque ab iperis *Correctoria biblica* id plane testantur, plus tamen studii industriæque in interpretatione et explanatione collocaverunt. Compositæ enim diluceque, nihil ut melius antea, sacrorum verborum sensus varii definiti; cujusque pondus in re theologica perpensum; definitæ librorum partes, argumenta partium; investigata scriptorum proposita; explicata sententiarum inter ipsas necessitudo et connexio; quibus ex rebus nemo unus non videt quantum sit luminis obscurioribus locis adhibitum. Ipsorum præterea de Scripturis lectam doctrinæ copiam admodum produnt, tum de theologia libri, tum in easdem commentaria; quo etiam nomine Thomas Aquinas inter eos habuit palmam. — Postquam vero Clemens V decessor Noster Atheneum in Urbe et celeberrimas quasque studiorum Universitates litterarum orientalium magisteriis auxit, exquisitus homines nostri in nativo Biblorum codice et in exemplari latino elaborare cœperunt. Revecta deinde ad nos eruditione Græcorum, multoque magis arte nova libraria feliciter inventa, cultus Scripturæ sanctæ latissime accrevit. Mirandum est enim quam brevi ætatis spatio multiplicata prælo sacra exemplaria, *vulgata* præcipue, catholicum orbem quasi compleverint: adeo per id ipsum tempus, contra quam Ecclesiæ hostes calumniantur, in honore et amore erant divina volumina. — Neque præterundum est, quantus doctorum virorum numerus,

Scholasticorum autem disciplina studiis biblicis nova addit incrementa.

Dein instituta litterarum orientalium magisteria, Græcorum ad nos revecta eruditio et maxime inventa ars libraria eadem studia multum provexere.

maxime ex religiosis familiis, a Viennensi Concilio ad Tridentinum, in rei biblicæ bonum provenerit: qui et novis usi subsidiis et variæ eruditionis ingeniique sui segetem conferentes, non modo auxerunt congestas majorum opes, sed quasi munierunt viam ad præstantiam subsecuti sæculi, quod ab eodem Tridentino effluxit, quum nobilissima Patrum ætas propemodum rediisse visa est. Nec enim quisquam ignorat. Nobisque est memoratu jucundum, decessores Nostros, a Pio IV ad Clementem VIII, auctores fuisse ut insignes illæ editiones adornarentur versionum veterum, Vulgatæ et Alexandrinæ; quæ deinde, Sixti V ejusdemque Clementis jussu et auctoritate emissæ, in communi usu versantur. Per eadem autem tempora, notum est, quum versiones alias Bibliorum antiquas, tum polyglottas Antverpiensem et Parisiensem, diligentisssime esse editas, sinceræ investigandæ sententiæ peraptas: nec ullum esse utriusque Testamenti librum, qui non plus uno nactus sit bonum explanatorem, neque graviorem ullam de iisdem rebus quæstionem, quæ non multorum ingenia fecundissime exercuerit: quos inter non paúci, iique studiosiores SS. Patrum, nomen sibi fecere eximium. Neque, ex illa demum ætate, desiderata est nostrorum sollertia; quum clari subinde viri de iisdem studiis bene sint meriti, sacrasque Litteras contra *rationalismi* commenta, ex philologia et finitimis disciplinis detorta, simili argumentorum genere vindicarint. — Hæc omnia qui probe ut oportet considerent, dabunt profecto, Ecclesiam, nec ullo unquam providentiæ modo defuisse, quo divinæ Scripturæ fontes in filios suos salutariter derivaret, atque illud præsidium, in quo divinitus ad ejusdem tutelam decusque locata est, retinuisse perpetuo omnique studiorum ope exornasse, ut nullis externorum hominum incitamentis eguerit, egeat.

Post Trid. rediisse visa est nobilissima Patrum ætas: tunc adornatæ editiones variæ insignes;

prodierunt commentaria plurima;

vindicata quoque Scriptura adversus rationalismi commenta.

2ª Pars. *De recte ordinandis S. Scripturæ studiis.*

Jam postulat a Nobis instituti consilii ratio, ut quæ his de studiis recte ordinandis videantur optima, ea vobiscum communicemus, Venerabiles Fratres. Sed principio quale adversetur et instet hominum genus, quibus vel artibus vel armis confidant, interest utique hoc loco recognoscere. — Scilicet, ut antea cum iis præcipue res fuit qui privato judicio freti, divinis traditionibus et magisterio Ecclesiæ repudiatis, Scripturam statuerant unicum revelationis fontem supremumque judicem fidei; ita nunc est cum Ratio-

Nonnulla præmittuntur de Scripturæ adversariis.

Protestantibus successerunt Rationa-

listæ omnem divinam Scripturam negantes et varias ejus partes varia arte impugnantes.

nalistis, qui eorum quasi filii et hæredes, item sententia innixi sua, vel has ipsas a patribus acceptas christianæ fidei reliquias prorsus abjecerunt. Divinam enim vel revelationem vel inspirationem vel Scripturam sacram, omnino ullam negant, neque alia prorsus ea esse dictitant, nisi hominum artificia et commenta: illas nimirum, non veras gestarum rerum narrationes, sed aut ineptas fabulas aut historias mendaces; ea, non vaticinia et oracula, sed aut confictas post eventus prædictiones aut ex naturali vi præsensiones; ea, non veri nominis miracula virtutisque divinæ ostenta, sed admirabilia quædam, nequaquam naturæ viribus majora, aut præstigias et mythos quosdam: evangelia et scripta apostolica aliis plane auctoribus tribuenda. — Hujusmodi portenta errorum, quibus sacrosanctam divinorum Librorum veritatem putant convelli, tanquam decretoria pronuntiata novæ cujusdam *scientiæ liberæ*, obtrudunt; quæ tamen adeo incerta ipsimet habent, ut eisdem in rebus crebrius immutent et supplcant. Quum vero tam impie de Deo, de Christo, de Evangelio et reliqua Scriptura sentiant et prædicent, non desunt ex iis qui theologi et christiani et evangelici haberi velint, et honestissimo nomine obtendant insolentis ingenii temeritatem.

Latius in dies et acrius geritur ista oppugnatio tum in eruditos, tum in indoctorum vulgus, tum in adolescentium scholas.

His addunt sese consiliorum participes adjutoresque e ceteris disciplinis non pauci, quos eadem revelatarum rerum intolerantia ad oppugnationem Bibliorum similiter trahit. Satis autem deplorare non possumus, quam latius in dies acriusque hæc oppugnatio geratur. Geritur in eruditos et graves homines, quamquam illi non ita difficulter sibi possunt cavere; at maxime contra indoctorum vulgus omni consilio et arte infensi hostes nituntur. Libris, libellis, diariis exitiale virus infundunt: id concionibus, id sermonibus insinuant; omnia jam pervasere, et multas tenent, abstractas ab Ecclesiæ tutela, adolescentium scholas, ubi credulas mollesque mentes ad contemptionem Scripturæ, per ludibrium etiam et scurriles jocos, depravant misere. —

Isti falsi nominis scientiæ opponenda anti-

Ista sunt, Venerabiles Fratres, quæ commune pastorale studium permoveant, incendant; ita ut huic novæ *falsi nominis scientiæ* (1) antiqua illa et vera opponatur, quam a

(1) I Tim. VI, 20.

Christo per Apostolos accepit Ecclesia, atque in dimicatione tanta idonei defensores Scripturæ sacræ exurgant.

qua et vera Scripturæ scientia.

Itaque ea prima sit cura, ut in sacris Seminariis vel Academiis sic omnino tradantur divinæ Litteræ, quemadmodum et ipsius gravitas disciplinæ et temporum necessitas admonent. Cujus rei causa, nihil profecto debet esse antiquius magistrorum delectione prudenti; ad hoc enim munus non homines quidem de multis, sed tales assumi oportet, quos magnus amor et diuturna consuetudo Bibliorum, atque opportunus doctrinæ ornatus commendabiles faciat, pares officio. Neque minus prospiciendum mature est, horum postea locum qui sint excepturi. Juverit idcirco, ubi commodum sit, ex alumnis optimæ spei, theologiæ spatium laudate emensis, nonnullos divinis Libris totos addici, facta eisdem plenioris cujusdam studii aliquandiu facultate. Ita delecti institutique doctores, commissum munus adeant fidenter: in quo ut versentur optime et consentaneos fructus educant, aliqua ipsis documenta paulo explicatius impertire placet. — Ergo ingeniis tironum in ipso studii limine sic prospiciant, ut judicium in eis, aptum pariter Libris divinis tuendis atque arripiendæ ex ipsis sententiæ, conforment sedulo et excolant. Huc pertinet tractatus *de introductione*, ut loquuntur, *biblica*, ex quo alumnus commodam habet opem ad integritatem auctoritatemque Bibliorum convincendam, ad legitimum in illis sensum investigandum et assequendum, ad occupanda captiosa et radicitus evellenda. Quæ quanti momenti sit disposite scienterque, comite et adjutrice theologia, esse initio disputata, vix attinet dicere, quum tota continenter tractatio Scripturæ reliqua hisce vel fundamentis nitatur vel luminibus clarescat. — Exinde in fructuosiorem hujus doctrinæ partem, quæ de interpretatione est, perstudiose incumbet præceptoris opera; unde sit auditoribus, quo dein modo divini verbi divitias in profectum religionis et pietatis convertant.

Imprimis in Seminariis et Academiis summa cura sit in docendis SS. Litteris.

Quod munus committatur magistris selectis — et diligenter excolantur alumni eodem magisterio olim functuri.

Incipiendum a Tractatu *de introductione biblica* cujus ratio et momentum exponuntur.

Dein procedendum ad ipsam Scripturæ interpretationem,

Intelligimus equidem, enarrari in scholis Scripturas omnes, nec per amplitudinem rei, nec per tempus licere. Verumtamen, quoniam certa opus est via interpretationis utiliter expediendæ, utrumque magister prudens devitet incommodum, vel eorum qui de singulis libris cursim delibandum præbent, vel eorum qui in certa unius parte

quæ circa selectas Bibliorum partes

præbeatur tali modo ut discant auditores per se ipsos cætera perlegere.

immoderatius consistunt. Si enim in plerisque scholis adeo non poterit obtineri, quod in Academiis majoribus, ut unus aut alter liber continuatione quadam et ubertate exponatur, at magnopere efficiendum est, ut librorum partes ad interpretandum selectæ tractationem habeant convenienter plenam: quo veluti specimine allecti discipuli et edocti, cetera ipsi perlegant adamentque in omni vita. Is porro, retinens instituta majorum, exemplar in hoc sumet versionem vulgatam; quam Concilium Tridentinum *in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus et expositionibus pro authentica* habendam decrevit (1), atque etiam commendat quotidiana Ecclesiæ consuetudo. Neque tamen non sua habenda erit ratio reliquarum versionum, quas christiana laudavit usurpavitque antiquitas, maxime codicum primigeniorum. Quamvis enim, ad summam rei quod spectat, ex dictionibus Vulgatæ hebræa et græca bene eluceat sententia, attamen si quid ambigue, si quid minus accurate inibi elatum sit, « inspectio præcedentis linguæ, suasore Augustino proficiet (2). Jamvero per se liquet, quam multum navitatis ad hæc adhiberi oporteat, quum demum sit « commentatoris officium, non quid ipse velit, sed quid sentiat ille quem interpretatur, exponere (3). » Post expensam, ubi opus sit, omni industria, lectionem, tum locus erit scrutandæ, et proponendæ sententiæ. Primum autem consilium est, ut probata communiter interpretandi præscripta tanto expertiore observentur cura quanto morosior ab adversariis urget contentio. Propterea cum studio perpendendi quid ipsa verba valeant, quid consecutio rerum velit, quid locorum similitudo aut talia cetera, externa quoque appositæ eruditionis illustratio societur: cauto tamen, ne istiusmodi quæstionibus plus temporis tribuatur et operæ quam pernoscendis divinis Libris, neve corrogata multiplex rerum cognitio mentibus juvenum plus incommodi afferat quam adjumenti.

Versione Vulgata utantur, adhibitis quoque, ubi necesse sit, aliis versionibus, maxime codicibus primigeniis.

In sententiis proponendis sequantur probata communiter interpretandi præscripta;

et nonnisi moderate eruditionis quæstionibus incumbant.

Ex hoc, tutus erit gradus ad usum divinæ Scripturæ in re theologica. Quo in genere animadvertisse oportet,

---

(1) Sess. IV, decr. *De edit. et usu sacr. libror.*

(2) *De doctr. chr.* III, 4.

(3) S. Hier. ad Pammach.

ad ceteras difficultatis causas, quæ in quibusvis antiquorum libris intelligendis fere occurrunt, proprias aliquas in Libris sacris acccedere. Eorum enim verbis, auctore Spiritu Sancto, res multæ subjiciuntur quæ humanæ vim aciemque rationis longissime vincunt, divina scilicet mysteria et quæ cum illis continentur alia multa: idque nonnunquam ampliore quadam et reconditiore sententia, quam exprimere littera et hermeneuticæ leges indicare videantur: alios præterea sensus, vel ad dogmata illustranda vel ad commendanda præcepta vitæ, ipse litteralis sensus profecto adsciscit.

Scriptura ob mysteria quæ continet et varios quos habet sensus obscuritate quadam involvitur;

Quamobrem diffitendum non est religiosa quadam obscuritate sacros Libros involvi, ut ad eos, nisi aliquo viæ duce, nemo ingredi possit (1): Deo quidem sic providente (quæ vulgata est opinio SS. Patrum), ut homines majore cum desiderio et studio illos prescrutarentur, resque inde operose perceptas mentibus animisque altius infigerent; intelligerentque præcipue, Scripturas Deum tradidisse Ecclesiæ, qua scilicet duce et magistra in legendis tractandisque eloquiis suis certissima uterentur. Ubi enim charismata Domini posita sint, ibi discendam esse veritatem, atque ab illis, apud quos sit successio apostolica, Scripturas nullo cum periculo exponi, jam sanctus docuit Irenæus (2): cujus quidem ceterorumque Patrum doctrinam Synodus Vaticana amplexa est, quando Tridentinum decretum de divini verbi scripti interpretatione renovans, *hanc illius mentem esse declaravit, ut in rebus fidei et morum, ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, is pro vero sensu sacræ Scripturæ habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari* (3). — Qua plena sapientiæ lege nequaquam Ecclesia pervestigationem scientiæ biblicæ retardat aut coercet; sed eam potius ab errore integram præstat, plurimumque ad veram adjuvat progressionem. Nam privato cuique doctori magnus patet campus, in quo,

quare ad eam interpretendam duce opus est;

ducem autem ac magistram constituit Deus Ecclesiam, uti docent SS. Patres

et Conc. Trid. ac Vaticanum.

Quod scientiæ biblicæ non nocet, imo ei prodest; magnusque relinqui-

(1) S. Hier. ad Paulin *de studio Script. ep.* LIII, 4.

(2) *C. hær.* IV, 26, 5.

(3) Sess. III, cap II; *De rev.* Cf. Conc. Trid. sess. IV, decr. *De edit. et usu sacr. libror.*

Ut tamen [illegible] eam [illegible] primus [illegible]

tuna vemque, sua interpretandi industria præclare certet Ecclesiæque minister. In locis quibus divinæ Scripturæ qui expositionem certam et definitam adhuc desiderant, effici ita potest, ex vicem Dei providentis consilio, ut quasi præparato studio, judicium Ecclesiæ maturetur: in locis vero jam definitis potest privatus doctor æque prodesse, si ens vel invidiosus apud fidelium plebem et ingeniosus apud hostes efficiatur, vel insignius eminet ab adversariis. Quapropter presumptum sanctumque sit catholico interpreti, ut illa Scripturæ testimonia, quorum sensus authentice declaratus est, aut per sacros auctores, Spiritu Sancto affante, aut multis in locis non Tridentum, aut per Ecclesiam, eodem Sancto adjuvante Spiritu, ita *intelligat, ac judicavit et intelligit magistra* (1), eadem ipsa ratione interpretetur: atque in adjumentis Doctrinæ suæ convincit, eam solam interpretationem, ad varias hermeneuticæ leges, posse recte probari. In cetera analogia fidei sequenda est, et doctrina catholica, quale in auctoritate Ecclesiæ accepta, tamquam summa norma est adhibenda: nam, quum et sacrorum Librorum et doctrinæ apud Ecclesiam deposita idem sit auctor Deus, profecto fieri nequit, ut sensus ex illis, qui ab hac quoque modo discrepet, legitima interpretatione eruatur. Ea quæ apparet, eam interpretationem ut inepta et falsam rejiciendam, quæ, vel inspiratos auctores inter se quodammodo pugnantes facit, vel doctrinæ Ecclesiæ adversetur.

Quare non-[illegible] magister [illegible] Theologia et [illegible] Patrum [illegible] quæ et interpretum [illegible] [illegible]

Hinc igitur disciplinæ magister hac etiam laude floreat oportet, ut omnem theologiam egregie teneat, atque in commentariis versatus sit SS. Patrum Doctorumque et interpretum optimorum. Id sane monitat Hieronymus (2), multumque Augustinus, qui, justa cum querela: « Si magnæque disciplinæ, inquit, quamquam vita et facilis, ut perrupi possit, doctorem aut magistrum requirit, quid temerariæ superbiæ plenius, quam divinorum sacramentorum libros ab interpretibus suis nolle cognoscere (3). » Id prum venere et exemplo confirmavere eerit: Patres, qui divinarum Scripturarum intelligentiam, non ex propria

(1) Conc. Vat. sess. III, cap. III. *De fide.*
(2) [illegible]
(3) Ad Honorat. *De utilit. cred.* XVII, 35.

præsumptione, sed ex majorum scriptis et auctoritate sequebantur, quos et ipsos ex apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat (1). » — Jamvero SS. Patrum, quibus « post Apostolos, sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit (2), » summa auctoritas est, quotiescumque testimonium aliquod biblicum, ut ad fidei pertinens morumve doctrinam, uno eodemque modo explicant omnes: nam ex ipsa eorum consensione, ita ab Apostolis secundum catholicam fidem traditum esse nitide eminet. Eorumdem vero Patrum sententia tunc etiam magni æstimanda est, quum hisce de rebus munere doctorum quasi privatim funguntur; quippe quos, non modo scientia revelatæ doctrinæ et multarum notitia rerum, ad apostolicos libros cognoscendos utilium, valde commendet, verum Deus ipse, viros sanctimonia vitæ et veritatis studio insignes, amplioribus luminis sui præsidiis adjuverit. Quare interpres suum esse noverit, eorum et vestigia reverenter persequi et laboribus frui intelligenti delectu. — Neque ideo tamen viam sibi putet obstructam, quo minus, ubi justa causa adfuerit, inquirendo et exponendo vel ultra procedat, modo præceptioni illi, ab Augustino sapienter propositæ, religiose obsequatur, videlicet e litterali et veluti obvio sensu minime discedendum, nisi qua eum vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere (3): quæ præceptio eo tenenda est firmius, quo magis, in tanta novitatum cupidine et opinionum licentia, periculum imminet aberrandi. Caveat idem ne illa negligat quæ ab eisdem Patribus ad allegoricam similemve sententiam translata sunt, maxime quum ex litterali descendant et multorum auctoritate fulciantur. Talem enim interpretandi rationem ab Apostolis Ecclesia accepit, suoque ipsa exemplo, ut e re patet liturgica, comprobavit; non quod Patres ex ea contenderent dogmata fidei per se demonstrare, sed quia bene frugiferam virtuti et pietati alendæ nossent experti.

summæ enim auctoritatis est SS. Patrum consensus unanimis de iis locis qui ad fidem vel mores spectant, cum eo apostolica traditio exprimitur.

Ipsorum etiam sententia privata magni æstimanda;

licet tamen ob justam causam ultrâ procedere; modo servetur regula Augustini de sensu litterali tenendo, nisi obstet necessitas vel ratio valida.

Neque negligatur Patrum interpretatio *allegorica*, virtuti et pietati alendæ utilissima.

Ceterorum interpretum catholicorum est minor quidem auctoritas, attamen, quoniam Bibliorum studia continuum

Ceteri catholici interpretes honore habendi;

(1) Rufin. *Hist. eccl.* II, 9.
(2) S. Aug. c. Julian. II, 10, 37.
(3) *De Gen. ad. litt.* VIII, 7, 13.

quemdam progressum in Ecclesia habuerunt, istorum pariter commentariis suus tribuendus est honor, ex quibus multa opportune peti liceat ad refellenda contraria, ad difficiliora enodanda. At vero id nimium dedecet, ut quis, egregiis operibus, quæ nostri abunde reliquerunt, ignoratis aut despectis, heterodoxorum libros præoptet, ab eisque cum præsenti sanæ doctrinæ periculo et non raro cum detrimento fidei, explicationem locorum quærat, in quibus catholici ingenia et labores suos jamdudum optimeque collocarint. Licet enim heterodoxorum studiis, prudenter adhibitis, juvari interdum possit interpres catholicus, meminerit, tamen, ex crebris quoque veterum documentis (1), incorruptum sacrarum Litterarum sensum extra Ecclesiam neutiquam reperiri, neque ab eis tradi posse, qui, veræ fidei expertes, Scripturæ, non medullam attingunt, sed corticem rodunt (2).

et dedecet ac periculosum est, iis neglectis, potius quærere explicationem locorum in heterodoxorum libris.

Illud autem maxime optabile est et necessarium, ut ejusdem divinæ Scripturæ usus in universam theologiæ influat disciplinam ejusque prope sit anima: ita nimirum omni ætate Patres atque præclarissimi quique theologi professi sunt et re præstiterunt. Nam quæ objectum sunt fidei vel ab eo consequuntur, ex divinis potissime Litteris studuerunt asserere et stabilire; atque ex ipsis, sicut pariter ex divina traditione, nova hæreticorum commenta refutare, catholicorum dogmatum rationem, intelligentiam, vincula exquirere. Neque id cuiquam fuerit mirum qui reputet, tam insignem locum inter revelationis fontes divinis Libris deberi, ut, nisi eorum studio usuque assiduo, nequeat theologia rite et pro dignitate tractari. Tametsi enim rectum est juvenes in Academiis et scholis ita præcipue exerceri ut intellectum et scientiam dogmatum assequantur, ab articulis fidei argumentatione instituta ad alia ex illis, secundum normas probatæ solidæque philosophiæ, concludenda; gravi tamen eruditoque theologo minime negligenda est ipsa demonstratio dogmatum ex Bibliorum auctoritatibus ducta: « Non enim accipit (theologia) sua principia ab aliis scien-

Sit Scriptura quasi anima universæ theologiæ;

quæ sine assiduo divinorum Librorum studio usuque nequit rite tractari.

(1) Cfr. Clem. Alex. *Strom.* VII, 19; Orig. *De princ.* IV, 8; *in levit. hom.* 4, 8; Tertull. *De præscr.* 15 seq.; S. Hilar. Pict., in Matth., 13, 1.

(2) S. Greg. M. *Moral.* XX, 9 (al. 11).

tiis, sed immediate a Deo per revelationem. Et ideo non accipit ab aliis scientiis, tamquam a superioribus, sed utitur eis tamquam inferioribus et ancillis. » Quæ sacræ doctrinæ tradendæ ratio præceptorem commendatoremque habet theologorum principem, Aquinatem (1): qui præterea, ex hac bene perspecta christianæ theologiæ indole, docuit quemadmodum possit theologus sua ipsa principia, si qui ea forte impugnent, tueri: « Argumentando quidem, si adversarius aliquid concedat eorum, quæ per divinam revelationem habentur; sicut per auctoritates sacræ Scripturæ disputamus contra hæreticos, et per unum articulum contra negantes alium. Si vero adversarius nihil credat eorum quæ divinitus revelantur, non remanet amplius via ad probandum articulos fidei per rationes, sed ad solvendum rationes, si quas inducit contra fidem (2). »

Providendum igitur, ut ad studia biblica convenienter instructi munitique aggrediantur juvenes; ne justam frustrentur spem, neu, quod deterius est, erroris discrimen incaute subeant, Rationalistarum capti fallaciis apparatæque specie eruditionis. Erunt autem optime comparati, si, qua Nosmetipsi monstravimus et præscripsimus via, philosophiæ et theologiæ institutionem, eodem S. Thoma duce, religiose coluerint penitusque perceperint. Ita recte incedent, quum in re biblica, tum in ea theologiæ parte quam *positivam* nominant, in utraque lætissime progressuri.

Conclusio alterius partis: curandum ut juvenes ad studia biblica apte præparentur per congruam philosophiæ et theologiæ, duce S. Thoma, institutionem.

Doctrinam catholicam legitima et sollerti sacrorum Bibliorum interpretatione probasse, exposuisse, illustrasse, multum id quidem est; altera tamen, eaque tam gravis momenti quam operis laboriosi, pars remanet, ut ipsorum auctoritas integra quam validissime asseratur. Quod quidem nullo alio pacto plene licebit universeque assequi, nisi ex vivo et proprio magisterio Ecclesiæ; quæ *per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinæ suæ legationis testimonium irrefragabile* (3). Quoniam vero divi-

3a Pars.
De auctoritate S. Scripturæ vindicanda.
S. Scripturæ integram auctoritatem plene universeque stabilire non licebit nisi ex vivo et proprio magisterio Ecclesiæ, quæ

(1) *Summ. theol.* p. I, q. I, a. 5, ad 2.
(2) *Ibid.* a. 8.
(3) Conc. Vat. sess. III, c. III, *De fide.*

quidem defert secum credibilitatis motivum et divinæ suæ legationis testimonium.

num et infallibile magisterium Ecclesiæ, in auctoritate etiam sacræ Scripturæ consistit, hujus propterea fides saltem humana asserenda in primis vindicandaque est: quibus ex libris, tamquam ex antiquitatis probatissimis testibus, Christi Domini divinitas et legatio, Ecclesiæ hierarchicæ institutio, primatus Petro et successoribus ejus collatus, in tuto apertoque collocentur. Ad hoc plurimum sane conducet, si plures sint e sacro ordine paratiores, qui hac etiam in parte pro fide dimicent et impetus hostiles propulsent, induti præcipue armatura Dei, quam suadet Apostolus (1), neque vero ad nova hostium arma et prælia insueti. Quod pulchre in sacerdotum officiis sic recenset Chrysostomus: « Ingens adhibendum est studium ut *Christi verbum habitet in nobis abundanter* (2): neque enim ad unum pugnæ genus parati esse debemus, sed multiplex est bellum et varii sunt hostes: neque iisdem omnes utuntur armis, neque uno tantum modo nobiscum congredi moliuntur. Quare opus est, ut is qui cum omnibus congressurus est, omnium machinas artesque cognitas habeat, ut idem sit sagittarius et funditor, tribunus et manipuli ductor, dux et miles, pedes et eques, navalis ac muralis pugnæ peritus: nisi enim omnes dimicandi artes noverit, novit diabolus per unam partem, si sola negligatur, prædonibus suis immissis, oves diripere (3). »

Cum autem illud infallibile magisterium etiam innitur S. Scripturæ auctoritate, hujus saltem humana vindicanda a sacerdotibus omni armorum genere paratis.

Fallacias hostium artesque in hac re ad impugnandum multiplices supra adumbravimus: jam, quibus præsidiis ad defensionem nitendum, commoneamus. — Est primum in studio linguarum veterum orientalium simulque in arte quam vocant criticam. Utriusque rei scientia quum hodie in magno sit pretio et laude, ea clerus, plus minusve pro locis et hominibus exquisita, ornatus, melius poterit decus et munus sustinere suum: nam ipse *omnia omnibus* (4) fieri debet, paratus semper *ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea quæ in ipso est spe* (5). Ergo sacræ Scripturæ magistris necesse est atque theologos addecet, eas linguas cognitas

Primum præsidium est in scientia linguarum veterum orientalium, in qua maxime sese exercent alumni ad gradus academicos aspirantes;

(1) Eph. VI, 13, *seq.*
(2) *Cfr.* Col. III, 16.
(3) *De sacerd.*, IV, 4.
(4) I Cor. IX, 22.
(5) I Petr. III, 15.

habere quibus libri canonici sunt primitus ab hagiographis exarati, easdemque optimum factu erit si colant alumni Ecclesiæ, qui præsertim ad academicos theologiæ gradus aspirant. Atque etiam curandum ut omnibus in Academiis, quod jam in multis receptum laudabiliter est, de ceteris item antiquis linguis, maxime semiticis, deque congruente cum illis eruditione, sint magisteria, eorum in primis usui qui ad sacras Litteras profitendas designantur. — Hos autem ipsos, ejusdem rei gratia, doctiores esse oportet atque exercitatiores in vera artis criticæ disciplina: perperam enim et cum religionis damno inductum est artificium, nomine honestatum criticæ sublimioris, quo, ex solis internis, uti loquuntur, rationibus, cujuspiam libri origo, integritas, auctoritas dijudicata emergant. Contra perspicuum est, in quæstionibus rei historicæ, cujusmodi origo et conservatio librorum, historiæ testimonia valere præ ceteris, eaque esse quam studiosissime et conquirenda et excutienda: illas vero rationes internas plerumque non esse tanti, ut in causam, nisi ad quamdam confirmationem, possint advocari. Secus si fiat, magna profecto consequentur incommoda. Nam hostibus religionis plus confidentiæ futurum est ut sacrorum authenticitatem Librorum impetant et discerpant: illud ipsum quod extollunt genus criticæ sublimioris, eo demum recidet, ut suum quisque studium præjudicatamque opinionem interpretando sectentur: inde neque Scripturis quæsitum lumen accedet, neque ulla doctrinæ oritura utilitas est, sed certa illa patebit erroris nota, quæ est varietas et dissimilitudo sentiendi, ut jam ipsi sunt documento hujusce novæ principes disciplinæ: inde etiam, quia plerique infecti sunt vanæ philosophiæ et rationalismi placitis, ideo prophetias, miracula, cetera quæcumque naturæ ordinem superent, ex sacris Libris dimovere non verebuntur. — Congrediendum secundo loco cum iis, qui sua physicorum scientia abusi, sacros Libros omnibus vestigiis indagant, unde auctoribus inscitiam rerum talium opponant, scripta ipsa vituperent. Quæ quidem insimulationes quum res attingant sensibus objectas, eo periculosiores accidunt, manantes in vulgus, maxime in deditam litteris juventutem; quæ, semel reverentiam divinæ revelationis in uno aliquo capite exuerit, facile in omnibus omnem ejus fidem est dimissura. Nimium sane constat, de natura

item in vera artis criticæ disciplina.

Arte critica multi abutuntur non attendentes in re historica testimonia historiæ præ cæteris valere et ad rationes internas nonnisi ad rem confirmandam esse recurrendum. — Secus si fiat, magna consequentur rei biblicæ detrimenta.

Aliud præsidium est physicorum scientia qua adversarii perperam utuntur ad divinorum librorum auctoritatem evertendam.

doctrinam, quantum ad percipiendam summi Artificis gloriam in procreatis rebus impressam aptissima est, modo sit convenienter proposita, tantum posse ad elementa sanæ philosophiæ evellenda corrumpendosque mores, teneris animis perverse infusam. Quapropter Scripturæ sacræ doctori cognitio naturalium rerum bono erit subsidio, quo hujus quoque modi captiones in divinos Libros instructas facilius detegat et refellat. — Nulla quidem theologum inter et physicum vera dissensio intercesserit, dum suis uterque finibus se contineant, id caventes, secundum S. Augustini monitum, « ne aliquid temere et incognitum pro cognito asserant (1). » Sin tamen dissenserint, quemadmodum se gerat theologus, summatim est regula ab eodem oblata : Quidquid, inquit, ipsi de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris Litteris non esse contrarium ; quidquid autem de quibuslibet suis voluminibus his nostris Litteris, idest catholicæ fidei, contrarium protulerint, aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum (2). » De cujus æquitate regulæ in consideratione sit primum, scriptores sacros, seu verius « Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista (videlicet intimam adspectabilium rerum constitutionem) docere homines, nulli saluti profutura (3); » quare eos, potius quam explorationem naturæ recta persequantur, res ipsas aliquando describere et tractare aut quodam translationis modo, aut sicut communis sermo per ea ferebat tempora, hodieque de multis fert rebus in quotidiana vita, ipsos inter homines scientissimos. Vulgari autem sermone quam ea primo proprieque efferantur quæ cadant sub sensus, non dissimiliter scriptor sacer (monuitque et Doctor Angelicus) « ea secutus est, quæ sensibiliter apparent (4). » seu quæ Deus ipse, homines alloquens, ad eorum captum significavit humano more. — Quod vero defensio Scripturæ sanctæ agenda strenue est, non ex eo omnes æque sententiæ tuendæ sunt, quas singuli Patres aut qui deinceps

Nulla quidem *vera* inter theologiam ac scientiam physicam potest esse discordia.

Considerandum autem noluisse Deum per hagiographos docere homines intimam rerum physicarum constitutionem. Unde ipsi res istas quandoque describunt metaphorice aut secundum communem istius temporis loquendi modum, quod et hodiedum passim fit.

---

(1) *In Gen. op. imperf.* IX, 30.
(2) *De Gen. ad. litt.* I, 21, 41.
(3) S. Aug. *ib.* II, 9, 20.
(4) *Summa theol.* p. I, q. LXX. a. 1, ad 3.

interpretes in eadem declaranda ediderint: qui, prout erant opiniones ætatis, in locis edisserendis ubi physica aguntur, fortasse non ita semper judicaverunt ex veritate, ut quædam posuerint, quæ nunc minus probentur. Quocirca studiose dignoscendum in illorum interpretationibus, quænam reapse tradant tamquam spectantia ad fidem aut cum ea maxime copulata, quænam unanimi tradant consensu; namque « in his quæ de necessitate fidei non sunt, licuit Sanctis diversimode opinari, sicut et nobis, » ut est S. Thomæ sententia (1). Qui et alio loco prudentissime habet: « Mihi videtur tutius esse, hujusmodi, quæ philosophi communiter senserunt, et nostræ fidei non repugnant, nec sic esse asserenda ut dogmata fidei, etsi aliquando sub nomine philosophorum introducantur, nec sic esse neganda tamquam fidei contraria, ne sapientibus hujus mundi occasio contemnendi doctrinam fidei præbeatur (2). » Sane, quamquam ea, quæ speculatores naturæ certis argumentis certa jam esse affirmarint, interpres ostendere debet nihil Scripturis recte explicatis obsistere, ipsum tamen ne fugiat, factum quandoque esse, ut certa quædam ab illis tradita, postea in dubitationem adducta sint et repudiata. Quod si physicorum scriptores terminos disciplinæ suæ transgressi, in provinciam philosophorum perversitate opinionum invadant, eas interpres theologus philosophis mittat refutandas.

Ceterum non omnes Patrum aut interpretum sententiæ sunt tuendæ, cum de his quæ non sunt de necessitate fidei licuit Sanctis diversimode opinari.

Nec facile philosophorum sententiæ ut fidei dogmata asserantur vel ut fidei contrariæ traducantur.

Quæ physici ut certa affirmant ostendat interpres Scripturis recte explicatis non repugnare; memor tamen sit quandoque ab eis ut certa tradita quæ postea dubia aut etiam falsa fuerunt reperta.

Hæc ipsa deinde ad cognatas disciplinas, ad historiam præsertim, juvabit transferri. Dolendum enim, multos esse qui antiquitatis monumenta, gentium mores et instituta, similiumque rerum testimonia magnis ii quidem laboribus perscrutentur et proferant, sed eo sæpius consilio, ut erroris labes in sacris Libris deprehendant, ex quo illorum auctoritas usquequaque infirmetur et nutet.

Eadem observentur quoad alias disciplinas, historiam præsertim, cujus documenta multi haud æquo judicio Scripturæ opponunt.

Idque nonnulli et nimis infesto animo faciunt nec satis æquo judicio; qui sic fidunt profanis libris et documentis memoriæ priscæ, perinde ut nulla eis ne suspicio quidem erroris possit subesse, libris vero Scripturæ sacræ, ex opinata tantum erroris specie, neque ea probe discussa, vel parem abnuunt fidem. Fieri quidem potest, ut quædam librariis in

(1) *In Sent.* II, *dist.* II, q. 1, a. 3.
(2) *Opusc.* X.

Ficri quidem potest ut quædam minus recte in transcribendis codicibus excideriut librariis, aut loci cujusdam sensus ambiguus permaneat; at nefas dicere aliquas tantum Scripturæ partes esse inspiratas aut auctorem sacrum errasse.

codicibus describendis minus recte exciderint; quod considerate judicandum est, nec facile admittendum, nisi quibus locis rite sit demonstratum: fieri etiam potest, ut germana alicujus loci sententia permaneat anceps; cui enodandæ multum afferent optimæ interpretandi regulæ: at nefas omnino fuerit, aut inspirationem ad aliquas tantum sacræ Scripturæ partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem.

Nam omnes Scripturæ partes sunt inspiratæ, et divina inspiratio necessario omnem excludit errorem.

Nec enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis difficultatibus sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes, inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil præterea, pertinere, eo quod falso arbitrentur, de veritate sententiarum quum agitur, non adeo exquirendum quænam dixerit Deus, ut non magis perpendatur quam ob causam ea dixerit. Etenim libri omnes atque integri, quos Ecclesia tamquam sacros et canonicos recipit, cum omnibus suis partibus, Spiritu Sancto dictante, conscripti sunt; tantum vero abest ut divinæ inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa, non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse. — Hæc est antiqua et constans fides Ecclesiæ, solemni etiam sententia in Conciliis definita Florentino et Tridentino; confirmata denique atque expressius declarata in Concilio Vaticano, a quo absolute edictum: *Veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in ejusdem Concilii* (Tridentini) *decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem* (1).

Hæc fides Ecclesiæ est pluries definita.

Vera notio inspirationis Scripturæ proponitur;

Quare nihil admodum refert, Spiritum sanctum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi, non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit. Nam supernaturali ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola quæ ipse juberet, et recte mente

(1) Sess. III, c. II, *De revel.*

conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent: secus, non ipse esset auctor sacræ Scripturæ universæ. Hoc ratum semper habuere SS. Patres: « Itaque, ait Augustinus, quum illi scripserunt quæ ille ostendit et dixit, nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit: quandoquidem membra ejus id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt (1); » pronunciatque S. Gregorius M.: « Quis hæc scripserit, valde supervacanee quæritur, quum tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur hæc scripsit, qui scribenda dictavit: ipse scripsit qui et in illius opere inspirator extitit (2). »

confirmata verbis S. Augustini

et S. Gregorii M.

Consequitur, ut qui in locis authenticis Librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinæ inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem. Atque adeo Patribus omnibus et Doctoribus persuasissimum fuit, divinas Litteras, quales ab hagiographis editæ sunt, ab omni omnino errore esse immunes, ut propterea non pauca illa, quæ contrarii aliquid vel dissimile viderentur afferre (eademque fere sunt quæ nomine novæ scientiæ nunc objiciunt), non subtiliter minus quam religiose componere inter se et conciliare studuerint; professi unanimes, Libros eos et integros et per partes a divino æque esse afflatu, Deumque ipsum per sacros auctores elocutum nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse.

Quare qui in locis authenticis Scripturæ errorem admittunt vel catholicam inspirationis notionem pervertunt vel Deum ipsum erroris faciunt auctorem.

Ideo Patres et Doctores apparentes Scripturæ antilogias religiose conciliare studuerunt.

Ea valeant universe quæ idem Augustinus ad Hieronymum scripsit: « Ego enim fateor caritati tuæ, solis eis Scripturarum libris qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam. Ac si aliquid in eis offendero litteris quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam (3). »

At vero omni graviorum artium instrumento pro sanctitate Bibliorum plene perfecteque contendere, multo id majus

Ad Bibliorum defensio-

(1) *De consensu Evangel.* l. I, c. 35.
(2) *Præf. in Job.* n. 2.
(3) *Ep.* LXXXI, 1, et crebrius alibi.

nem theologis opem afferant externarum doctrinarum periti catholici,

est, quam ut a sola interpretum et theologorum sollertia æquum sit expectari. Eodem optandum est conspirent et connitantur illi etiam ex catholicis viris, qui ab externis doctrinis aliquam sint nominis auctoritatem adepti. Horum sane ingeniorum ornatus, si nunquam antea, ne nunc quidem, Dei beneficio, Ecclesiæ deest; atque utinam eo amplius in fidei subsidium augescat. Nihil enim magis oportere ducimus, quam ut plures validioresque nanciscatur veritas propugnatores, quam sentiat adversarios; neque res ulla est quæ magis persuadere vulgo possit obsequium veritatis, quam si eam liberrime profiteantur qai in laudata aliqua præstent facultate. Quin facile etiam cessura est obtrectatorum invidia, aut certe non ita petulanter jam traducere illi audebunt inimicam scientiæ, fidem, quum viderint a viris scientiæ laude nobilibus summum fidei honorem reverentiamque adhiberi. Quoniam igitur tantum ii possunt religioni importare commodi, quibus cum catholicæ professionis gratia felicem indolem ingenii benignum Numen impertiit, ideo in hac acerrima agitatione studiorum quæ Scripturas quoquo modo attingunt, aptum sibi quisque eligant studii genus, in quo aliquando excellentes, objecta in illas improbæ scientiæ tela, non sine gloria, repellant.

unusquisque pro studii genere quo excellit.

Optimo autem consilio pecunias conferunt fideles ad doctiorum virorum studia in revelatæ doctrinæ tuitionem promovenda.

Quo loco gratum est illud pro merito comprobare nonnullorum catholicorum consilium, qui ut viris doctioribus suppetere possit unde hujusmodi studia omni adjumentorum copia pertractent et provehant, coactis societatibus, largiter pecunias solent conferre. Optima sane et peropportuna temporibus pecuniæ collocandæ ratio. Quo enim catholicis minus præsidii in sua studia sperare licet publice, eo promptiorem effusioremque patere decet privatorum liberalitatem; ut quibus a Deo aucti sunt divitiis, eas ad tutandum revelatæ ipsius doctrinæ thesaurum velint convertere.

Ipsi eruditi sequantur regulas suprâ præfinitas, firmiterque teneant nullam veritatem sive scientificam

Tales autem labores ut ad rem biblicam vere proficiant, insistant eruditi in iis tamquam principiis, quæ supra a Nobis præfinita sunt; fideliterque teneant, Deum, conditorem rectoremque rerum omnium, eumdem esse Scripturarum auctorem: nihil propterea ex rerum natura, nihil ex historiæ monumentis colligi posse quod cum Scripturis revera pugnet. Si quid ergo tale videatur, id sedulo submovendum, tum adhibito prudenti theologorum et interpretum

judicio quidnam verius verisimiliusve habeat Scripturæ locus, de quo disceptetur, tum diligentius expensa argumentorum vi, quæ contra adducantur. Neque ideo cessandum, si qua in contrarium species etiam tum resideat; nam, quoniam verum vero adversari haudquaquam potest, certum sit aut in sacrorum interpretationem verborum, aut in alteram disputationis partem errorem incurrisse: neutrum vero si necdum satis appareat, cunctandum interea de sententia.

sive historicam cum Scripturis *revera* pugnare.

Permulta enim ex omni doctrinarum genere sunt diu multumque contra Scripturam jactata, quæ nunc, utpote inania, penitus obsolevere: item non pauca de quibusdam Scripturæ locis (non proprie ad fidei morumque pertinentibus regulam) sunt quondam interpretando proposita, in quibus rectius postea vidit acrior quædam investigatio. Nempe opinionum commenta delet dies; sed « veritas manet et invalescit in æternum (1). » Quare, sicut nemo sibi arrogaverit ut omnem recte intelligat Scripturam, in qua se ipse plura nescire quam scire fassus est Augustinus (2), ita, si quid inciderit difficilius quam explicari possit, quisque eam sumet cautionem temperationemque ejusdem Doctoris: « Melius est vel premi incognitis sed utilibus signis, quam inutiliter ea interpretando, a jugo servitutis eductam cervicem laqueis erroris inserere (3). »

Multa autem olim contra Scripturam objecta jam reperta sunt inania: item non pauca Scripturæ loca nunc rectius sunt explicata.

Consilia et jussa Nostra si probe verecundeque erunt secuti qui subsidiaria hæc studia profitentur, si et scribendo et docendo studiorum fructus dirigant ad hostes veritatis redarguendos, ad fidei damna in juventute præcavenda, tum demum lætari poterunt digna se opera sacris Litteris inservire, eamque rei catholicæ opem afferre, qualem de filiorum pietate et doctrinis jure sibi Ecclesia pollicetur.

Consilia et jussa Pontificis si observent viri scientiarum periti optime de re catholica merebuntur.

Hæc sunt, Venerabiles Fratres, quæ de studiis Scripturæ sacræ pro opportunitate monenda et præcipienda, aspirante Deo, censuimus. Jam sit vestrum curare, ut qua per est religione custodiantur et observentur: sic ut debita Deo gratia, de communicatis humano generi eloquiis sapientiæ suæ, testatius eniteat, optatæque utilitates redundent, ma-

Curent Episcopi ut observentur quæ Pontifex monuit.

(1) III Esdr. 4, 38.
(2) Ad Januar. *ep.* LV, 21.
(3) *De docr. chr.* III, 9, 28.

xime ad sacræ juventutis institutionem, quæ tanta est cura Nostra et spes Ecclesiæ. Auctoritate nimirum et hortatione date alacres operam, ut in Seminariis, atque in Academiis quæ parent ditioni vestræ, hæc studia justo in honore consistant vigeantque. Integre feliciterque vigeant, moderatrice Ecclesia, secundum saluberrima documenta et exempla SS. Patrum laudatamque majorum consuetudinem: atque talia ex temporum cursu incrementa accipiant quæ vere sint in præsidium et gloriam catholicæ veritatis, natæ divinitus ad perennem populorum salutem.

Clerus SS. Litteris studeat summo reverentiæ ac pietatis affectu.

Omnes denique alumnos et administros Ecclesiæ paterna caritate admonemus, ut ad sacras Litteras adeant summo semper affectu reverentiæ et pietatis: nequaquam enim ipsarum intelligentia salutariter ut opus est patere potest, nisi remota scientiæ *terrenæ* arrogantia, studioque sancte excitato ejus *quæ desursum est* sapientiæ. Cujus in disciplinam semel admissa mens, atque inde illustrata et roborata, mire valebit ut etiam humanæ scientiæ quæ sunt fraudes dignoscat et vitet, qui sunt solidi fructus percipiat et ad æterna referat: inde potissime exardescens animus, ad emolumenta virtutis et divini amoris spiritu vehementiore contendet: *Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum* (1).

Jam divini auxilii spe freti et pastorali studio vestro confisi, Apostolicam benedictionem, cælestium munerum auspicem Nostræque singularis benevolentiæ testem, vobis omnibus, universoque Clero et populo singulis concredito, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum die XVIII Novembris anno MDCCCXCIII, Pontificatus Nostro sextodecimo.

LEO PP. XIII.

---

(1) Ps. XVIII, 2.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Junii.

—

I

Quid intelligitur per glossolatiam seu donum linguarum de quo 1 Cor. XII, XIII et præsertim XIV; quomodo illud distinguit S. Paulus a prophetia et quid circa usum hujus charismatis decernit?

II

Expone quænam sit ultima et formalissima ratio cur non repugnet tres divinas Personas esse perfecte æquales in perfectione.

III

Da notionem peccati venialis habitualis.

IV

Explica notionem blasphemiæ.

V

Quæritur utrum specie morali differant blasphemia immediata et mediata.

VI

Determina quatenus obligatione residendi teneantur vicarii cooperatores.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Martii propositas.

—

I

Q. *Qua occasione et quo fine scripta est epistola ad Romanos?*

R. Ut rite intelligatur scopus cujusdam epistolæ et ipsa proinde epistola, diligenter attendendæ sunt circumstantiæ in quibus versantur tum ejus scriptor tum ejus lectores quibus destinatur.

Conditio S. Pauli. Suos labores suaque itinera considerans, videt se evangelizasse integrum Orientem inde ab Jerusalem usque ad Illyricum (XV, 19), æstimat munus suum ibi absolutum esse (v. 23 a), ad alias regiones in quibus nondum nominatus est Christus anhelat ardens ejus animus (v. 20); quapropter iter per Occidentem molitur, Romam adveniet, ubi tamen non manebit, quum Hispaniam percurrere desideret (23b-24, 28). Interim tamen Jerusalem revertitur ut eleemosynas in Achaïa et Macedonia collectas et fratribus Palæstinensibus destinatas deferat (25-27). Nunc vero Corinthiis versatur, ut colligere possumus ex Act. XX, 3, ex identitate Caii hospitis Pauli (XVI, 23) cum Caio de quo 1 Cor. I, 14, et ex eo quod Phæbe diaconissa ecclesiæ quæ est in Cenchreis, in portu scil. Corinthiorum, in eo est ut Romam naviget ideoque Romanis commendatur (XVI, 1) (1). Scribit igitur in fine tertii sui itineris apostolici, np. ut videtur, initio anni 58.

Ecclesiæ Romanæ compositio. Multum disputatur utrum hæc ecclesia conversa sit ex judaismo an ex

(1) Phæbe probabiliter hanc epistolam detulit.

paganismo. Præplacet tamen sententia fideles Romanos quoad majorem partem fuisse ethnico-christianos. Etenim ex Act. XXVIII, 16-22 apparet nullas esse relationes Romæ anno 61 inter Judæos et christianos ita ut hi vix aliquid sciant de religione christiana et penitus ignorent prædicationem Pauli. Idem deducitur ex ipsa nostra epistola: lectores enim recensenter inter gentiles I, 5, 13; IX-XI de Judæis loquitur in 3ª persona; ubi vero transit ad lectores, dicit: *vobis enim dico gentibus;* cur scribat ad ecclesiam ipsi ignotam explicat ex eo quod sit apostolus gentium (I, 5; XV, 15). Quod autem II, 17 judæum alloquatur, facile intelligitur per figuram rhetoricæ; et quod IV, 1 vocet Abraham *patrem nostrum secundum carnem* explicatur per communicationem qua Paulus Judæus quæ sibi sunt propria transfert lectoribus, cf. 1 Cor. X, 1. — Erant tamen quidam Judeo-christiani: etenim qui discernebant inter cibos (XIV, 2), necnon inter dies (6) probabilius fuerunt originis judaicæ.

Ejusdem ecclesiæ status religiosus. Teste Apostolo, fideles Romani veram et genuinam doctrinam christianam acceperant (VI, 17; XVI, 17) et in eadem permanserant (I, 8, 12; XV, 14; XVI, 19), eamdem fidem ac Paulus habebant (I, 12). Attamen

1°/ fides eorum plenam sui perfectionem nondum obtinuerat: adhuc laborabant *infirmitate carnis* (VI, 19), h. e. defectu quodam morali et religioso orto ex eo quod adhuc carnales seu *parvuli in Christo* erant (ita Beelen, cf. I Cor. III, 1); quidam eorum erant *infirmi in fide* (XIV, 1), horum autem abstinentia a certis cibis et a vino et observatio dierum non implicabat necessitatem impletionis legis Mosaicæ ad salutem, nam Paulus, acerrimus Judaizantium impugnator, hujusmodi ascesim non ut errorem damnabilem (v. 22), sed ut imperfectionem tolerandam (XV, 1) æstimat. Ex iisdem locis etiam videmus aliqualem defectum charitatis exstitisse apud firmiores in fide erga hujusmodi debiliores.

2°/ Quod ad futurum attinet, admonentur lectores ut invigilent et devitent seductores *qui dissensiones et offendicula præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt* (XVI, 17). Illud periculum nondum adesse ex eo patet quod illi pseudodoctores aperte distinguantur a Romanis, quum statim addat: *vestra enim obedientia in omnem locum divulgata est. Gaudeo igitur in vobis* (v. 19), et quod eorum errores aperte indicare necessarium non judicaverit Paulus.

*
* *

Hisce præ oculis habitis, jam facile est respondere ad propositam quæstionem.

Primo intuitu alicui videri potest scopum apostoli fuisse suum proximum adventum Romanis nuntiare, siquidem hæc idea tum initio (I, 10-15), tum in fine (XV, 23, 24) enuntiatur. Hæc quidem potuit esse causa cur *aliquam* epistolam scripserit, minime vero cur *hanc* epistolam cum argumento eminenter dogmatico scripserit. Propterea nuntium illud nonnisi occasio scribendi fuisse videtur.

Si autem quærimus quisnam proprie fuerit finis apostoli, mira conspicitur sententiarum variatio. Alii enim cum Baur, duce scholæ rationalisticæ Tubingensis, scopum polemicum adstruunt: Paulus scil. voluerit refutare ecclesiam Romanam judeo-christianam et infensam apostolo qui viam salutis ethnicis aperiebat. Alii ut Hilgenfeld jam admittunt ecclesiam romanam partim saltem constare ethnico-christianis et putant finem Pauli fuisse conciliare utramque hujus ecclesiæ partem, judeo-scil. et ethnico-christianam ad invicem hostilem. Alii tandem scopum prophylacticum admittunt seu voluit Paulus romanos præmonere contra futuros seductores. Unusquisque videt has omnes sententias partim falsas esse, partim vero insufficientes quatenus id quod secundarium est in epistola et obiter additum exhibeant tamquam præcipuum et fundamentale.

Præcipua epistolæ pars est procul dubio expositio doctrinæ, non quidem totius doctrinæ christianæ sed doctrinæ vere paulinæ de salute obtinenda per fidem sine operibus Legis, de salute ergo ethnicis oblata, Judæis non restricta (I, 16-XII). Atqui hæc expositio optime intelligitur tum ex ipsius Pauli conditione, tum ex statu rerum in ecclesia Romana. Apostolus scil. hisce ultimis annis undequaque evolverat et firmiter stabiliverat suam de salute doctrinam in variis disputationibus quas contra judaizantes habuit in Galatia et Corinthiis. Obvium sane erat ut in scribendo illas ideas exponeret in quibus totus tunc erat. Ex alia parte utile erat hanc expositionem mittere Romanis utpote qui indigebant confirmatione fidei suæ (I, 11) et uberiori ejusdem explicatione et perfectione (VI, 19); ita simul magis erunt in communitate idearum cum Paulo et præparabitur proximus ipsius adventus; et tandem præclari ingenii apostolus optime perspiciebat quantum in propagatione Evangelii erat momentum ecclesiæ Romanæ, sitæ in capite Imperii et quasi in centro totius mundi.

Nihil etiam obstat quin dicatur restitutionem pacis et concordiæ firmiores inter et debiliores, atque etiam admonitionem contra futuros pseudodoctores esse fines epistolæ sed omnino secundarios.

A. D. B.

II

Q. *Demonstra in Deo esse processionem ad intra secundum operationem intellectus.*

R. **Prænotandum.** Propositio cujus exposituri sumus demonstrationem est saltem *theologice certa:* hæc enim ex revelata doctrina saltem deduci certo potest naturali ratione (1); quibusdam etiam auctoribus videtur hanc

(1) Cf. Suarez, *De SS. Trinitatis Mysterio,* L. I, c. 5; Hurter, *Theologiæ Dogmaticæ Compendium,* Œniponte, 1896, T. II, n. 203.

contineri in ipsa revelatione, et ideo ab illis notatur *fidei proxima* (1).

Status quæstionis sic definitur : quum revelatum sit in Deo esse duos procedentes quorum unus a sòlo (sc. Patre) procedit, alter vero a Patre Filioque habet originem, ulterius inquiritur qua formali ratione procedat uterque, seu secundum quamnam operationem, quia, uti supra p. 257 demonstravimus, omnis processio est secundum aliquam operationem.

Demonstratio. 1. Ex S. Scr. « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum » (2).

Legenti caput I Evangelii S. Joannis apparet Verbum hìc describi 1°/ prout est in se ipso et relate ad Deum, v. 1 et 2; 2°/ prout est relate ad mundum creatum, v. 3; 3°/ prout est specialiter relate ad homines, vv. 4-17, in quo ultimo versiculo docetur Verbum quod caro factum est ipsum Jesum esse (3).

In v. 1 docetur ante omnia creata, et consequenter ab æterno, esse Verbum: illudque esse *apud* Deum et esse *Deum:* scilicet Verbum est subsistens in natura divina et distinctum ab alio etiam in natura divina subsistente apud quem esse dicitur : indicantur igitur duo subsistentes in natura divina, seu duæ divinæ personæ quarum una designatur nomine τὸν θεὸν, altera nomine ὁ Λόγος (4).

Verbum in v. 1 est nomen *proprium* divinæ personæ

---

(1) Cf. Casajoana, *Disquisitiones scholastico-dogmaticæ*, Barcinone, 1889, Vol. II, n. 23.

(2) Jo. I, 1-2.

(3) Cf. Knabenbauer, *Commentarius in Evangelium secundum Joannem*, Parisiis, 1898, p. 62; Camerlynck, *De Quarti Evangelii Auctore*, P. II, Brugis, 1900, p. 263 et sqq.

(4) « Nota etiam, hic τὸν θεὸν supponere pro *Persona Dei Patris*, ut ipse Joannes in epistola explicat (I Jo. 1, 2): *Annunciamus vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem*. Alia ergo est persona *Dei Patris*, alia *Verbi:* nemo enim recte dicitur esse *apud semetipsum* » Corluy, *Spicilegium*, Gandavi, 1884, T. I, p. 148.

cui datur: nomen nempe quod vel ipsam naturam ejus essentialiter describit, vel saltem aliquam notam ejus distinctivam exhibet (1).

Inquirendum jam est quisnam sensus sit hîc intentus ab auctore sacro usurpante hoc vocabulum *verbum*.

Vocabuli hujus variæ sunt significationes, quæ tamen ad sequentes reduci possunt: verbum dicit vel *externam manifestationem* cognitionis in intellectu conceptæ factam alteri, vel ipsam *internam conceptionem* alicujus cogniti in mente cognoscentis insitam.

Jamvero in v. 1 non adhibetur *verbum* ad designandam *unice* aut *primario* externam manifestationem divinæ cognitionis factam hominibus vel cuilibet creaturæ: nam in 1 v. sermo est de verbo prout ab æterno est Deus, antequam quidquam existeret creatum. Remanet igitur ut Verbum hîc vel *unice* vel *saltem primario* importet internam Dei cognitionem (2). Si autem hæc divina persona, nempe Verbum, hîc exhibetur *formaliter* ut cognitio in mente concepta, sequitur evidenter hanc personem *procedere secundum operationem* intellectus.

Hujus ratiocinii vis non modo non evanescit, sed potius confirmatur ex consideratione eorum quæ S. Joanni *occasio* fuerunt scribendi Evangelium: occasio

---

(1) Cf. Franzelin, *De Deo Trino*, Romæ, 1869, p. 384; Camerlynck, op. c., p. 265.

(2) Dicimus *saltem primario*, quia, admisso quod Pater intelligendo se ipsum Verbum producit, non repugnat ut huic personæ divinæ nomen Verbum etiam sed *secundario* competat quatenus nobis est manifestans veritates a Deo cognitas. « Veteres non omittunt adnotare Verbum vocari, quia nobis sit interpres paternæ voluntatis atque sententiæ, sicut verbum vocale nostrum mentis et voluntatis nostræ est interpres... Illam priorem (sc. significationem, secundum quam verbum designat internam cognitionem in cognoscente conceptam) esse potiorem et nostro loco unice præcipuam patet quia evangelista loquitur de Verbo prout ab æterno erat apud Deum; similitudo autem illa a verbo vocali deprompta non convenit nisi quatenus in tempore Deus nobis locutus est in Filio... Sed ex ipsa Verbi notione facile sequitur ratio conveniens, cur Deus per Verbum operetur atque sese manifestet ad extra, id quod theologi latius prosequuntur. » Knabenbauer, op. c., p. 68.

nempe fuit, ut videtur, doctrina Philonis tunc in Asia minori grassans et veritati christianæ periculum creans (1). Philonis speculationum centrum erat ο Λογος: hujus autem vocabuli significatio tum formalis, tum materialis erat obscura valde in mente Philonis et de *verbo* contradictoria asserebat. Obscuræ illi notioni imo et erroneæ voluit Joannes substituere claram simul et rectam notionem (2): quapropter docet existere ab æterno aliquod ens quod recte dicitur ὁ Λόγος: adhibendo hoc nomen Λογος intendebat necessario Joannes aliquam ejus formalem significationem affirmabatque naturam divinæ personæ, de qua agebat, proprie exhiberi hoc vocabulo. Sic, et non aliter, intelligitur quomodo Joannes dicens *In principio erat Verbum* « quasi scientificam Christi definitionem » tradat. — Hæc autem definitio est, uti vidimus, interna cognitio in cognoscente concepta (3).

2. *Ex Traditione.* Jam antiquissimi scriptores ecclesiastici, de Filio Dei prout est *Verbum* egerunt et hujus nominis rationem exposuerunt.

Tatianus in *Apologia contra Græcos*, n. 7, anno circiter 150 scripta, Filium Dei sic describit: « Verbum enim cœleste, spiritus a Patre genitus, et Verbum ex rationali potentia (εκ της λογιπῆς δυνάμεως). Illis verbis nempe: *verbum ex rationali potentia* haud obscure indicat Tatianus processionem secundum operationem intellectus.

Athenagoras in *Legatione pro christianis* anno circiter 177 scripta dicit n. 10: « Nec quisquam ridiculum

(1) De tota hac quæstione, v. Camerlynck, op. c. pp. 244-293.

(2) « Quemadmodum S. Paulus areopagitas alloquens dixerat: *Quod ergo ignorantes colitis hoc ego annuncio vobis* (Act. XVII, 23), ita quarti Evangelii auctor Asiaticis dicere videtur: Verbum illud, quod quæritis, revera existit, illud audivimus ac vidimus, illud perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de illo verbo vitæ; Verbum illud, vita et lux hominum, caro factum est et habitavit in nobis, est nempe unigenitus Dei Filius, Jesus-Christus » Camerlynck, op. c., p. 275.

(3) Id. op. c., p. 265.

existimet filium esse Deo. Neque enim ut poetæ fabulantur, qui nihilo meliores hominibus inducunt deos, ita de Deo et Patre aut Filio sentimus. Sed est Filius Dei Verbum Patris in idea et operatione (εν ἴδὲα και ἐνεργεῖα); ab eo enim et per eum facta sunt omnia, cum Pater et Filius unum sint. Cum autem Pater sit in Filio et Filius in Patre, unitate et virtute spiritus, mens et verbum Patris est Filius Dei. Quod si vobis pro summa vestra intelligentia inquirere subeat, quid sibi velit Filius, dicam breviter primam esse Patris progeniem, non quod factus sit (ab æterno enim Deus habebat in se ipso Verbum, utpote ab æterno rationalis (λογικὸς)) sed quod prodierit, ut omnium materialium rerum..... idea et operatio foret (ἴδὲα καἴ ἐνέργεια) ». Hic iterum docetur Filium procedere secundum operationem intellectus (1).

Clemens Alexandrinus, anno circiter 190 scribens, Verbum Dei dicit esse, *sapientiam supermundanam*, et ulterius hanc notionem explicat: « At nos ante mundi constitutionem fuimus, ratione futuræ nostræ productionis, in ipso Deo quodammodo tum præexistentes. Dei Verbi rationales creaturæ (τὰ Λογιηὰ πλάσματα) sumus: per quem prisci esse dicimur (ἀρχαιξομεν) quia in principio erat Verbum.

Sed quatenus quidem Verbum a principio, principium divinum omnium erat et est; quatenus vero nunc nomen accepit olim sanctificatum, potestate dignum, Christus, novum Canticum a me vocatur. Hoc igitur Verbum, Christus, et ut olim essemus nos (nam erat in Deo), et ut bene essemus, causa fuit. Nunc autem apparuit hominibus hoc ipsum Verbum, quod solum est ambo, Deus et homo, nobis causa omnium bonorum: a quo

---

(1) Attamen S. Irenæus, *Adversus Hæreses*, L. IV, c. 20 et Theophilus Antiochenus, *Ad Autelycum*, L. II, n. 7, n. 15 et n. 18, Spiritum sanctum vocant *Sapientiam* et Triadem appellant *Deum, Verbum, Sapientiam:* ex quibus videtur ipsis non perspicuum fuisse Filium secundum intellectus operationem et Spiritum Sanctum secundum voluntatis operationem procedere.

edocti ut recte vivamus, ad æternam vitam transmittimur ». *Cohortatio ad Græcos*, c. I (1). Hic clare distinguit Clemens considerationem Verbi prout erat in principio in Deo et prout est post incarnationem. Verbum prout est in Deo est *sapientia* supermundana, et nos ante mundi constitutionem fuimus in Deo præexistentes *quia* in principio erat Verbum: ergo in *sapientia* divina nos *intentionaliter* præexistimus: persona igitur divina, quæ hic discribitur, se habet formaliter ut *Verbum*, sc. ut rem intellectam in intelligente ipsam: in hoc continetur quod Verbum *procedit secundum operationem intellectus*. — Etiam in *Pædagogi*, L. I, c. 11 dicit Clemens Alex.: « Adeo ut ex hoc apertum sit, unum solum verum, bonum, justum, ad imaginem et similitudinem Patris Filium Jesum, Verbum Dei esse nostrum Pædagogum..... Fide dignus et divinus Pædagogus, tribus rebus pulcherrimis ornatus, scientia, benevolentia, dicendi libertate. Scientia quidem quoniam est *paterna sapientia*... » (2). Etiam in *Stromatum* L. VI dicit de Filio Dei: « Is autem dictus est Sapientia ab omnibus prophetis, is est magister omnium quæ orta sunt, Dei consiliarius qui omnia præscivit » (3).

Origenes in *Commentario in Joannem* conscripto infra 218-228 docet Christum esse Deum et esse sapientiam et verbum. Christum qua Deum *formaliter* esse sapientiam et verbum (proinde procedere secundum *intellectus* operationem) docet Origenes explicando quomodo Christus sit creator rerum: quod sic intelligendum est « ut secundum sapientiam et exemplaria (τοὺς τύπους) collectionis earum, quæ in ipso sunt, idearum, omnia facta sint. Opinor enim, quemadmodum domus et navis fabricatur vel ædificatur juxta exemplaria mente artificis concepta... ita omnia facta esse secun-

(1) Ed. Migne, Patr. gr. T. VIII, col. 60 et 61.
(2) Ibid. col. 365.
(3) Ibid. T. IX, col. 280.

dum rationes rerum manifestatas antea in sapientia » T. I, n. 22 (1). De Verbo dicit: « Multarum imaginum archetypa imago est ille Λόγος, qui erat in principio, quatenus est apud Deum semper manens Deus, haudquaquam id esset nisi apud Deum esset, et haudquaquam esset Deus manens, nisi perpetuo permaneret in contemplatione paternæ profunditatis » T. II, n. 2 (2).

TERTULLIANUS in opere *Adversus Praxeam* conscripto infra 213-240, licet Dei Filium designet nomine *Sermo,* tamen clare exponit Filium ut *internum* intelligentis verbum procedere: « Nos vero et semper et nunc magis..... unicum quidem Deum credimus, sub hac tamen dispensatione quam οἰκονομίαμ dicimus, ut unici Dei sit et filius et sermo ipsius, qui ex ipso processerit, per quem omnia facta sunt... c. 2 (3).

« Sed quia duos unum volunt esse, ut idem pater et filius habeatur, oportet et totum de filio examinari, an sit, et qui sit, et quomodo sit..... Ante omnia... Deus erat solus..... Solus autem quia nihil aliud extrinsecus præter illum. Ceterum ne tunc quidem solus; habebat enim secum quam habebat in semetipso rationem, suam scilicet. Rationalis enim Deus, et ratio in ipso prius, et ita ab ipso omnia. Rationalis ratio sensus ipsius est. Hanc Græci λογον dicunt, quo vocabulo etiam sermonem appellamus... Etsi Deus nondum sermonem suum miserat, proinde eum cum ipsa et in ipsa ratione intra semetipsum habebat tacite cogitando et disponendo secum quæ per sermonem mox erat dicturus..... Idque quo facilius intelligas, ex te ipso ante recognosce, ut ex imagine et similitudine Dei, quo habeas et tu in temetipso rationem, qui es animal rationale, a rationali scilicet artifice non tantum factus sed etiam ex substantia ipsius animatus. Vide, cum tacitus tecum ipse

(1) Ibid. T. XIV, col. 56.
(2) Ibid. col. 109.
(3) Ed. Œhler, Lipsiæ, 1894, T. II, p. 654.

congrederis ratione, hoc ipsum agi intra te, occurrente ea tibi cum sermone ad omnem cogitatus tui motum, ad omnem sensus tui pulsum. Quodcunque cogitaveris, sermo est; quodcunque senseris, ratio est. Loquaris illud in animo necesse est, et dum loqueris, conlocutorem pateris sermonem, in quo inest hæc ipsa ratio qua cum eo cogitans loquaris per quem loquens cogitas. Ita secundus quodammodo in te est sermo, per quem loqueris cogitando et per quem cogitas loquendo; ipse sermo alius est. Quanto ergo plenius hoc agitur in Deo... Possum itaque non temere præstruxisse et tunc Deum ante universitatis constitutionem solum non fuisse, habentem in semetipso proinde rationem et in ratione sermonem, quem secundum a se faceret agitando intra se » c. 5 (1).

Eamdem doctrinam de origine Filii secundum intellectus operationem docent Patres qui scripserunt post concilium Nicænum (a. 325).

S. Athanasius in opere *Adversus Arianos* dicit: « Ecce enim nos quidem ex divinis Scripturis libere et confidenter de pia rectaque fide loquimur, quam et tamquam lucernam super candelabrum collocamus dicentes: Filius natura verus et genuinus est Patris, proprius (filius) substantiæ ejus, Sapientia unigenita, Verbum verum et unicum Dei ipse est, non res creata vel facta, sed proprius substantiæ Patris fetus. »

L. I, n. 9. « Quoniam vero Deus non est (homo), nec item ejus Verbum quidquam hominum infirmitati simile habet. Ut enim principium una est essentia, ita unum est essentiale et subsistens ejus Verbum et Sapientia. Nam ut ex Deo Deus est, ex sapiente sapientia, ex rationali verbum, et ex patre filius... L. IV, n. 1.

S. Basilius (331? — 379) in *Homilia II* in illud: *In principio erat Verbum...* n. 3, dicit: « Jam vero *verbi* duplex est intelligentia: alterum enim voce profertur,

(1) Ibid. p. 658.

quod posteaquam prolatum est, in aëre perit: alterum vero internum est, inque animis nostris insitum, verbum scilicet mentis. »

Deinde inquirit S. Doctor quomodo intelligendum sit verbum quando dicitur de Deo: nempe quærit cur Dei unigenitus dicatur Verbum et respondet: « Ut perspicuum sit processisse ex mente... »

Legantur etiam S. GREGORIUS NAZ. *in oratione IV de Theologia,* S. AUGUSTINUS, *Tract. in Joan.* I, nn. 8-9; *De Trinitate*, L. VI, c. 1, L. XV, c. 14. S. JOANNES DAMASCENUS, *De Fide*, L. I, c. 6.

3. Ex ratione theologica. Uti ex revelatione constat, datur in Deo, scilicet in ipsa divina natura seu essentia, processio ad intra, seu, quod idem est processio secundum operationem immanentem; atqui in puro spiritu actio immanens non est nisi intellectus et voluntatis: jamvero voluntas præsupponit intellectum: ergo supposita semel processione ad intra in Deo, dubium esse nequit quin detur processio secundum operationem intellectus et per modum intelligibilis emanationis (1).

J. V. D. M.

III

Q. *Explica qua ratione differant peccatum originale et personale, peccatum mortale et veniale.*

R. Prævie notandum est universale quoddam posse dupliciter prædicari de inferioribus: vel *univoce,* ita ut ratio prædicata per universale sit *eadem* omnino in inferioribus, nec contrahatur ad aliquod eorum nisi per differentiam superadditam, quæ scilicet nullatenus contineatur in conceptu universali; sic prædicatur animal de homine et de bruto: ratio np. animalis inest utrique

(1) Cf. S. Thomas, I, Q. XXVII, a. 1; Billot, *De Deo Uno et Trino*, Romæ, 1897, p. 344.

eodem modo, et est determinata differentiis rationalitatis et irrationalitatis, illi rationi extrinsecis ; vel prædicatur *analogice*, ita ut ratio prædicata per universale *non eodem modo* insit inferioribus, ac proinde contrahatur per expressionem differentiæ quæ implicite continetur in universali (1). Porro inter varios analogiæ modos ille est considerandus qui habetur quando ratio prædicata per universale inest *perfectè* uni illorum de quibus dicitur, in alio autem *deficienter* tantum, cum *inæquali perfectione intrinseca* (2).

Hoc ultimo modo prædicatur *peccatum* de *originali* et *personali*, de *mortali* et *veniali* peccato : ipsa enim *ratio peccati diversa est* in diversis peccati generibus, ita ut *perfectè* inveniatur in peccato personali mortali, in aliis vero *deficienter*. Quod ut intelligatur, adverte duo esse de communissima notione peccati, cum omne peccatum sit voluntaria carentia debiti ordinis ad Deum finem ultimum : sunt np. *deordinatio* ab ultimo fine, unde peccatum habet rationem mali, et *voluntarietas*, unde habet rationem culpæ. Jamvero hæc ipsa quibus constituitur *ratio peccati* non eodem modo inveniuntur in diversis peccati generibus : etenim *voluntarietas* omnino diversa est in originali et in personali peccato, quum hoc sit voluntarium voluntate istius personæ, illud verò voluntate capitis naturæ tantum, et sic differt originale a personali, per hoc quod deficiat in ratione voluntarii ; deinde *deordinatio* minime eadem est in

---

(1) Cf. De Baets, *De ratione ac natura peccati originalis*, Lovanii 1899, p. 16.

(2) Cf. *suprà*, p. 45 ; De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, Rollarii 1900, n. 15. — Apposite S. Thomas in II, Dist. XLII, q. 1, a. 3 : « Duplex est modus dividendi commune in ea quæ sub ipso sunt... Est enim quædam divisio univoci in species, per differentias quibus æqualiter natura generis in speciebus participatur, sicut animal dividitur in hominem et equum et hujusmodi. Alia vero divisio est ejus quod est commune per analogiam, quod quidem *secundum perfectam rationem* prædicatur de uno dividentium, et de altero *imperfecte* et secundum quid, sicut ens dividitur in substantiam et accidens..... »

mortali et in veniali, quum mortale simpliciter deordinet a fine ultimo, veniale autem solum ab eo aliquo modo retardet, ordine ad finem ultimum salvato, et sic differt veniale a mortali, per hoc quod deficiat in ratione deordinationis (1).

Cum igitur duplex elementum quo constituitur ipse conceptus peccati communissime accepti *non eodem modo* inveniatur in originali et personali, in mortali et veniali, sequitur peccatum analogice, non univoce, dici de illis; analogia autem in casu habetur secundum modum descriptum, ita nimirum ut unum sit « quod per prius peccatum dicitur, scilicet peccatum personale mortale, quia in eo solo *plene et perfecte* peccati ratio invenitur (2) », alia vero dicantur peccata per posterius, quia in eis peccati ratio non adest nisi *deficienter*. Ex quibus patet non sic ordinandum esse tractatum de peccatis, ut primo dicatur de peccato in genere, deinde vero de singulis peccatis, quasi de totidem speciebus, sed primum omnium dicendum esse de peccato personali mortali, deinde de reliquis (3).

Unum sedulo notandum est ex prædictis nequaquam inferendum esse peccatum originale et veniale non dici peccatum *proprie* sed *metaphorice*, sicut ex analogia notionis Entis minime concludere licet ens creatum metaphorice dici ens (4): ratio peccati *vere* inest, non tantum in personali mortali, sed etiam in originali et veniali, ita ut sive originale sive veniale nequeat esse peccatum, nisi aliquo modo vere sint voluntaria carentia debiti ordinis ad Deum finem ultimum; at *aliter* est in singulis, in mortali nempe *perfecte*, quoad utrumque elementum, in aliis *imperfecte* tantum.

H. M.

---

(1) S. Thom. in II, Dist. XXXV, q. 1, a. 2 ad 2 (quem textum invenies *suprà* in fine p. 45) coll. 1-2, q. 88, a. 1, ad 1. Cf. De Baets, *op. cit.*, p. 17 sq.; Billot, *De natura et ratione peccati personalis*, Romæ 1897, p. 7; Bouquillon, *Theol. mor. fund.*, ed. 2a, n. 397; ed. 3a, n. 403.

(2) Billot, *op. cit.*, p. 7.

(3) Billot, *op. cit.*, p. 8.

(4) De Baets, *op. cit.*, p. 19.

IV

Q. *Da notionem peccati personalis mortalis quoad actum peccati.*

R. « *Peccatum mortale ex parte substantiæ actus convenienter definitur: dictum vel factum vel concupitum contra legem æternam; ex parte vero defectus seu privationis, aversio a Deo fine ultimo per voluntariam conversionem ad bonum commutabile* ». Billot, *op. cit.*, p. 35.

Explicatur.

« Dicendum quod, ait S. Thomas (1), peccatum nihil aliud est quam *actus humanus malus*. Quod autem aliquis actus sit *humanus*, habet ex hoc quod est voluntarius.... Habet autem actus humanus quod sit *malus* ex eo quod caret debita commensuratione... » np. ad aliquam regulam. Unde « ad rationem peccati duo concurrunt, scilicet actus voluntarius, et inordinatio ejus (2) » seu *substantia actus* (3) et *defectus rectitudinis*. Quo fit ut duplici modo peccatum definiri contingat: uno modo, sumendo ipsum ex parte substantiæ actus qui defectum involvit, secundum quam *actuale* peccatum dicitur; alio modo, sumendo ipsum ex parte ipsius defectus, qui involvitur in actu et ex quo *rationem mali* habet (4). Utrumque modum breviter explicemus, relate ad peccatum mortale (5).

---

(1) 1-2, q. 71, a. 6.

(2) 1-2, q. 72, a. 1; coll. in II, Dist. XXXV, q. 1, a. 2.

(3) Nomine *substantiæ* in præsenti significatur quidquid positive dicitur: S. Thomas, in II, Dist. XXXVII, q. 1, a. 1; *actus* autem sumitur non *in esse naturæ*, sed *in esse moris*, prout scilicet procedit a voluntate, quatenus est domina suæ determinationis et libere eligit bonum particulare, prætermissa regula rectitudinis. Cf. Billot, *op. cit.*, p. 15 ss.

(4) Billot, *op. cit.*, p. 36.

(5) Vocatur *mortale* per analogiam ductam ex corporalibus, ut explicat Angelicus in 1-2, q. 72, a. 5: « Duplex enim est inordinatio: una per subtractionem principii ordinis; alia qua, etiam salvato principio ordinis, fit inordinatio circa ea quæ sunt post principium: sicut in corpore animalis, quandoque quidem inordinatio complexionis procedit

I/ *Ex parte substantiæ actus* recta est definitio quam tradit Augustinus, L. 22 *contra Faustum*, c. 27 : « Ergo *peccatum est factum vel dictum vel concupitum contra æternam legem* ». Dicitur a/ *dictum vel factum vel concupitum :* sic comprehenduntur omnes actus voluntarii, sive interiores (*concupitum*), sive exteriores (*dictum vel factum*) (1) ; et intelligi quoque debent *omissiones* actuum qui exerceri possunt ac debent : peccatum enim omissionis radicaliter consistit in actu positivo, quatenus quidquid voluntarietatis est in omissione formaliter considerata derivat a deliberatione qua homo positive decrevit vel omittere rem præceptam, puta cum vult non ire ad missam, vel facere aliquid quod sit cum ea incompossibile, puta cum vult ludere quando debet adire ecclesiam (2). Dicitur b/ *contra legem æternam* et sic indicatur defectus rectitudinis, qui involvitur in actu voluntario et ex quo hic habet rationem mali. Videlicet propria nota peccati mortalis est quod sit perfectum in ratione peccati. Jamvero in tantum est peccatum, in quantum est actus voluntarius *discordans a lege æterna ;* et in tantum est perfectum in ratione peccati, in quantum discordat, non utcumque, sed ut omnino tollens ordinem in finem legis seu in quantum est simpliciter *contra* legem æternam (3). Quod ut ulterius explicetur, nota actum humanum, qua talem, esse malum, in quantum caret debito ordine in finem

---

usque ad destructionem principii vitalis, et hæc est mors ; quandoque verò salvo principio vitæ fit deordinatio quædam in humoribus, et tunc est ægritudo. Principium autem totius ordinis in moralibus est *finis ultimus*..... Unde quando anima deordinatur per peccatum usque ad aversionem ab ultimo fine (scilicet Deo, cui unitur per charitatem), tunc est peccatum *mortale ;* quando vero fit deordinatio citra aversionem a Deo, tunc est peccatum veniale ».

(1) S. Th., 1-2, q. 71, a. 6.

(2) S. Thom., *ibid.*, a. 5. Cf. Billot, *op cit.*, p. 18, nota 2, et p. 37 sq. — Omissio quidem in suo essentiali conceptu non importat actum, sed tamen omissio nequit esse voluntaria et culpabilis, sine aliquo actu qui sit causa vel occasio illius. Billuart, *Tract. de peccatis,* Diss. I, a. 4, § 1.

(3) Billot, *op. cit.*, p. 36 sq.

ultimum ac proinde in quantum non est conformis regulæ dirigenti in ipsum finem ultimum, quæ vocatur regula moralitatis. Hæc autem non est alia quam lex æterna per dictamen conscientiæ applicata voluntati: lex enim divina tam naturalis quam supernaturalis nihil aliud est quam directa emanatio legis æternæ, quæ continetur in Deo et est ipse Deus; lex vero quævis humana non habet vim obligandi nisi a lege æterna (1). Nota deinde quomodo dicatur peccatum mortale esse *contra* legem æternam. Videlicet sciendum est legem Dei quædam prohibere *intentione primaria*, quædam vero *intentione secundaria* tantum: intentione primaria prohibentur ea quæ simpliciter tollunt subjectionem ad ultimum finem Deum seu ab eo totaliter avertunt, quibus scilicet commissis, non manet amplius ipsum principium ordinis. Ista sunt omnes actus qui prosecutioni finis ultimi seu dilectioni Dei super omnia contrariantur: np. vel *immediate,* in iis omnibus quæ contra Deum ipsum committuntur, ut sunt blasphemia, infidelitas, desperatio, perjurium et hujusmodi, vel *mediate*, quatenus bonum humani convictus aut charitatem hominis ad seipsum graviter lædunt. Intentione tantum secundaria prohibentur quæ non sunt contraria ultimo fini, sed tamen aliquam inordinationem involvunt, quatenus aliquid admittitur quod non est referibile ad finem ultimum Deum, citra tamen aversionem ab hoc fine. Jamvero actus contrarii ipsi fini ultimo dicuntur esse *contra* legem, id est finem legis, et quidem simpliciter; alii vero dicuntur *præter* legem, vel si dicantur contra legem, non dicuntur contra simpliciter, sed secundum quid (2). Nunc autem peccatum mortale est simpliciter

(1) Billot, *op. cit.*, p. 19 sqq., coll. p. 37. Cf. *Collat. Brug.*, T. VI, p. 656 sqq.; T. VII, p. 443 sqq.

(2) Est hæc distinctio S. Thomæ v. g. 1-2, q. 88, a. 1, ad 1: Peccatum veniale « non est *contra* legem, quia venialiter peccans non facit quod lex prohibet, nec prætermittit id ad quod lex per præceptum obligat; sed facit *præter* legem, quia non observat modum rationis quem lex intendit »

contra legem, id est inducens aversionem ab ultimo fine Deo (1). Hæc est propria ratio malitiæ moralis, quæ invenitur in peccato mortali, hocque formaliter distinguit a veniali (2).

II/ *Ex parte defectus seu privationis* convenienter definitur peccatum mortale : *aversio a Deo fine ultimo per voluntariam conversionem ad bonum commutabile.* Jam satis dictum est de defectu, qui involvitur in actu peccati mortalis, qui est aversio a Deo fine ultimo ; explicandum remanet qua ratione ille defectus possit esse voluntarius, et hoc habetur in altera parte hujus definitionis : *per voluntariam* etc. Advertendum enim est aversionem a Deo vero fine ultimo, id est *sub ratione summi boni*, non posse *ut sic* induere apparentiam boni adeoque non posse esse *per se voluntariam :* nullus enim intendens ad malum operatur ; et nihilominus nisi sit aliquo modo voluntaria, non habet rationem culpæ. « Relinquitur ergo ut sit voluntaria indirecte, id est, non ratione sui, sed ratione cujusdam conversionis ad bonum creatum in quod directe fertur motus voluntatis : dum scilicet, duobus sibi propositis, homo magis eligit incurrere inordinationem peccato inhærentem, quam ab actu cessare et delectatione privari. Hinc, postquam positum est id quod defectum audit, oportet addere illud unde defectui accidit ratio voluntarii, et sic remanet dicendum quod defectus peccati consistit in aversione a Deo per conversionem ad bonum commutabile » (3).

---

id est, ut explicat Cajetanus in h. l. « violatur debitus modus quo secundum rationem referenda est materia illa ad finem ». Cf. etiam *De malo*, q. XIV, a. 2, ad 8 ; in III, Dist. XXXVIII, q. 1, a. 4, ad 5 etc. Cf. Billot, *op. cit.*, p. 34 sq. — Ex dictis patet solutio difficultatis, quæ menti obvenire posset : omne peccatum, etiam veniale, esse contra legem. Hoc np. verum est, si per legem intelligatur quidquid quolibet modo in ea continetur, non vero si intelligatur principalis et directa intentio legis : tunc enim contra legem idem est ac contra finem quem respicit lex. Cf. Billot, *l. cit.*

(1) Hæc egregie, pro more suo, evolvit Billot, *op. cit.*, p. 30 sqq.

(2) S. Thom. 2-2, q. 20, a. 3. Cf. Billuart, *Tract. de peccatis*, Diss. VIII, art. 2.

(3) Billot, *op. cit.*, p. 38. Cf. S. Thomas in 1-2, q. 88, a. 1 ad 4 ; q. 89,

Nota. Duplex definitio, ut ex expositis haud obscure colligitur, non est nisi duplex modus enuntiandi unam eamdemque indivisibilem peccati quidditatem : peccatum enim non potest existere sine duplici elemento, quod est voluntarietas et deordinatio. In priori definitione initium definiendi sumitur ex priori nota, et ideo quidquid in peccato positivum est ponitur in recto, et id quod ad privationem pertinet consequitur in obliquo ; in posteriori autem initium sumitur ex posteriori nota, et ideo id quod ad privationem pertinet ponitur in recto, et alterum in obliquo (1). Illud autem « quod moralem inordinationem consummat et veluti constituit in actu perfecto, est *conversio ad commutabile bonum*, *non solum extra*, *sed etiam contra ordinem finis,* pro quanto homo, postposito Deo, in aliqua re creata suum finem ultimum ponit, eique adhæret, ut summo diligibili (2). Porro potest esse conversio ad bonum creatum *tamquam finem ultimum*, sive *signate*, expresse et formaliter summum bonum constituendo in creatura, sive *exercite* tantum, si peccator, etsi non velit creaturæ rationem finis ultimi, tamen de facto ei adhæret ac si esset ultimus finis, eam præferens Deo (3). »

H. M.

---

a. 1, ad 3 ; in 2-2, q. 20, a. 3 ; in 3, q. 86, a. 4 ; q. 88, a. 1, etc. — Hic tamen occurrit difficultas : in odio Dei videtur peccantis intentio directe ferri super aversionem ipsam. Respondetur cum Angelico, in 2-2, q. 34, a. 1, in peccato speciali odii Dei aversionem non esse a Deo, *sub ratione summi boni* seu veri ultimi finis, sed in quantum Deus « apprehenditur *peccatorum prohibitor et pœnarum inflictor* ». Tunc habetur conversio ad bonum commutabile, si non formalis, saltem *æquivalens,* cum omnè odium fundetur in amore contrarii boni. Cf. Billot, *l. cit.*, et nota, p. 41.

(1) Billot, *op. cit.*, p. 45 ad 2m, coll. p. 36.

(2) Billot, *op. cit.*, p. 41.

(3) Billot, *op. cit.*, nota p. 41.

V

Quæritur utrum et cur peccatum scandali multiplicetur pro numero personarum scandalizatarum?

R. *Peccatum scandali probabiliter non multiplicatur pro numero personarum scandalizatarum. Ratio est quia personæ scandalizatæ, licet physice distinctæ, coalescunt in unum objectum morale totale. Jamvero, tot sunt peccata numero distincta quot sunt objecta totalia numerice distincta in esse morali.*

Explicatio. Præsens quæstio nihil aliud est quam specialis applicatio doctrinæ generalis de distinctione numerica peccatorum, in quantum hæc distinctio ex elemento objectivo actus peccaminosi deduci debet. Consentiunt quidem satis communiter (1) A.A. in tradenda regula suprà posita et juxta quam, ubi unus actus physicus versatur circa plures materias aut personas physice distinctas, peccatum (2) reputatur unum numerice vel multiplex prout actus unum numerice vel multiplex habet objectum *morale* totale. At non parum discrepant in regula ista casibus particularibus applicanda, quia minime conveniunt in definiendo quid sit objectum morale totale, seu potius in determinando quandonam objectum ejusdem voluntatis, imo ejusdem actus externi non solum materialiter et physice, sed etiam *formaliter* et *moraliter* unum vel multiplex dicendum sit (3).

Quidquid autem in aliis materiis circa prædictæ regulæ applicationem resolvendum sit, solide probabi-

---

(1) Hodiedum saltem; Cfr. S. Alph. *Theol. mor.*, Lib. II, c. I, n. 45. Catalogo Auctorum in favorem sententiæ Lugonis a S. Alphonso adductorum plurimi addi debent. Cfr. Ballerini-Palmieri, *Opus theol. mor.*, Vol. I, Tract. IV, n. 256.

(2) Respicit hæc quæstio actus tùm bonos, tùm malos; maxime tamen expendi solet in ordine ad actus malos sub titulo *distinctionis numericæ peccatorum.*

(3) Cfr. *Collat. Brug.*, T. I, p. 493.

lem habemus sententiam quæ docet peccatum scandali numerice non multiplicari juxta numerum personarum scandalizatarum. Etenim unus idemque actus physicus quo plures personæ sive directe sive indirecte scandalizantur, nonnisi unum numerice habet objectum morale totale. Nam objecta materialia numerice plura seu plures numerice personæ per modum unius objecti moralis in actu scandali attinguntur: actus enim voluntatis scandalizantis nocumentum spirituale variis personis inferendum concipit et attingit per modum unius sub conceptu confuso multitudinis spiritualiter lædendæ.

Nec traditam rationem evertit sequens difficultas a quibusdam auctoribus opposita: peccatum numerice multiplicatur quia *tot sunt distincta nocumenta* quot sunt personæ scandalizatæ (1). Non enim sufficit ut *peccatum* numerice multiplicetur, esse distincta nocumenta seu distinctas injurias ex parte objecti materialis: siquidem moraliter coalescunt in unum totum quod ut tale est objectum peccati scandalizantis. Cæterùm, parum opportune contra propositam sententiam allegatur distingui nocumentum juxta numerum personarum scandalizatarum. Plures enim patroni sententiæ oppositæ, inter quos ipse Vasquez, concedunt peccatum numerice non multiplicari quando unico actu violantur distincta jura plurium ut in furto rei quæ ad plures pertinet. In hac autem materia de distinctione numerica peccatorum, tùm damni materialis, tùm nocumenti spiritualis parem esse rationem nemo non videt: nempe in neutro casu numerice multiplicatur actus moralis, quia plura objecta materialia per modum unius subsunt uni actui voluntatis atque unum objectum morale totale actus constituunt.

Nec obstat unumquodque ex illis objectis materialibus per se posse terminare actum sibi adæquatum: prout enim substant tali actui scandali, nullum sufficit per se ad dictum actum terminandum, sed omnia conjunctim illum terminant per modum unius.

---

(1) Ità Billuart, *De Charit.*, Disp. VII, art. VI, § III.

Præterea, qui docent actum peccaminosum numerice multiplicari quando circa plures materias aut personas versatur, non satis sibimetipsis cohærent, cum doctrinam suam — et merito quidem — applicare non audeant moralitati bonæ (1): ità, ut ipsi fatentur, voluntas dandi eleemosynam pluribus personis non habet multiplicem numerice bonitatem sed unicam tantum. Unde in favorem nostræ sententiæ sic ratiocinamur: privatio est proportionata habitui, et ideo si habitus est unus, etiam privatio ejus una est: malitia autem est privatio debitæ bonitatis (2).

Demùm, ut meritò notat Billuart (3), quantum ad multiplicationem vel unitatem numericam peccatorum, maxime attendendum est ad prudentem hominum æstimationem. Jamvero, sensus hominum communis tenet numerum majorem personarum scandalizatarum peccatum scandali aggravare, non autem illud numerice multiplicare.

Hæc autem argumenta plane sufficiunt ut propositæ sententiæ *probabilitatem intrinsecam* solidam demonstrent. — Ad *auctoritatem extrinsecam* quod attinet, advertendum est quosdam auctores immerito pro sententia opposita adduci: qui videlicet tenent circumstantias notabiliter in eadem specie aggravantes esse confitendas (4), jam inde etiam tenere debent numerum personarum scandalizatarum esse exprimendum, quin tamen constet eos docere peccatum scandali pro numero scandalizatorum multiplicari (5).

Quodsi sententiæ propugnatæ patronis hujus a S. Al-

---

(1) Cfr. Bouquillon, *Theol. mor. fund.*, 3a ed., n. 379. — Illm ac Reverendm Waffelaert, *De dubio solvendo*, Lovanii 1880, p. 10.

(2) Cfr. Suarez, *De Pœnit.*, Disp. XXII, Sect. V, n. 34.

(3) *Tract. de peccatis*, Diss. II, art. IV. Hic tamen auctor sententiæ nostræ non favet.

(4) Hac de quæstione videsis Lahousse, *De Pœnit.*, Brugis, 1894, p. 125 ss.

(5) Cfr. Illm ac Reverendm Waffelaert, *Annot. in Tract. de Virt. theol.*, Brugis 1900, n. 542.

phonso adductis (1) addantur tùm plurimi auctores antiqui a S. Doctore omissi et a Ballerini-Palmieri citati (2), tùm etiam multi moderni ipsi faventes, meritò negari potest sententiam multiplicationem numericam affirmantem esse communiorem.

Nota. 1/ Quidam theologi (3) doctrinæ traditæ *limitationem* apponunt quatenus peccatum numerice multiplicari censeant, *quando intentio scandalizantis determinate in singulas personas ut distinctas fertur*. Quam limitationem haud improbabilem censemus. In hoc enim casu objecta materialia seu personæ physice distinctæ, in quantum pendet a voluntate scandalizantis, *moraliter non uniuntur in unum objectum morale totale*, sed quasi plura objecta in se totalia subsunt voluntatis actui. Præterea actus externus licet numerice unus, efficacia sua virtualiter internæ scandalizantis intentioni respondet.

2/ Cùm sententia tradita sit solide probabilis adeoque, seposita limitatione præcedenti, numerus personarum scandalizatarum peccatum scandali solum aggravet in eadem specie, sequitur numerum illum *hac de causa* non debere exprimi in confessione. Dicimus « hac de causa » : indubie enim numerus quandoque ex aliis capitibus est declarandus.

A. C.

VI

Q. *Quænam missæ uti votivæ seu extra ordinem officii diei celebrari possunt?*

R. 1° « Dici possunt ut votivæ, missæ omnes quæ in fine Missalis sub hac designatione ponuntur », (4) scili-

(1) *Theol. Mor.*, Lib. II, C. I, n. 45.

(2) *Opus theol. mor.*, Vol I, (Prati 1889), p. 530 s.

(3) Theol. Mechl. *Tract. de peccatis*, n. 125. — Lehmkuhl, *Theol. mor.*, Vol. I, n. 343.

(4) Decr. gen. *de missis votivis* 30 Junii 1896, n° 3922, III, 1.

cet duodecim in honorem mysteriorum aut sanctorum (quarum prima de SS. Trinitate) et tredecim pro diversis rebus (quarum primo loco habetur « *pro eligendo Summo Pontifice, Sede Vacante*); de illis enim rubricæ generales IV, 3 et rubrica specialis iisdem missis præfixa docent, eas pro sacerdotis devotione dici posse, sub quibusdam tamen conditionibus de quibus hic non agendum. Notari tamen obiter potest a/ quinque dari missas votivas de B. M. V. juxta diversitatem temporis anni, ideoque illam sumendam esse quæ tempori currenti correspondet. — b/ Missam pro eligendo Summo Pontifice non dici nisi *sede vacante*, prouti in ipsa superscriptione indicatur. — c/ Missam pro sponso et sponsa non posse celebrari nisi in eadem fiat Benedictio nuptiarum. — d/ Missam in Anniversario Electionis seu Consecrationis Episcopi tantummodo in ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis celebrari et quidem solemniter, non autem in aliis ecclesiis Diœceseos: juxta decretum enim 12 Sept. 1840 (1): « hæc missa votiva modo privato, nequit celebrari », etiam diebus quibus votivæ permittuntur, quum ipsa non sit votivis accensenda, nisi in sensu latiori (2).

2° Celebrari possunt uti votivæ, missæ quæ, inscriptæ « *Votivæ per annum* », in nona parte Missalis (saltem in recentioribus editionibus) describuntur et conformes sunt Officiis Votivis pro singulis hebdomadæ diebus liberis juxta Apostolicum indultum concessis per decretum S. R. Congregationis diei 5 Julii 1883 (3). Hæ missæ more votivo celebrari possunt, tum diebus quibus non fuit recitatum officium correspondens, tum etiam diebus

---

(1) 2823.

(2) Schöber, *de Cæremoniis missæ*, Append. III, cap. VI, 6.

(3) Quædam ex illis missis, scilicet de Angelis, de SS. Eucharistia, de Passione eædam sunt ac votivæ quæ in quinta parte missalis habentur et de quibus supra sub 1°. Sexta est de Immaculata Conceptione ut in hujus festo; duæ autem de SS. Apostolis et de S. Joseph novæ et speciales sunt.

quibus assignantur officia votiva, ab iis qui officium feriale vel de simplici recitaverunt. Quod eruitur ex decr. *Lincien.* 3 Junii 1892 (1), quo declaratur « pro missis votivis S. Joseph... quando non recitatur ejus officium votivum in feria IV, debere sumi formulare non ex missa diei 19 Martii, sed formulare ex missa quæ correspondet officio votivo ejusdem Sancti feriis quartis per annum » (2).

Quoad alias missas sive proprias, sive de communi quæ in Missali habentur, distinguere possumus missas de Sanctis et missas de Mysteriis. Jamvero:

3° Si agitur de Sanctis; a De B. M. V. (præter votivas in quinta parte missalis positas pro diversitate temporis anni) dici possunt illæ missæ festivæ quæ approbatæ sunt ut pro votiva dicantur, ut missa *Gaudens gaudebo* de Immaculata Conceptione et missa Septem dolorum (3); hæ autem duæ solæ in corpore missalis seu in calendario universali ut votivæ admittuntur. Missæ ergo de Assumptione, Annuntiatione, Nativitate B. M. V., de SS. Rosario, de Monte Carmelo etc. (sine speciali indulto) non celebrantur nisi in propriis festis vel per octavas, nunquam autem more votivo. Si tamen alicubi festum aliquod particulare B. M. V. cum missa propria concessum fuit et in missa specialis rubrica indicat quomodo more votivo

---

(1) n° 3764 ad IX.

(2) Vide *Collat. Brugen.* 1897. p. 290 collat. cum 1896, p. 401. Quod ibi tradidimus confirmationem accepit in reformatione Rubricarum decreto 11 dec. 1897 facta: inter variandum enim in rubricis *specialibus* missalis, decernitur. rubricam positam in missa 19 martii: « Post Graduale etc.: *In missis votivis* post tempus paschale usque ad Septuagesimam. Graduale Ps. 20 *Domine prævenisti* etc. » integre expungendam esse. Ex quo concludendum, non amplius uti votivam missam festi S. Joseph 19 Martii esse recitandam, sed sumendam esse in omni casu missam correspondentem officio votivo.

(3) Decr. cit. 30 Junii 1896, v. 1. Vide supra p. 34 et seqq. ubi citavimus et explicavimus verba ejusdem decreti: « In festivitatibus et infra octavas ejusdem B. Virginis celebretur missa festivitatis aut de die infra octavam, tanquam *non votiva*, sed *festiva* ».

sit dicenda, eam ut votivam recitare licebit, sed iis tantum in locis in quibus festum cum illa missa propria ex indulto celebratur. Ita missa Purissimi Cordis Mariæ, quæ habetur in Appendice Missalis sed nostræ diœcesi non est indulta, in hac diœcesi celebrari non potest. (1) b/ De aliis sanctis : « Missæ Votivæ dici tantum possunt de quibuscumque Sanctis Canonizatis, in Martyrologio Romano descriptis ». (2) « De cœteris Sanctis in prædicto Martyrologio non descriptis aut pro quibus a S. Sede non fuerit specialiter concessum..... missas celebrari vetuerunt » Emi Patres S. R. C. præpositi. *(Decr. gen. 11 Aug. 1691, nº 1853).* Requiritur ergo ut Sanctus sit in Martyrologio descriptus, vel ut alias constet de solemni ejus Canonizatione (v. gr. recenti), vel, prouti auctores interpretantur decretum posterius citatum, ut saltem concessum sit ejus officium cum missa alicui loco, quo casu, eo in loco et tantum in eo, missa etiam votiva celebrari potest (3). De Beatis vero non Canonizatis missæ votivæ celebrari non possunt, etiam ubi officium et Missa in eorum festis concessa sunt, nisi id speciali Apostolico indulto fuerit permissum (4). Pro sanctis autem, de quibus licet celebrare votivas, « adhibenda est sive missa propria, si habeatur, sive illa de communi, ad quam Oratio forte pertineat, sive altera pariter de communi : desumptis quidem de communi quæ in Missa propria forsan desunt, vel tempori non conveniunt, omissisque verbis *annua, hodie* ac similibus, et mutatis *natalitia*, *solemnitas*, *festivitas* in *commemoratio, memoria* » : *(Decr. gen. 30 Junii 1896 citatum).* Ita etiam loco Introitus *Gaudeamus omnes in Domino,* qui quibusdam in missis festivis, v. gr. S. Annæ, legitur et extra diem festum minus convenit,

---

(1) Cfr. Ill. Van der Stappen, *de rubricis missalis*, q. 212.

(2) Decr. gen. cit., III, 1.

(3) Cfr. Van der Stappen, l. c., q. 214 ; De Herdt I, nº 37 ; Victorius ab Appeltern, *Manuale liturgicum* I, cap. II, sect. II, art. II, q. 39.

(4) Decr. 13 Junii 1676, nº 1568. Cfr. Ill. Van der Stappen, l. c., q. 215 : De Herdt, l. c., q. 38.

sumitur Introitus de communi. « Si autem Sanctus in Missali Romano habet missam propriam, sed et ita propriam quod extra proprium diem festi in nulla fere parte veritas verborum servari possit, tunc pro missa votiva, relicta missa propria, sumitur missa de communi Sanctorum juxta qualitatem Sancti » (1). Notandum etiam, si Sanctus habeat missam *propriam* in Appendice Missalis vel in Proprio Diœceseos, hanc missam *propriam* uti votivam dici posse tantum ab iisdem qui eam tanquam festivam in proprio festo celebrare valent; alii, pro missa votiva, formulare missæ de communi Sanctorum pro qualitate Sancti recitare debent (2).

4° Si agitur de missis Mysteriorum et festivitatum Domini, « dici possunt ut votivæ, missæ... illæ quæ in corpore Missalis, ut votivo more per annum dici possint, adnotantur, quales inter alias Missa *Miserebitur* (3) de SS. Corde Jesu » *(Decr. 30 Junii 1896, III, 1)*, item missa SS. Nominis Jesu et Pretiosissimi Sanguinis. Iis autem in locis, in quibus festum particulare cum missa propria concessum est, si in ipsa missa rubrica indicat quomodo uti votiva sit recitanda extra diem festi, eo ipso conceditur facultas eam celebrandi ut votivam, iis tamen in locis tantum pro quibus festum cum missa indultum fuit. Ita missæ de Instrumentis Passionis v. gr. de Spinea Corona, de Lancea et Clavis, de quinque Vulneribus, sicuti etiam Missa de Sancta Familia, quæ leguntur in Appendice Missalis et simul cum suis officiis Diœcesi Brugensi fuerunt concessæ, uti votivæ dici possunt; quæ vero in missis Instrumentorum Passionis propria non possent servari, supplentur ex missa votiva de Passione Domini vel de Cruce, juxta regulam datam superius ex decreto gene-

(1) Ill. Van der Stappen, l. c., q. 216.

(2) l. c., q. 217.

(3) Pro Diœcesi Brugensi in festo SS. Cordis Jesu concessa est missa propria *Egredimini*, quæ etiam uti votiva dici potest per annum juxta rubricam specialem in hac missa insertam.

rali 30 Junii 1896 de missis Sanctorum (1). « Aliæ autem Missæ votivæ (præter eas quæ in fine Missalis (2) habentur) de festivitatibus et mysteriis Domini non possunt assumi, quia ita solemnitatum sunt propriæ, typumque anni ecclesiastici exprimunt, ut veritas in verbis servari nequeat » (3). Ita nunquam ut votivæ legi possunt missæ festorum Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, Transfigurationis Domini, Pentecostes etc.

Item non licet uti votivas celebrare missas de tempore, scilicet de Dominicis et feriis, nec etiam de vigiliis, « quia istæ missæ assignantur proprio suo tempori anni ecclesiastici, cujus ordinem intervertere nullatenus convenit ». (4) Tamen juxta decretum 30 Augusti 1892 (5): « Recitans privatim officium aliquod votivum feriis quadragesimæ, quatuor temporum aut vigiliarum, potest celebrare missam de feria in colore violaceo ». Quæ facultas extenditur ad omnes dies quibus officium fit semiduplex, nam in rubricis generalibus missalis decreto 11 dec. 1897 reformatis titulo III, *de feria et vigilia*, ad 1 additum est: « missæ autem feriarum majorum *occurrentium* celebrari possunt etiam in festis semiduplicibus ». Sed in casu missa de feria vel de vigilia nec votiva est nec more votivo dicitur, sed est missa de die, de feria *occurrente* cujus non fuit recitatum officium per accidens (6). Extra autem suam diem recitari nullo modo potest, sicuti nec missa de Dominica, prouti dictum est.

H. V. D. W.

---

(1) Ill. Van der Stappen, l. c., q. 224.

(2) Scilicet de SS. Trinitate, de Spiritu Sancto, de SS. Eucharistia, de Passione, de Cruce. « De his mysteriis non licet pro votivis dicere missas in propriis festivitatibus horum mysteriorum per annum (*Feriis SS. Trinitatis, Pentecostes, Corporis Christi, Inventionis vel Exaltationis SS. Crucis*) descriptas, sed sumendæ omnino sunt missæ hunquam votivæ propositæ in quinta Missalis Romani parte ». Ill. Van der Stappen, l. c., q. 226.

(3) Schöber, l. c., append. III, cap. 3, 1.

(4) Ill. Van der Stappen, l. c., q. 223.

(5) *Strigonien.*, n° 3792, ad VII.

(6) Cfr. Van der Stappen, l. c., q. 223.

Dissertatio.

De Domicilio Minorennium.

Casus in sequenti consultatione propositus quæstionem tangit de domicilio minorennium in ordine ad matrimonium, quæ quæstio majoris esse momenti videtur quam ut summarie solvatur, nec adeo inutile duximus latius in ea inhærere. En casum dijudicandum:

Titius habitans in H. matrimonium inire intendit cum Bertha consobrina germana 20 annorum. Porro sponsa fatetur se domum paternam ac parochiam I. olim dereliquisse cum animo non redeundi, et transiisse ad paræciam M., in archidiœcesi Mechliniensi; vellet autem nuptias celebrare in H., ubi sponsus habitat, et ubi ipsa intendit, matrimonio contracto, in perpetuum cum viro manere. Ulterius mens est ipsi deserendi parochiam M. ultima quindena ante matrimonium, et illam quindenam transigendi in domo matris viduæ in parochia I. commorantis. Petitur autem 1° in quonam ex citatis locis domicilium vel quasi domicilium habeat Bertha in ordine ad matrimonium; 2° an parochus in H. licite possit matrimonio assistere absque prævia licentia parochi in I. vel in M.

§ I PRINCIPIA.

A Minorennes non emancipati sequuntur, in ordine ad matrimonium ineundum, domicilium illius cujus sunt juris: patris scil. vel, in hujus defectu, matris, vel, in utriusque defectu, tutoris; nec valent propria voluntate dicto domicilio renuntiare ac aliud sibi constituere.

Quod principium a pluribus inter recentiores, iisque gravissimis, Auctoribus incunctanter docetur. Ita præ cæteris Feye, *De Impedim. matrim.*, ed. 1894, n. 204; Gasparri, *Tractat. canon. de matrim.*, II, n. 925; Wernz, in *Voto*, ad causam *Parisien.* solutam 20 Aug.

1898, apud *Anal. Eccles.*, 1899, p. 73-74; Consultor Romanus in altera causa *Parisien.*, soluta 26 Apr. 1902, apud *Anal. Eccles.*, 1902, p. 151 et seq., ubi in eumdem sensum citatur Laurin, *Wesen und Bedeutung des Domizils;* D'Annibale, *Summula Theol. Mor.*, I, p. 70; *Nouv. Rev. théol.*, III, p. 84 et seq., XXIV, p. 666; Theol. Mechl., *De Matrimonio*, n. 89, qu. 1ª; De Becker, *De Sponsal. et Matrim.*, (ed. 1903) p. 92; Giovine, *De Dispensation. matrimon.*, I, consultat. XXXII, paragr. 314, n. 7; Lehmkuhl, *Theol. Mor.*, II, n. 774.

Deshaeyes, *Quæstions pratiques sur le Mariage*, Paris, 1898, fatetur, in nota ad qu. 47, quod « on tient communément en France pour inamissible le domicile que la loi civile reconnait aux mineurs chez leurs parents, jusqu'à l'âge de leur majorité »; cf. etiam Carrière, *De Matrim.*, II, n. 1294.

Tandem *Instructio Austriaca*, quàm vocant, circa medium sæculum elapsum in usum deducta per integrum Austriæ imperium, ac summa cura exarata, in par. 41 statuit: « uxor, ubi maritus; minorennes, ubi parentes, nutritii, tutor verum habent domicilium » (1).

Quod autem *fundamentum* spectat *juridicum* quo præfata disciplina nitatur, utique in jure civili, signanter nostro Belgico, statuitur, art. 108: « La femme mariée n'a point d'autre domicile que celui de son mari. Le mineur non émancipé aura son domicile chez ses père et mère ou tuteur »; atvero in integro jure canonico, nullus, quod sciam, datur, nec ullus a laudatis AA. adducitur textus, hanc codicis civilis œconomiam explicite adoptans. Censemus tamen Ecclesiam civili disciplinæ in hac re sese implicite conformare in dijudicando minorennium domicilio canonico quoad matrimonium; non quod jus civile formaliter suum fecerit sed quatenus, positis codicis civilis dispositionibus,

(1) *Collectio Lacensis*, tom. V, p. 1286 et seq.

harum rationem habere cogatur Ecclesia in applicando proprio suo jure ad domicilium filiorum-familias.

Revera eo ipso quod minorennis voluntas a lege alligatur alterius voluntati, non potest, propria voluntate, *efficaciter* habere animum alicubi *perpetuo* manendi, seorsim a domicilio paterno, huic in perpetuum renuntiatione facta: qui animus est unum ex elementis ad domicilium coram foro ecclesiastico constituendum essentialiter requisitum; aliud proinde domicilium habere nequit, præter domicilium voluntate patris, matris vel tutoris contractum, quippe cui efficaciter renuntiare nequit et ad quod aliena voluntate semper revocari potest.

Porro in hunc sensum recte interpretari mentem Ecclesiæ confirmatur ex nuperrimis decisionibus Romanis, signanter duplici suprà memorata causa *Parisien.*, anni 1898 et 1902.

In *priori causa* declarata est ex capite clandestinitatis nullitas matrimonii a puella Parisiis contracti coram parocho, in cujus parœcia nec ipsa nec sponsus domicilium vel quasi-domicilium habebat, quam nullitatem proclamavit S. C. Concilii juxta votum P. Wernz, contendentis puellam, utpote minorennem, necessario conservasse domicilium matris viduæ Londiensis, cujus parochus nec matrimonio adstitit nec delegationem præstitit: quam thesim egregie vindicatam neque alter Consultor neque ipse Defensor vinculi ausi sunt in dubium vocare. Cf. *Analecta*, 1898, p. 392 et 398.

In *altera causa* rursus confirmata est sententia Curiæ Parisiensis, ex eodem capite clandestinitatis irritum enuntiantis matrimonium initum in parochia diœcesis Tolosanæ, a puella minorenni et utroque parente orbata, ibidem nec domicilium nec quasi-domicilium adepta; quæ nullitas in *Folio* eruitur ex eo quod sponsa necessariò sequebatur domicilium tutoris sui, in Brasilia domiciliati, adeoque non valebat tanquam vaga nuptias celebrare coram parocho loci ubi morabatur,

sed parochum Brasiliensem debebat adire vel sacerdotem hujus delegatione munitum. Cf. *Analecta*, 1902, l. c.

Quæ pauca sufficiunt ut tutò amplectamur sententiam a citatis Auctoribus propugnatam et in fronte hujus dissertationis propositam, filium nempe minorennem, in ordine ad matrimonium, domicilium conservare paternum, illique propria voluntate renuntiare non posse (1).

Quocirca attende dici « *propria voluntate* », quia si pater vel mater vel tutor consentiant in hoc quod filius vel pupillus plene et definitive, quod sane raro continget, renuntiet domicilio paterno et seorsim domicilium distinctum in perpetuum sibi constituat, non videmus quare Ecclesia non agnosceret hujusmodi filium tanquam capacem domicilium proprie dictum acquirendi. Eo namque ipso evanescit ratio cur renuntiatio a minorenni facta juridice sit inefficax et caduca. Cæteroquin talis parentum consensus (ad quem nullatenus sufficit consensus in matrimonium, qui merum consensum importat in *futuram* a domo paterna separationem), consensus, inquam, ille æquiparatur, sub hoc respectu, emancipationi, quæ, supposita ætate 15 annorum, vi legis civilis a sola parentum voluntate pendet (2).

---

(1) Inde est quod domicilium ejusmodi dicitur domicilium *legale et necessarium* pro minorennibus; postquam autem majorennes sunt effecti vel emancipati, optime possunt domicilium paternum conservare, illudque nequaquam amittunt per ipsam emancipationem vel majoris ætatis adeptionem, sed legalem acceperunt capacitatem illi efficaciter valedicendi: « Filii, notat Wernz, in *Voto*, n. 47, postquam facti sunt majores vel emancipati, sane in domo paterna non amplius retinent domicilium *necessarium* sive legale, atque pro suo jure domicilium legale derelinquere *possunt*, sed ex altera parte nequaquam *ipso facto* sive ipso jure amittunt quodvis domicilium in domo paterna, quamprimum ætatem majorem attigerunt vel emancipati sunt, potius domicilium ipsorum necessarium vel legale *transit in voluntarium*, si filii de facto in domo paterna habitare continuant neque ullam voluntatem habent discedendi, sicut uxor post mortem mariti non amplius habet domicilium legale sive necessarium uxoris in parochia mariti, sed domicilium ut voluntarium manet, si uxor de facto ibidem habitare pergat neque animum habeat discedendi ».

(2) Art. 476 Cod. Civ.: « Le mineur, même non marié, pourra être

In hoc recedimus a sententia clar. Wernz, qui hanc restrictionem rejicit et censet filium, ne parentum quidem voluntate, posse renuntiare paterno domicilio, uti constat ex n. 49, in memorato *Voto,* ubi asseveranter tenet Henricam, puellam scil. Londinensem, de qua agebatur in priori causa, « utpote minorennem ne de jure quidem potuisse, ante contractas nuptias, absolute deserere et amittere domicilium Londinense in domo materna, *etsi* ipsa Henrica vel *ejus mater id voluisset* ».

Contrà minus fundata videtur restrictio quam ipse clar. Auctor præfatæ doctrinæ circa minorennium domicilium afferendam opinatur, in eodem *Voto*, n. 50, quasi nempe pupillus non sequeretur domicilium tutoris in foro ecclesiastico, nisi simul verificetur penes pupillum conditio actualis commorationis (1).

In secunda nempe causa Parisiensi, superius adducta, decisum vidimus a S. Congr. puellam, Tolosæ commorantem, conservare domicilium tutoris in Brasilia, quin ullatenus inquiratur utrum in parochia tutoris habitaverit puella.

B' In determinanda ætate majore vel minore attendendum est jus uniuscujusque patriæ, uti providetur in *Instructione Austriaca,* par. 41 : « quinam minorennis censendus vel minorennibus quoad effectus juris æquiparandus sit, juxta legem austriacam dijudicandum venit ». Idem docet Wernz, in *Voto*, n. 47, citans et sequens Card. D'Annibale, op. cit., I, n. 22 : « qua ætate quis *in sua patria* major efficitur, ea ætate ubique major habetur ».

émancipé par son père, ou à défaut de père, par sa mère, lorsqu'il aura atteint l'âge de quinze ans révolus ».

Cette émancipation s'opérera par la seule déclaration du père ou de la mère, reçue par le juge de paix, assisté de son greffiier ».

(1) « Optimo jure Auctores solent monere solam assignationem domicilii minori in domo *tutoris,* per legem civilem factam non sufficere ad acquirendum domicilium in foro ecclesiastico, saltem quoad matrimonium contrahendum, nisi etiam verificetur essentialis illa conditio actualis habitationis ».

Et sane præcise proprium est patriæ jus et non aliud, per quod voluntas minorennis, ubicumque versari contingat, efficaciter alligatur voluntati parentum, ac adeo e consequenti incapax redditur ut, coram foro Ecclesiæ, verum domicilium acquirat a domicilio paterno distinctum. In Belgio igitur « le mineur est l'individu de l'un et de l'autre sexe qui n'a point encore l'âge de 21 ans accomplis ». Art. 388, collatis art. 476 et seq., circa emancipationem.

C/ Nihil impedit quominus minorennes proprio facto et propria voluntate acquirant *quasi-domicilium*, uti ex pluribus documentis abunde constat, juxta quæ, absque ulla restrictione, statuitur puellas, in monasteriis, studiosos in collegiis degentes, quasi-domicilium habere, licet passim minorennibus sint adnumerandi.

Cæterùm ad quasi-domicilium sufficit factum commorationis cum intentione manendi per majorem anni partem, quæ intentio non importat renuntiationem definitivam et perpetuam domui paternæ, ac proinde cum dependentia voluntatis, quæ est minorenni propria, optime consistere potest.

Contra doctrinam, infra descriptos limites propositam, insurgunt quidam licet numero pauciores Auctores. Ita 1°, Scherer, *Handbuch des Kirchenrechtes*, Graz, 1898, p. 151, tenet, in disciplina canonica circa domicilium, non esse attendendam distinctionem inter majorennes et minorennes, et pro hisce æque ac pro illis valere jus commune (1). Porro provocat ad Jus Romanum (Leg. 3, 4 et 17 § 11, Dig., Lib. L, *Ad Municipalem*, tit. 1° (2), in quo filiis-familias capacitas

(1) « Soferne dieses domicil domicilium legale illius qui non est sui juris) nur ein gesetzlich bestimmtes ist, entbehrt es für das kirchenrecht der beteutung, welches vielmehr überall, auch bei... minderjährigen auf deren thatsächliche wohnung gewicht legt und die frage, ob... der minderjährige im elternhause noch ein domicil behalten habe, nach den allgemeinen gründsätzen über das domicil entscheidet ».

(2) « Placet etiam filios-familias domicilium habere posse ». — « Non utique ibi, ubi pater habuit, sed ubicumque ipse domicilium constituit ». L. 3 et 4.

agnoscitur, præter paternum, aliud sibi constituere domicilium.

Atvero, missa quæstione de interpretatione invocatæ dispositionis Romani Juris, quam nonnulli solis applicandam volunt majorennibus (1), nullatenus nititur in Jure Romano sententia superius stabilita. Nimirum non diximus Jus Romanum in hac re fuisse ab Ecclesia canonizatum ; sed, posito facto legis civilis, voluntatem minorennis, quoad domicilium, alligantem ad voluntatem illius cujus est juris, deduximus inde logice consequi ab ipsa Ecclesia non posse agnosci minorenni veram capacitatem, propria voluntate contrahendi distinctum a paterno domicilium.

Quod ultimum si attendis æque videbis 2°/ frustra opponi a Deshaeyes, op. cit., qu. 47ª, in nota, Ecclesiam in suum forum non admisisse præscriptiones moderni codicis civilis (2). Ex dictis namque apparet nec nos contendere quod Ecclesia illas præscriptiones formaliter suas fecerit, sed quod quasi indirecte et logica consequentia coacta fuerit rationem habere illarum præscriptionum, in applicando proprio suo jure canonico ad domicilium minorennium.

In cassum tandem 3°/ communem, quam tuemur, doctrinam evertere conatur Clar. Joder, *Strassburger Diözesanblatt,* 1902, p. 328 et seq., arguendo ex Bened. XIV, qui, in *Institut.* XXXIII, n. 14, statuit puellas, quæ in Hospitiis servantur, cujus proventibus

---

(1) *Nouv. Rev. théol.*, III, p. 84.

(2) Il n'est point certain que l'Eglise ait adopté et fait siennes les prescriptions d'un droit civil quelconque par rapport à la majorité matrimoniale. Quoi qu'il en soit de l'ancien temps où le droit canonique était censé, en cas de silence, accepter, comme complément de sa législation, les dispositions temporelles du *droit Romain,* on peut difficilement prétendre qu'il en est de même aujourd'hui, étant donné l'inspiration peu catholique de nos codes contemporains, surtout en un point qui touche à la validité du sacrement de mariage, matière essentiellement ecclésiastique, et où l'on ne saurait admettre que l'Eglise s'en rapporte aux fantaisies législatives des pouvoirs civils ».

aluntur et dotem accipiunt, ac adeo quasi ipsius Hospitii filiæ habentur, matrimonium esse inituras coram parocho, cujus ditioni Hospitium coaptatur (1).

Revera, uti ipse Pontifex latius explicat in *Instit.* LXXXVIII, n. 2, ejus mens unice fuit « ut quædam leges statuerentur sacerdoti, qui accersitur, ut matrimonia rite celebrentur », seu certam normam pro sua diœcesi statuere proposuit « ut super ejusmodi rebus aditus controversiis omnibus præcludatur ». Nimirum non negat præfatas puellas domicilium conservare parentum, et *validè* posse contrahere coram paterni domicilii parocho, sed, pro *licita* nuptiarum celebratione, adeundum decernit parochum paræciæ in qua situm habet hospitium in quo aluntur; pari omnino ratione qua famulos exteros, secus ac famulos Bononienses, Bononiæ famalatui addictos, contracturos vult in famulatus parochia, licet ipsis domicilium paternum agnoscat explicite in ipsa parochia ubi parentes degunt: certum enim est, ait, « matrimonia pluribus difficultatibus implicatum iri, si a famulis exteris acciri deberet veri domicilii parochus ». *Instit.* LXXXVIII, n. 15.

Cæteroquin etiamsi quis diceret puellas minorennes, in hospitiis exceptas, ibi contraxisse domicilium, paterno plene et perfecte derelicto, id tribuendum foret, ad tramites doctrinæ supra propositæ, consensui parentum, in definitivam renuntiationem consentientium.

Immeritò igitur, ex casu a Benedicto XIV soluto, concludit Auctor minorennes, propria voluntate, domicilium paternum posse deserere ac aliud consequi;

---

(1) « Puellæ quæ in Hospitiis servantur, juxta veterem consuetudinem, quam firmam perpetuamque volumus, matrimonium inibunt coram parocho, cujus ditioni Hospitium coaptatur. Hospitii enim proventibus aluntur, dotemque accipiunt; ob quam causam, paterno domicilio relicto, tanquam ipsius Hospitii filiæ haberi possunt, ex quo si aliquando discedant domesticos invisuræ, exiguum tempus his officiis impenditur, nec unquam, nisi depositi, ac custodiæ nomine, per Hospitii rectores cuipiam committuntur ».

quam conclusionem, infeliciori adhuc conatu, eo usque perducit ut asserat sponsam minorennem, quæ, ipso mane quo nuptiæ sunt celebrandæ, a domo paterna discedit ut in alia parœchia contrahat, domicilium paternum ipso facto amississe, ac proinde coram parentum parœcho ejusve delegato jam non posse validè matrimonium inire (1).

Cui practicæ solutioni, etiam abstractione facta ab incapacitate, pro minorenni, renuntiandi domicilio paterno, aperte contradicit œconomia matrimonialis passim observata; hujusmodi namque a domo paterna discessus, matrimonii alibi celebrandi causa, per se et regulariter, nisi de contrario positive constet, non importat, etiam penes majorennem, definitivam renuntiationem domicilio parentum: secus enim nimia facilitate frustraretur lex clandestinitatis, et nuptuurientes majorennes sæpe sæpius omni domicilio essent orbati et vagis æquiparandi, puta si ipso nuptiarum mane ad aliam parœchiam sese conferunt contracturi, cum intentione ad tertiam parœciam transeundi in eaque postmodum habitandi.

Sponsæ (vel sponsi), ita prosequitur Wernz, in Voto, n. 18 « habent profectò intentionem suo tempore, i. e. celebratis nuptiis, deserendi domum maternam (vel paternam) et sequendi maritum; at cum æque ipsis perspecta sit incerta sors nuptiarum, in quibus jam multæ deceptæ sunt, cum omnia jam viderentur esse secura, domicilium in domo materna non solent deserere ante nuptias celebratas, ne rem certam cum re dubia commutent. Quodsi dubium quoddam remaneat, lex ipsa voluntatem sponsæ interpretata est; etenim in

---

1. « Wenn nämlich die Braut am Hochzeitsmorgen das elternhaus endgiltig verlässt, um die Ehe in einer andern pfarrei einsegnen zu lassen... hier hat auch die minderjährige braut den vaterlichen wohnsitz bereits aufgegeben, so dass der pfarrer ihrer eltern eine rechtliche delegation nicht mehr ausstellen kann, oder die bereits ausgestellte ihre giltigkeit verliert ». p. 331-332.

leg. 32, Dig. L. I. *Ad Municipalem*, tit. 1°, statuitur: *ea, quæ desponsa est, ante contractas nuptias suum domicilium non mutat.* Cui sanctioni juris Romani, cum expressa et diversa lex canonica non habeatur, procul dubio etiam in foro ecclesiastico standum est ». Plene consentit etiam Scherer, op. cit., p. 199 (1), provocans ad auctoritatem Laurin, op. cit., p. 189 et 203.

§ II. SOLUTIO.

Ad 1m. Sponsa, de qua quæritur, habebit quasi-domicilium in parochia M, usque ad ultimam quindenam ante matrimonium, quo tempore illud est amissura a parochia recedendo sine animo redeundi.

Quod spectat parœciam I., juxta principia exposita, semper ibi retinuit sponsa minorennis domicilium, ac necessario retinebit usque post ipsas celebratas nuptias, etiamsi ab illa parochia discedat alibi contractura, idque cum animo non redeundi; animus enim ille non est efficax nisi pleno, definitivo ac irrevocabili consensu matris fuerit corroboratus: qui consensus admodum raro obtinebit nec leviter est supponendus vel eruendus, uti vidimus, ex matris consensu in filiæ matrimonium.

Tandem quoad parochiam H., si Bertha non est capax, ante matrimonium (2), in ea, propria voluntate domicilium sibi constituendi, potest tamen acquirere quasi-domicilium, illudque reipsa acquiret, si ante nuptias celebrandas habitationem suam ibidem fixerit, siquidem animum supponitur habere ibi deinceps remanendi. Ad hoc autem factum habitationis, non sufficit

(1) « Die zuständigkeit des pfarrers tritt, strenge genommen, alsogleich mit dem erwerbe des eigentlichen oder uneigentlichen wohnsitzes seitens des contrahenten ein, und hört im falle eines durch die eheschliessung bedingten wohnungswechsels erst nach geschlossener ehe auf ».

(2) Matrimonio absoluto, illicó sequetur domicilium mariti, cujus fit juris.

quidem ex una parte merus accessus infra terminos parochiæ, nec ex alia parte opus est ut in ea noctem transegerit : satis esse videtur ut, ante matrimonium, licet ipso dumtaxat nuptiarum mane, in parochia H. domum conjugalem reipsa occupaverit, in eaque sedem actualis habitationis constituerit ; quæ domus occupatio eo efficacior erit ad factum habitationis inducendum, si lares ad eam prævie jam transtulerit (1).

Ad 2m. In statutis diœcesis Brugensis ordinatur : « Decentia et praxis communis exigunt ut matrimonium contrahatur coram parocho *sponsæ:* huic praxi in posterum omnes sese conformabunt ». *Stat. Diœc.*, ed. 2a , P. II, tit. II, art. 4, par. 4. Parochus autem sponsæ, in casu, in ordine ad matrimonium est parochus in I., ratione domicilii ibi retenti, et etiam parochus in H., utpote qui, momento matrimonii celebrandi, parochus quasi-domicilii existet, modò, ad normam dictorum, ante nuptias, habitationem suam in illo loco fixerit. Quo casu *licite* posset parochus consulens matrimonio assistere, quin stricto jure indigeat licentia parochi in I., quamvis hanc convenientius postularet, signanter si ipsum parochum consulentem velit adire sponsa pro instructionibus præviis et pro dispensatione impetranda : tempore enim instructionis dandæ et supplicæ conficiendæ nondum erit parochus proprius sponsæ, cui sponsæ parocho ex usu incumbit munus interrogandi et preces mittendi.

Nota. Nulla est postulanda licentia a parocho in M.,

---

(1) « Dans l'opinion commune des hommes, la prise de possession du domicile nouveau coïncide avec le jour où, le déménagement étant effectué (en tout ou en partie), le nouveau locataire ou propriétaire s'installe lui-même et couche pour la première fois dans sa nouvelle demeure... Mais si c'est là une règle générale, pratiquement applicaple et vérifiée dans la plupart des circonstances, il s'en faut cependant qu'elle soit d'une exactitude théorique absolue. Car l'habitation peut réellement commencer dans le courant de la journée, sans qu'il soit besoin d'attendre la nuit, et même dès le premier instant où se réalise effectivement l'occupation matérielle du lieu ». Deshaeyes, op. cit., qu. 7a .

cui, tempore matrimonii inèundi, nullo jam titulo pertinebit sponsa Bertha. Neque ejus commorationis in diœcesi Mechliniensi mentio est facienda in libello supplici ad Cancellarium Brugensem dirigendo: quæ mentio commorationis in aliena diœcesi tunc tantum fieri solet quando ad eamdem diœcesim non pertinent sponsi; hic autem, non modò sponsus, sed etiam sponsa est subdita Episcopi Brugensis, ejusque solius erit subdita momento matrimonii celebrandi.

A. D. S.

Ex S. Congr. Indulgentiarum

I

CHAMBERIENSIS.

De surdo-mutis quoad lucrandas indulgentias.

Quamvis hæc S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præposita, ut suppleretur impotentiæ, qua surdo-muti detinentur recitandi preces ad lucrandas indulgentias injunctas, jam providerit per Generale Decretum diei 16 Februarii 1852, in quo edixit: « *Quod si agatur de privatis orationibus, proprii mutorum et surdorum confessarii valeant easdem orationes commutare in alia pia opera aliquo modo manifestata, prout in D^no^ expedire judicaverint* »; nihilominus Episcopus Chamberiensis animo revolvens surdo-mutos nunc perfectiori methodo esse instructos, ut ipsi facilius et uberiori spirituali fructu Indulgentias assequi valeant, sequens dubium huic S. Congregationi dirimendum exhibuit:

« Utrum expediat, ut surdo-mutis, quin in singulis casibus ad proprium confessarium recurrant, per generale decretum gratia concedatur acquirendi Indulgentias, injunctas preces signis, vel mente fundendo, vel tantum easdem legendo sine ulla pronuntiatione? »

E^mi^ Patres in generalibus Comitiis ad Vaticanum habitis die 15 Julii hujus decurrentis anni responderunt:

Affirmative; et supplicandum SS^mo^ pro gratia, firmo manente decreto generali diei 16 Februarii 1852.

In audientia vero habita ab infrascripto Card. Præfecto die 18 Julii anni prædicti, SS^mus^ sententiam Emorum Patrum approbavit et petitam gratiam clementer elargitus est.

Datum Romæ ex Secr. ejusdem S. C. die 18 Julii 1902.

S. Card. CRETONI, *Præf.*

L. ✠ S.

Pro R. P. D. Franc. Sogaro *Archiep. Amiden., Secr.*
Jos. M. Can^cus^ Coselli, *Sub^tus^.*

II

Indultum pro sacerdotibus Tertii Ord. Sæcularis S. Francisci.

Beatissime Pater,

Sacerdotes Tertii Ordinis Sæcularis S. Francisci, ad osculum S. Pedis provoluti, humiliter implorant ut, qui ex ipsis, muneribus Sacerdotalibus impediti fuerint quominus adsignatis diebus Ecclesiam vel Oratorium adire valeant ad recipiendam Benedictionem Papalem vel Absolutiones Generales cum adnexa Indulgentia Plenaria præfato Tertio Ordini concessas, easdem recipere possint quocumque die inter festi octiduum occurrente, ne tanto bono spirituali inculpabiliter priventur.

Et Deus etc.

Vigore specialium facultatum a SS. D. N. Leone Pp. XIII sibi tributarum, S. Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præposita benigne annuit pro gratia juxta preces, ceteris servatis de jure servandis. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Præsenti in perpetuum valituro.

Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. Cong. die 11 Februarii 1903.

A. Card. TRIPEPI, *Præf.*

Libri dijudicantur.

Constitution « Conditæ a Christo » *de Léon XIII sur les instituts à vœux simples et leurs relations avec l'autorité diocésaine. Texte et commentaire par Dom* PIERRE BASTIEN, O. S. B. In-12, 104 pp. Bruges, Beyaert, 1902. Prix 1,25 fr.

Commentarium Constitutionis *Conditæ a Christo*, contentum variis articulis apud *Rev. théol. franç.* annorum 1901 et 1902, præsenti opusculo separatim edidit, paucis additis et mutatis, doctus P. Bastien, juris canonici professor. In *prologo* (Cap. I) brevem exhibet conspectum historicum de jure regularium, et divisionem Constitutionis; deinde hujus utrumque caput, primum quod agit de congregationibus *diœcesanis* (Cap. II), alterum de sodalitatibus *juris pontificii* (Cap. III), commentatur, distinctis paragraphis inquirens « in binas hujusmodi religiosarum Familiarum classes quænam Episcoporum jura esse oporteat, quæque vicissim illarum in Episcopos officia » (Const. *Conditæ*, initio); in solvendis pluribus dubiis usus est, quantum licuit, nuperrima deliberatione S. C. Episc. et Regul. diei 28 Junii 1901, quæ prodiit hoc titulo: *Normæ secundum quas S. Congr. Episc. et Regul. procedere solet in approbandis novis Institutis votorum simplicium.* Denique in Cap. IV agitur de nonnullis institutis votorum simplicium, quibus non applicatur præfata Constitutio: ubi meritò autumat Auctor hac non attingi moniales antiquiorum ordinum quæ, ut in Belgio, simplicem tantum faciunt professionem. Opusculum concludit index alphabeticus rerum, usui practico sapienti consilio aptatus. Scopum, quem aperit Commentator in sua præfatione, rite assecutus videtur, np. in gratiam Directorum et Superiorum religiosarum Familiarum concinnare, ut ipse ait (p. 5), « un manuel pratique et utile ».

H. M.

Socialism en ware leering, gelijkheid, eigendom, huisgezin, godsdienst en staatsleer door C. LOOTENS, R. K. priester. 1 Vol. de XXVI — 555 pp. 8°, Rousselare, J. De Meester, 1903. Prijs 4 fr.

Réfuter les théories sociales et, surtout, exposer la doctrine vraie concernant les bases essentielles de l'ordre social: le droit de propriété, la famille, la religion et la société, tel est le but que l'auteur s'est proposé dans ce travail. Il ne prétend point préconiser des solutions nouvelles ni émettre des idées bien neuves sur toutes ces importantes questions tant de fois agitées, au cours des dernières années surtout. Comme il le dit modestement dans la préface (p. V.), il a voulu écrire un ouvrage flamand, exposant d'après un plan méthodique, ces multiples problèmes et la solution autorisée que des savants de renom leur ont donnée dans des études spéciales approfondies.

Cette vaste synthèse, faite avec un soin éclairé, est hautement recommandable: elle se distingue surtout par sa logique serrée, son exposé didactique et clair. Les directeurs d'œuvres sociales y trouveront développés une quantité de sujets qu'ils pourront traiter avantageusement dans leurs instructions et leurs conférences. Il est évident — l'auteur a pris soin de le dire lui-même — que les différents chapitres de l'ouvrage ne constituent pas autant de sujets à traiter devant le public que représentent les nombreuses institutions sociales. M. Lootens fournit des matériaux en abondance, mais il a laissé à la sagacité du conférencier le soin de les choisir et de les approprier aux besoins de son auditoire.

Nous recommandons d'ailleurs la lecture de cet ouvrage à tous ceux qui s'intéressent aux questions sociales; non seulement aux prêtres, qui y trouveront condensée la doctrine catholique touchant ces différents points, mais encore et surtout aux laïcs, qui n'ont guère

le loisir de consulter des ouvrages spéciaux sur tous les graves problèmes qu'on agite tous les jours autour d'eux : l'étude de M. Lootens leur sera à tous un guide intelligent et sûr. Dans la section — la plus longue et la plus importante — consacrée au droit de propriété, l'auteur a puisé à des travaux de renom et de réelle valeur : tels les ouvrages de Capart, Cathrein, Lehmkuhl, Biederlack etc. Dans les autres parties de son travail, il a mis avant tout à profit d'excellents traités de droit naturel et de théologie. M. Lootens a consciencieusement rempli le but qu'il s'était proposé, et son étude substantielle, écrite d'ailleurs dans un style clair et facile, rendra de réels services (1).

A. C.

(1) Nous regrettons l'extrême sobriété de l'auteur en fait d'indications et de références bibliographiques. D'autre part, il eût traité plus avantageusement certains points d'importance secondaire dans des notes ou des annexes : cette méthode a l'incontestable avantage de mettre en relief la trame essentielle du raisonnement, et de faire ressortir davantage les idées maîtresses développées ; elle dispense, dans une certaine mesure, de multiplier à l'excès les divisions et subdivisions d'un même chapitre.

Collationes Brugenses

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Julii.

—

I

Explica canticum Annæ (I Reg. II, 1-10).

II

Ex notione *creationis* demonstra solum Deum posse creare.

III

Accurate determina et explica notionem justitiæ legalis?

IV

Ostende quomodo inter se differant justitia legalis et commutativa, justitia commutativa et distributiva?

V

Explica quo sensu intelligenda sit trita definitio juris proprietatis: *jus utendi et abutendi quatenus juris ratio patitur.*

VI

Indica requisita in altari tum fixo, tum portatili, ut in eo sacrificium missæ offerri possit.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Aprilis propositas.

—

I

Q. *Da analysim prioris partis dogmaticæ epistolæ S. Pauli ad Romanos I, 16-VIII.*

R. **Explicatur.** Ut in omnibus fere epistolis suis, ita etiam hic, Paulus præter dogmaticam partem, tradit argumentum morale (XII-XV, 13) brevius et quasi secundarium, quia Apostoli ingenium speculationibus delectabatur; non permixtum etiam cum argumento theoretico, sed distinctum ab eo et ordine posterius.

Ipsa autem pars dogmatica facile distinguitur in duas sectiones, quarum prior est pure speculativa: justitia obtinenda est omnibus per fidem (I, 16-VIII); altera vero exponit philosophiam seu potius theologiam historiæ: ostendit Deum semper libere distribuisse promissiones, plerosque Judæos nunc sua culpa rejici, attamen eumdem populum olim electum in fine temporum Deo reconciliandum esse (IX-XI). Quid in sectione proprie theologica contineatur jam fusius exponemus.

Evangelium est virtus Dei salvifica omni credenti sive Judæo sive Græco seu ethnico, quia in evangelio revelatur justitia Dei tamquam obtinenda omnibus per fidem (I, 16, 17).

I. Hæc propositio jam **negative** probatur: sine evangelio omnes obnoxii fuerunt peccato et consequenter iræ divinæ (18).

1°/ Gentilibus primo applicatur: Non obstante naturali Dei manifestatione, eum agnoscere eique cultum exhibere noluerunt (19-23). Propter quod a/ tradidit illos Deus in turpia peccata contra naturam (24-27) et b/ tradidit illos in alia quævis scelera (28-32).

2°/ Judæi, licet melius Deum cognoscant et propterea superbe judicent de ethnicis, non effugient judicium Dei, eadem enim opera peccaminosa faciunt quæ in aliis condemnant. Atqui Deus reddet unicuique secundum opera ejus (II, 1-11).

Præoccupantur objectiones Judæorum.

a/ Nos secus ac gentiles legem divinam habemus.

Resp. Non sufficit cognitio, sed requiritur adimpletio legis. Ceteroquin etiam gentiles habent aliquam legem divinam, np. in cordibus suis (12-24).

b/ Habemus circumcisionem.

R. Sola circumcisio cordis, scil. observatio mandatorum, prodest apud Deum (25-29).

c/ Ubinam tunc sunt privilegia Judæorum (III, 1)?

R. Integra manent, præsertim quatenus Judæis concredita sunt oracula divina de futuro Messia (2). Licet autem multi ex illis non agnoverunt Messiam, incredulitas eorum non efficiet ut Deus non servet fidelitatem promissis suis (3, 4).

d/ Si autem incredulitas nostra fidelitatem Dei illustriorem facit, Deus nos incredulos punire non potest (5).

Resp. ad hominem: Tunc neque paganos punire posset et liceret facere bona ut veniant mala (sicut falso quidam dicunt me prædicare) (6-8).

Conclusio. Ergo Judæi non minus ac ethnici sunt sub peccato (9); quod confirmatur ex Scriptura quæ testatur omnes homines esse peccatores (10-18). Atqui Scriptura non solos paganos spectat, sed imprimis respicit eos qui in lege sunt, scilicet Judæos (19-20).

II. Paulus transit ad demonstrationem **positivam**: sine lege, sed per fidem, justitia Dei manifestata est seu offertur omnibus qui credere volunt, justitia ergo est donum Dei gratuitum, cujus pretium fuit sanguis Christi (21, 22).

Hoc probatur tripliciter:

1°/ ex ratione: Quia neque lex, neque natura sufficie-

bat ad justitiam, ideo Deus aliud medium instituere debuit, np. fidem Redemptoris (23-30).

Transitio: Ita non destruitur sed confirmatur Lex (31).

2° ex Scriptura: Justitiam esse gratuitam seu sine operibus acceptam ostenditur ex exemplo Abrahæ (IV, 1-5), et confirmatur testimonio Davidico (6-8).

Justitiam vero esse universalem eodem exemplo patet:

a Abraham justificatus est in præputio, i. e. ante circumcisionem suam; exinde Abraham demonstratur esse pater seu exemplar omnium fidelium, sive incircumcisorum, sive circumcisorum (9-12).

b Promissio Abrahæ facta non pendet a lege, secus irrita fuisset; ergo illa promissio spectat omnes filios Abrahæ sive carnales, sive spirituales (13-17).

Fides Abrahæ, quæ Christianis imitanda proponitur, describitur tamquam firmissima (18-25).

3° ex experientia: Christiani fruuntur pace et gaudent spe futuræ gloriæ (V, 1-11), et ex hac futura consummatione justitiæ clare elucet vis salvifica Evangelii (cf. I, 16), quæ demonstranda erat.

Per modum compendii eorum quæ hucusque dixit de damnatione propter peccatum et de justificatione universali, tradit S. Paulus comparationem inter Adam et Jesum Christum: ille hominibus attulit damnationem, quam lex non abstulit, sed auxit, augendo peccata, et sic abundavit delictum; sed hoc factum est ut tandem per Christum superabundet gratia (12-21).

Rursus refutantur objectiones:

a Ergo adhuc peccabimus ut adhuc superabundet gratia (VI, 1)!

R. Per baptismum consepulti sumus Christo, ut cum Christo resurgentes in novitate vitæ ambulemus. Non jam sumus sub lege quæ nequit vincere, sed sub gratia potentissima (2-14).

b Ergo peccabimus, quoniam non sumus subjecti legi (15)!

R. 1. negatur consequentia: Utpote Christiani sumus subjecti Christo (16-23).

2 tamèn verum est principium allatum: Lex dominatur homini quamdiù vivit (VII, 1), sicut mulier nupta allegatur vinculo matrimonii quamdiu vir ejus vivit (2, 3); sed, utpote Christiani, sumus spiritualiter mortui (4, 5); ergo soluti sumus a lege (6).

c/ Ergo lex est mala (7^a).

R. Absit, sed fuit occasio peccati, excitando concupiscentiam, simul autem non præbendo vires ad eam vincendam (7^b-12).

d/ Ergo lex bona facta est mihi causa mortis (13^a)?

R. Absit; homo theoretice approbat legem et sic testatur bonitatem ejus, sed practice eam violat victus concupiscentia; et hanc pugnam in me ipso expertus sum (13^b-25).

Per modum conclusionis describitur vita hominis renovati per gratiam: qui in Christo est non jam ambulat secundum carnem sed secundum spiritum, tamquam filius Dei, liberatus a servitute et a timore, expectans beatitudinem cujus etiam aliæ creaturæ suo modo participes erunt (VIII).

A. D. B.

II

Q. *Demonstra in Deo esse processionem ad intra secundum operationem* voluntatis.

R. **Prænotandum.** 1. Propositio cujus expositurí sumus demonstrationem est *theologice certa*.

2. Supra, p. 91, ostendimus ex solo naturali lumine rationis non posse inveniri nec demonstrari esse in Deo realiter processiones ac procedentes ad intra; inde patet nec ex solo rationis lumine naturali demonstrari immediate posse dari in Deo processionem ad intra secundum operationem *voluntatis*. Sed quum *ex revelatione* cognoscamus dari in Deo realiter duas ad intra pro-

cessiones, duosque ad intra procedentes, jam ulterius demonstramus unam ad intra processionem esse secundum operationem *voluntatis*.

Demonstratio. 1. *Ex ratione theologica.* Dantur in Deo duo ad intra procedentes realiter ab invicem distincti, duæque ad intra processiones diversæ. Hoc de fide est. Atqui una processio est secundum operationem *intellectus*, uti supra, p. 323 probavimus. Ergo altera processio est secundum operationem *voluntatis*.

Consequentia hæc ultima demonstratur sic: « Processiones in divinis accipi non possunt nisi secundum actiones, quæ in agente manent. Hujusmodi autem actiones in natura intellectuali et divina non sunt nisi duæ, scilicet intelligere et velle... Relinquitur igitur, quod nulla alia processio possit esse in Deo, nisi verbi et amoris » (1).

Præterea dari in Deo processionem *verbi* supra, p. 323, probavimus. Sed non nisi *una* processio *verbi* seu *secundum operationem intellectus* in Deo dari potest: quod sic patet: a' hæc processio est necessario in suo ordine *infinite perfecta:* etenim « Deus uno simplici actu omnia intelligit... Unde in eo non potest esse processio verbi ex verbo... sed est in eo solum unum verbum perfectum » (2). b' Si daretur in Deo altera processio secundum operationem intellectus, hæc processio esset ejusdem rationis cum prima, et nonnisi materialiter ab eadem distingueretur: sed hoc est omnino impossibile, quia materialis distinctio non invenitur nisi in formis quæ recipiuntur in subjecto: quum autem Deus sit ens omnino simplex, repugnat prorsus ut sint in Deo duæ processiones materialiter tantum distinctæ. Ergo quum in Deo nonnisi una processio secundum operationem intellectus dari possit, relinquitur ut altera processio sit secundum operationem voluntatis (3).

---

(1) S. Thomas, I, Q. XXVII, a. 5.

(2) S. Thomas, l. c. ad 3.

3 Cf. Kleutgen, *De ipso Deo,* Ratisbonæ, 1881. n. 1035 et s.; Billot. *De Deo Uno et Trino*, Romæ 1897, p. 359.

2. *Confirmatur ex S. Scriptura.*

a/ Ibi hæc Dei ad extra opera quæ maxime amorem manifestant specialiter *Spiritui sancto* attribuuntur: v. gr. ipsa Verbi Dei incarnatio: *Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (Luc. I, 35); justificatio et sanctificatio hominum: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum* (Tit. III, 5-6); diffusio charitatis supernaturalis in nos: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (Rom. V, 5); distributio charismatum: *Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus..... Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alii autem sermo scientiæ.... alteri fides.... alii gratia sanitatum.... alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult* (1 Cor. XII, 4-12); habitatio Dei in justis: *An nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri?* (1 Cor. VI, 19); munia et gubernatio corporis Ecclesiæ: *Ministrantibus autem illis Domino, et jejunantibus, dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Paulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos* (Act. XIII, 2), — *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei* (Act. XX, 28). Quum aliunde cognoscamus Patrem, Filium et Spiritum sanctum æqualiter omnino esse causam efficientem horum operum, hæc specialis attributio facta *Spiritui sancto* non aliter explicatur quam per hoc quod hæc opera specialiter congruunt cum proprio charactere Spiritus sancti: hic igitur proprius character esse debet amor: quum autem hic proprius character proveniat ab ipsa ratione secundum quam procedit ad intra hæc persona, concludendum est Spiritum sanctum pro-

cedere secundum amorem, qui est primus actus voluntatis (1).

b. Hoc etiam exprimit ipsum nomen quo designatur hæc persona, nempe *Spiritus sanctus*: enim *spiritus* importat vitalem quamdam motionem et impulsionem; *sanctus* designat propriam hujus motionis rationem: dicit nempe hanc esse secundum amorem: in amore enim formaliter consistit sanctitas (2).

3. *Confirmatur ex Traditione*. Multo pauciora sunt apud Patres testimonia de ratione processionis Spiritus sancti quam de ratione processionis Verbi. Apud antiquiores Ecclesiæ scriptores desunt, ut videtur, explicita testimonia de ratione formali qua procedit tertia Persona SS. Trinitatis.

Quædam ex præcipuis afferemus testimoniis **S. Augustini** et quorumdam qui post ipsum scripserunt.

« Quapropter etiam Spiritus sanctus in eadem unitate substantiæ et æqualitate consistit. Sive enim sit unitas amborum, sive sanctitas, sive caritas, sive ideo unitas quia caritas, et ideo caritas quia sanctitas, manifestum est quod non aliquis duorum est quo uterque conjungitur, *quo genitus a gignente diligatur, generatoremque suum diligat*..... Et ideo non amplius quam tria sunt, unus diligens eum qui de illo est, et unus diligens eum de quo est, et *ipsa dilectio* ». S. Augustinus, *De Trinitate*, L. VI, c. 5, n. 7.

« Sicut ergo unicum Dei Verbum proprie vocamus nomine sapientiæ... ita Spiritus sanctus proprie nuncupatur vocabulo caritatis... » Deinde explicat S. Doctor quomodo Spiritus sanctus *proprie* vocetur *caritas*. Op. c., L. XV, c. 17, n. 31.

S. Gregorius Magnus dicit: « Hodie namque Spiritus Sanctus repentino sonitu super discipulos venit, men-

---

1) Cf. Franzelin, *De Deo Trino*, Romæ, 1869, p. 387 et seq.

2) Cf. S. Thom. I. Q. XXVII, a. 4; Q. XXXVI. a. 1. ad 1; Franzelin, op. c., p. 386; Einig, *De Deo Uno et Trino*, Treveris, 1897, p. 169.

tesque carnalium in sui amorem permutavit: et foris apparentibus linguis igneis intus facta sunt corda flammantia: quia dum Deum in ignis visione suscipiunt, per amorem suaviter arserunt. Ipse namque Spiritus sanctus amor est ». Homil. XXX, n. 1.

Concilium Toletanum XI (a. 675) docet: « Qui tamen nec Patris tantum, nec Filii tantum; sed simul Patris et Filii Spiritus dicitur. Nec enim de Patre procedit in Filium, vel de Filio procedit ad sanctificandam creaturam; sed simul ab utroque processisse monstratur, quia *charitas* sive sanctitas amborum agnoscitur » (1).

Idem exponunt **S. Anselmus, Monologium**, 51; **S. Bernardus**, *in Cantic.* serm. 8; **S. Petrus Damiani**, *opusc. 1*, n. 2. « Idem deinde supponunt ac docent omnes Scholastici tam veteres inde a Magistro (I, Dist. X) quam recentiores... si Durandum excipias, cui aliqui addunt Gregor. Ariminensem et Nominales Okamum ac Gabrielem Biel » (2).

Adnotatio. Sedulo hic animadvertendum est quomodo inter se discrepant nomen *verbum* et nomen *amor*. Nomen verbum apud nos importat *terminum* operationis intelligendi intrinsecum, seu designat id quod procedit ab intelligente *per modum operati*, consequenter, ex nativa vi suæ significationis est nomen proprium secundæ Personæ SS. Trinitatis, quippe quæ procedit secundum operationem intellectus per modum operati. Sed nomen *amor* apud nos non importat *terminum* operationis amandi intrinsecum, sed ipsum *actum* amandi; imo nullum habemus vocabulum quo designetur terminus actus amandi intrinsecus (3): quapropter non invenimus vocabulum quo proprie designemus tertiam SS. Trinitatis Personam, qua procedentem secundum

---

(1) Apud Denzinger, *Enchiridion*, n. 224; cf. Janssens, *De Deo Trino*, Friburgi Brisgoviæ, 1900, p. 620.

(2) Franzelin, op. c., p. 394. Cfr. Petavius, L. VII, c. 12.

(3) Ratio esse videtur quia apud nos non datur aliquid procedens *per modum operati* in voluntate.

operationem amandi *per modum operati;* sed *accommodatum* est nomen *amor* ad hoc significandum: consequenter quando dicitur Spiritus sanctus est proprie *amor,* intelligendum est: Spiritus sanctus est proprie ut *res amata* in amante, sicut Filius est proprie ut res intellecta in intelligente (1).

J. V. D. M.

III

Q. *Da notionem peccati mortalis habitualis.*

R. *Peccatum mortale habituale,* « **formali** *quidem* **significatione** *dicit permanentem actus peccaminosi reitatem; qua constituitur homo in statu aversionis a Deo ultimo fine;* **significatione** *verò* **materiali** *in præsenti ordine naturæ elevatæ, dicit privationem gratiæ sanctificantis prout dependentem ab actu qui præcessit, et imputabiliter adhuc in esse perseverat* (2) ».

Explicatur.

In præsenti agitur de eo defectu, quem inducit actus peccati, et a quo homo, usquedum remissionem sit consecutus, habitualiter peccator denominatur. Dicitur ab antiquioribus theologis *reatus culpæ* vel *macula peccati* (3), quæ sunt *re* prorsus idem, differunt tamen *ratione,* « quatenus eadem privatio prout tollit ordinem ad Deum finem ultimum, consideratur ut *culpa,* et prout tollit decorem animæ debitum, consideratur ut *macula* » (4); a recentioribus autem vocatur *peccatum*

---

1) Cf. supra p. 263. Videsis S. Thomam, I, Q. XXXVII, a. 1; Billot, op. c., p. 525.

(2) Billot, *De natura et ratione peccati personalis,* Romæ 1897, p. 62.

(3) Dicitur a Magistro Sententiarum, L. II, Dist. 42, *reatus culpæ,* a S. Thoma sæpius *macula peccati,* puta in 1-2, q. 86, ubi ex professo hanc materiam exponit. Cf. Billot, *op. cit.,* p. 6.

(4) Billot, *op. cit.,* p. 61, coll. p. 68 sq., ubi opportune notat maculam quidem non posse auferri quin eo ipso auferatur et culpa, cum sint realiter idem, sed, quia sunt ratione distincta, duplici modo posse justificationem impii significari signo sacramentali, quatenus sacramentum vel significat directe emundationem a maculis, et hoc in Baptismo, vel significat directe solutionem a vinculo culpæ, et istud in Pœnitentia.

habituale, quod cave ne confundas cum habitu vitioso, qui generatur ex frequentatione actuum peccati (1).

Jam quærimus *quid* **formaliter** *significet* hoc nomen *peccatum mortale habituale:* sciendum est quod omnis offensa, postquam transiit actu, reatu seu morali imputabilitate maneat, donec obtineatur condonatio (2); offensa autem peccati mortalis actualis consistit in hoc, ut vidimus *suprà* p. 334 sqq., quod homo se avertat a Deo fine ultimo per conversionem voluntariam ad bonum commutabile; transacto igitur actu peccati, remanet reitas illius actus, qua homo constituitur in statu aversionis a Deo fine ultimo: nequit enim esse reus aversionis a fine ultimo et simul esse in statu bene se habendi ad finem per habitualem conversionem ad ipsum. Unde formalis ratio peccati mortalis habitualis reponenda est in hoc quod sit status aversionis a Deo fine ultimo, dependens ab actuali aversione, quæ præcessit, sed imputabiliter adhuc perseverat (3).

Hæc est formalis significatio hujus nominis, et est semper eadem, sive homo supponatur institutus in puris naturalibus, sive ad supernaturalia elevatus; at **materialiter** loquendo « non in eodem verificatur, pro duplici hypothesi naturæ puræ vel elevatæ (4). Nam certe homo

---

(1) Billot, *op. cit.*, p. 61, nota 2.

(2) Cum oppositorum eadem sit ratio, idem dicendum est de actu meritorio: hic quidem essentialiter transitorius est, manet tamen imputabiliter in justo, np. ad laudem et præmium.

(3) Billot, *op cit.*, p. 64.

(4) Distinctionem inter significationem *formalem* et *materialem* explicat S. Thomas, *De Pot.*, q. 9, a. 4: « Formaliter quidem significatur per nomen, id ad quod significandum, nomen est principaliter impositum, quod est *ratio nominis*, sicut hoc nomen homo significat aliquid compositum ex corpore et anima rationali. Materialiter vero significatur per nomen, *illud in quo talis ratio salvatur*, sicut hoc nomen homo significat aliquid habens cor et cerebrum, et hujusmodi partes sine quibus non potest esse corpus animatum anima rationali ». Hoc deinde applicat nomini *persona:* formali significatione universaliter importat distinctum subsistens in natura intellectuali; significatione vero materiali, in divinis dicit relationem subsistentem vel relativum, quatenus in Deo nihil aliud

in præsenti ordine non est habitualiter conversus ad finem suum, nisi per supernaturalem habitum charitatis et gratiæ; ergo non est ab eodem fine habitualiter aversus, nisi per hoc quod gratia et charitate privatur; ergo etiam in hac ipsa privatione peccatum habituale nunc consistat necesse est, quamvis non in ea seorsum accepta a voluntario actu a quo inducitur, quia, ut ait S. Thomas in II, D. 33, q. 2, a. 2, « privatio gratiæ non habet rationem culpæ, sed pœnæ, *nisi in quantum est ex voluntate* » (1). Hoc ultimum nota diligenter, peccatum scil. mortale habituale consistere in privatione gratiæ sanctificantis, non tamen sine respectu ad actum peccati a quo causatur ista privatio: hæc enim, ut statim audivimus a S. Thoma, non haberet rationem culpæ, nisi esset voluntaria; deinde non intelligeretur reatus posse multiplicari, aut reatum unum alio graviorem existere: quippe privatio gratiæ *secundum se*, nonnisi una est, nec major in uno, nec minor in altero; sed posito quod peccatum habituale consistat in privatione gratiæ cum respectu ad peccatum actuale a quo causatur, et quod peccata actualia sint plura et alia aliis graviora, bene explicatur quomodo reatus culpæ seu maculæ sint plures et inæquales (2).

Summatim igitur: quid *formaliter significat* hoc nomen peccatum mortale habituale? Importat statum aversionis a Deo fine ultimo, dependentem ab actuali aversione (seu actu peccati mortalis), physice quidem transacta, sed moraliter perseverante. Ulterius: in quo consistit ille status aversionis, supposito hoc ordine naturæ elevatæ? Importat privationem gratiæ sanctificantis, prout dependentem ab actu peccati imputabiliter

---

præter relationem vel relativum potest esse distinctum. Cf. Billot, *op. cit.*, p. 64 et fusius *De Verbo incarnato* (Romæ 1896), p. 70 ss. Vide etiam *Collat. Brug.*, T. IV, p. 386.

(1) Billot, *op. cit*, p. 64.

(2) S. Th., 1-2, q. 86, a. 1, ad 3; in II, D. 32, q. 1, a. 1, ad 2. Cf. Billuart, *Tract. de peccatis*, Diss. VII, art. 2; Billot, *op. cit.*, p. 68.

permanente. Aliis verbis: *de facto* in præsenti ordine (non fuisset ita in statu naturæ puræ) peccatum mortale habituale est privatio gratiæ sanctificantis, connotans peccatum actuale præcedens, a quo causatur (1).

H. M.

IV

Q. *Quænam est malitia specifica trium peccatorum alienorum quæ fiunt per omissionem et nomine generico vocantur* **cooperatio negativa**? *Explica.*

R. *Licet tria peccata aliena quæ fiunt per omissionem (mutus, non obstans, non manifestans — niet straffen, niet beletten, niet overdragen) et nomine generico vocantur cooperatio negativa seu improprie dicta, per se non jungantur cum peccato scandali, semper tamen, (omissa injuria erga alterum contrahentem ex non impleto contractu vel quasi-contractu), constituunt peccatum contra obligationem virtutis quæ a proximo non impedito læditur, ac sæpius conjunguntur cum peccato omissionis contra præceptum positivum charitatis* (2).

Explicatio. *Cooperatio*, prout charitati opponitur, generatim intelligitur quilibet concursus præstitus alterius actioni pravæ. Præstari autem potest concursus novem præcipue modis qui constituunt novem peccata aliena et continentur tritis versiculis:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus.
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Porro quatuor priores modi (gebieden, raden, prijzen, behagen) et aliquando quintus (beschermen scil. totaliter et in ordine morali) constituunt *cooperationem positivam sensu lato*. In his modis habetur cooperatio positiva

(1) Exposita conferas cum doctrina de essentia justificationis proposita apud *Collat. Brug.*, T. IV, p. 386 sqq.

(2) Cfr. Ill^{m} ac Reverend^{m} Waffelaert, *Annot. in tract. de Virt. theol.* Brugis 1900, n. 541.

quia positivo actu et vera causalitate concursus præstatur actioni alterius; est tamen cooperatio sensu lato, quia jubens etc. totum operatur in ordine morali quod peccans totum operatur in ordine physico, ità ut uterque agens sit causa totalis ejusdem effectus at in diverso causalitatis ordine. Hæc cooperatio positiva sensu lato, quoad malitiam specificam, non differt a scandalo directo de quo v. suprà p. 269 ss. — Sextus modus (mededeelen) et aliquando quintus (beschermen scil. partialiter et in ordine physico) consistit in *cooperatione positiva sensu stricto* de qua in q. seq. et quæ conjungi potest cum scandalo sive directo sive indirecto (1). — Tres reliqui modi (niet straffen, niet beletten, niet overdragen) sunt **cooperatio negativa** seu improprie dicta, cum in eis unus solummodo sit operans adeoque nulla cooperatio stricte dicta fiat, sed potius, a parte sic dicti cooperatoris, omissio debiti operis. Hujus peccati rei sunt qui omittunt punire peccatorem, eum a malo cohibere, vel ejus delictum legitimæ auctoritati manifestare, cum tamen ad hoc teneantur non ex sola charitatis obligatione, sed ex speciali titulo putà contractus vel quasi-contractus seu officii vel etiam ex bono communi (2).

De hujus negativæ cooperationis specifica malitia determinanda procedit præsens quæstio.

1° *Seponimus injuriæ malitiam* quam contrahit is qui ad damnum proximi temporale vel spirituale præcavendum titulo justitiæ tenetur. Titulus ille justitiæ oritur ex contractu expresso vel tacito seu officio (3); latius non patet quam materia aut contractus aut officii ex quibus nascitur nec obligat cum gravi damno aut incommodo proprio, nisi quævis damna subeunda quis ex

(1) V. suprà p. 269 ss. 272 ss.

(2) Ità ex bono communi tenetur quandoque etiam privatus magnum damnum a republica avertere, denuntiando v. g. conjurationem de principe interficiendo.

(3) Ità magistri, pastores animarum, prælati, domini, famuli etc.

contractu aut officio susceperit. De hac injustitiæ malitia in specie agitur in tractatu de Jure et Justitia [1].

2° *Cooperatio negativa per se non conjungitur cum scandalo sc. indirecto*, quod ex definitione scandali suprà p. 31 ss. data satis intelligitur. Scandalum enim est dictum vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis. Dictum vel factum intelligitur quidem primario actus externus, verùm reductive etiam omissio dicti aut facti externi, quod debet dici aut fieri. Etenim, ut ait Angelicus [2], « agere et non agere, cum quis agere debet, ad idem genus reducuntur, secundum quod peccatum omissionis ad peccatum actus reducitur ». Pendet autem ab adjunctis utrum cooperatio negativa scandalum indirectum sibi conjunctum habeat. Ita potest in certis adjunctis prælatus subditum delinquentem castigare culpabiliter negligens et ità peccato subditi negative cooperans, scandalam indirectum tertio cuidam præbere.

3° *Malitia specifica negativæ cooperationi essentialis* consistit in hoc quod dicta cooperatio sit *peccatum contra obligationem virtutis quæ a proximo non impedito læditur*. Etenim, ut statim suprà monuimus, tenemur quandoque castigare per nosmet (straffen) vel per alium (overdragen) vel etiam impedire (beletten) proximum peccantem vel peccaturum; tenemur autem non tam obligatione charitatis seu præcepto eleemosynæ spiritualis, quam titulo contractus aut officii vel etiam ex bono communi. Quod officium si culpabiliter negligimus negativo modo cooperamur peccato proximi, ità ut illud peccatum proximi *in sua specie* nobis sit imputandum [3].

---

1 Cfr. Ill.mi ac Reverendi Wañelaert, *Tract. de Just.*, Brugis, passim, in specie T. II 1886 p. 272 ss. — Marres, *Tract. de Just.*, Ruræmundæ 1879. T. I. p. 290 ss.

2 *De Verit.*, q. 15, a. 1.

3 Cfr. Ill.mi Lambrecht, *Verklaring van den Moral. Catech.*, Gandavi 1883, p. 1194 ss.

Etenim qui ex sola charitate tenetur corripere, monere vel instruere proximum, ad id obligatur non quia proximi peccatum qua tale seu in se impedire debet, sed quia, sub certis conditionibus, charitas ipsum ad bonum spirituale proximi procurandum seu ad malum spirituale ab eo avertendum obligat. E contrario, qui ex contractu vel officio peccatum proximi impedire tenetur, ipsum proximi peccatum *qua tale* seu *in se* præcavere debet, non ex generali obligatione charitatis sed ex reverentia erga legem peccatum proximi prohibentem; ità ut, si culpabiliter id negligat, ad peccatum proximi omissione debiti operis, aliquo modo cooperetur, adeoque hujus peccati malitia propria ipsi meritò imputetur. Unde malitia specifica cooperationi negativæ propria et essentialis est contra obligationem virtutis quæ a proximo non impedito læditur vel lædenda prævidetur.

Notandum autem est illam obligationem ex virtute quam alter lædit vel læsurus prævidetur, *generatim intelligi illius virtutis obligationem indirectam*, nisi agatur de virtute quæ est perfecte ad alterum, nempe justitia stricta, in qua, ut suprà explicavimus (1), utraque obligatio directa et indirecta sub respectu morali per se identificatur.

4° *Sæpius tamen prædictæ malitiæ contra virtutem a proximo læsam vel lædendam additur peccatum omissionis contra præceptum positivum charitatis* quod in certis adjunctis obligat ad corripiendum proximum peccatorem (2), monendum peccaturum, instruendum ignorantem (3). Nihil enim impedit quominus aliquis superior v. g. ad eumdem actum correptionis teneatur pluribus titulis v. g. officii et charitatis seu misericordiæ spiritualis, ità ut ex neglecta correptione (omissa iterum

---

1 p. 270 ss. Cfr. Ill^mi ac Reverend^mi Waffelaert, *Annotat. in Tract. de Virt. theol.*, Brugis 1900, n. 541.

(2) Cfr. *Collat. Brug.*, T. VII, p. 589 ss.

3 Cfr. Ill^mi ac Reverend^mi Waffelaert, *o. c.*, n. 462 ss., 477, 541.

injuria ex non impleto quasi contractu seu officio) tùm contra virtutem ab inferiore violatam, tùm contra charitatem delinquat.

A. C.

V

Q. *Explica quid sit cooperatio positia stricte sumpta, immediata, mediata; materialis, formalis?*

R. Missa cooperatione negativa quæ est improprie dicta (cùm negativo modo cooperans nihil agat, operetur, sed potius debitum opus omittat), agimus jam de cooperatione *positiva* seu proprio sensu, in qua cooperans vere ponit actionem in peccatum alterius influentem. Distinguitur autem cooperatio positiva *late sumpta* et *stricte dicta*. Est autem cooperatio positiva sensu lato si fiat per influxum in voluntatem alterius principaliter agentis qui pravam actionem physice exequitur, ut quando unus jubet homicidium quod alter perpetrat. Est potius concursus causarum quam stricte dicta cooperatio: actio peccaminosa procedit quidem a duobus operantibus, mediate a jubente, immediate a perpetrante; verùm non est proprie *cooperatio*, quia uterque agens est *causa totalis* et in diverso causalitatis ordine. Hæc cooperatio positiva in sensu lato coïncidit cum scandalo directo, adeoque in ea species contra charitatem conjungitur cum peccato ejusdem speciei ac committit ille cui aliquis cooperatur. Hac ratione cooperantur mandantes, consulentes, adulatores etc. (1).

Contrà cooperatio positiva sensu stricto *est qua duæ vel plures causæ, causalitate partiali sive physica, sivè morali, ad eumdem effectum pravum producendum per modum unius causæ totalis concurrunt.* Causæ hujusmodi

(1) Cfr. *Coll. Brug.* suprà p. 269 ss. Quibus diversis modis fiat cooperatio positiva sensu lato diximus in Resp. præc. Eos explicatos invenire est apud Ill^m Lambrecht, *Verklaring van den Mech. Catech.*, Gandavi 1883, p. 1197 ss.

partiales possunt esse in eodem ordine vel in ordine diverso: possunt esse subordinatæ ità ut una sit principalis, alia secundaria aut instrumentalis, vel simpliciter coordinatæ ita ut eodem modo ad eumdem effectum concurrant. Stricte loquendo tamen cooperator dicitur solus agens secundarius qui scil. opem præstat agenti principali: hic, licet non sit causa totalis effectus pravi, cooperator non denominatur (1). Ità actionarii, consultores typographi, operarii prelum versantes etc. stricto sensu cooperantur ad edendum pravum diarium. Hanc cooperationem positivam strictam posse conjungi cum scandalo sive directo sive indirecto jam suprà (p. 378) notavimus.

Et hæc iterum cooperatio positiva stricta est vel immediata vel mediata. **Immediata** est *qua duo vel plures ipsam actionem peccaminosam simul concumulant*; qua ratione cooperantur qui rem alienam, ærarium v. g., collatis viribus surripiunt: **mediata** dicitur *qua cooperatur ad cooperationem alteri agenti principali subministrando materiam, locum, tempus, modum quibus utitur ad actionem peccaminosam*; qua ratione cooperantur illi qui furi domum alienam invadere volenti scalam et instrumenta tradunt etc. — Hæc cooperatio mediata *proxima* vel *remota* seu propior vel remotior esse potest, prout ex natura sua et ex circumstantiis major vel minor est connexio medii subministrati cum fine i. e. cum peccato principalis agentis. Ità proxime cooperatur ad idololatriam, qui ad petitionem infidelis imaginem falsi dei pingit; remote vero cooperatur ad superstitionem judaismi, qui hebræo cæremoniam paschalem celebraturo agnum vendit. In qua re patet multiplices gradus existere, qui prudenti judicio tantum discerni possunt (2).

---

(1) Vide Tract. ad Reverendum Wahelaerts. *Etude de théol. mor. sur la Coopération* etc. Bruges 1883, p. 6 ss.

(2) Ita Bouquillon, *Tract. de Virt. theol.*, Brugis 1878, n. 545 s.; coll. Tract. ad Reverendum Wahelaerts. *Annot. in Tract. de Virt. theol.* Brugis 1900, n. 545 s.

Præterea, cooperatio esse potest vel materialis vel formalis. **Formalis** est *quando cooperans consentit malæ voluntati principaliter agentis, seu concurrit ad actionem alienam qua peccatum est;* est **materialis** *quando cooperans non quidem consentit prave voluntati principaliter agenti, sed alium finem intendit, præsidem tamen principalem agentem in cooperatione alienarum ejus ad peccandum.* Cooperatur quidem ad actionem quæ peccatum est, non vero qua est peccatum. — Hinc eadem in abstracto considerata actio potest, pro diversa intentione, esse cooperatio formalis aut materialis: ita si duo famuli tradendo claves furi, intendunt unus juvare ad furandum, alter solum conservare propriam vitam, prior formaliter, posterior materialiter tantum furto cooperatur. — « Pariter eadem physice actio, v. g. conferre suffragio vel pecunia ad scholas vel templa acatholicorum sustentanda, potest, pro diversis circumstantiis concretis, nunc formalis nunc materialis esse cooperatio: prout nimirum talis actio hic et nunc continet vel non continet realem mali operis consensum seu approbationem. Atvero actio ex se seu *ratione naturæ* ad malum determinata semper formalis erit cooperatio: uti si quis sacrificanti idolis ministrat, sicarium ad occidendum innocentem furat » [1].

Pro tot autem cooperationem formalem, sensu a nobis declarato intellectam, nunquam esse licitam: eadem enim lege prohibetur ac principaliter agentis actio. Cooperatio materialis, sub certis conditionibus mox a[illegible] explicandis licita esse potest.

A. C.

---

1. Theol. Moral. Tract. [illegible] p. [illegible]
2. Cir. Resp. V [illegible]

VI

Q. *Qualis est jurisdictio et quænam generatim obligationes deservitoris, qui vacante parochia vel absente parocho, ad regendam parochiam deputatur?*

R. Juxta Conc. Trid., *Sess.* XXIV, cap. 18, *De reform.*, debet « Episcopus statim, habita notitia *vacationis* ecclesiæ [parochialis], si opus fuerit, idoneum in ea *vicarium*... constituere; qui onera ipsius ecclesiæ sustineat, donec ei de rectore provideatur »; item decernit *Sess.* XXII, cap. 1, *De reform.*, ut parochi, « quandocumque eos, causa prius per Episcopum cognita et probata, *abesse* contigerit, *vicarium* idoneum, ab ipso Ordinario approbandum,... relinquant ». In posteriori hoc casu vicarius iste sæpius erit simpliciter delegatus ad universitatem causarum; quod si tamen contingat parochum longius abesse, deputari poterit vicarius ad curam integram parochiæ, ita ut assimiletur administranti parochiam vacantem. Hujusmodi vicarium, qui vocatur etiam administrator, provisor, œconomus, nos dicere solemus *deservitorem*. Circa hunc duo quærimus.

A. *Qualis sit ejus jurisdictio.* Dissentiunt Doctores in solvenda hac quæstione, opinantibus aliis illam jurisdictionem esse *delegatam ad universitatem causarum,* aliis eam esse *ordinariam*, aliis vero communius eam esse *quasi-ordinariam* (1). Porro proposita fuerunt S. C. Conc. sequentia dubia resolvenda:

« I. An œconomus curatus, qui vacante parochiali ecclesia ab Episcopo constituitur in vim dispositionis Concilii Tridentini, jurisdictionem habeat ordinariam, vel potius delegatam in casu.

Et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam:

(1) Controversiam expositam invenies apud *Nouv. rev. théol.*, T. VII, p. 119 ss.

II. An idem œconomus possit alium sacerdotem subdelegare ad omnia, id est ad universitatem causarum, vel tantum ad aliquos actus in casu.

Resolutio. S. Congregatio Concilii causa cognita et discussa in comitiis diei 9 Maii 1874 respondere censuit *Dilata, et reproponatur cum novo dubio « An œconomus curatus, vacante paræcia, ab Episcopo constitutus in vim dispositionis Concilii Tridentini sess. 24, cap. 18 possit alium sacerdotem delegare ad omnia officia, vel ad aliquos tantum actus. »* Quapropter in comitiis diei 12 Septembris 1874 hujusmodi quæstio iterum agitata fuit et responsum prodiit: *Affirmative ad primam partem nisi obstet voluntas Ordinarii.* (1) »

Quæstionem igitur speculativam noluit dirimere S. Congregatio: at post alterum responsum nulla jam remanet difficultas quoad praxim: poterit np. deservitor alium sacerdotem delegare ad omnia officia, nisi obstet voluntas Ordinarii.

Quæri tamen potest utrum ex hac solutione practica aliquid deduci possit quoad quæstionem speculativam. Et primo quidem videtur excludi prima sententia, cum delegatus ad universitatem causarum nequeat per se subdelegare ad omnia officia, sed *ad aliquos tantum actus;* cum deinde habeatur hujusmodi jurisdictio ex delegatione Episcopi, non vero ex jure communi annexa sit officio, haud facile dici posset ordinaria, sed potius quasi-ordinaria, uti tenent plerique canonistæ. Horum tamen quidam docuerunt ad deleganda omnia officia requiri expressam vel tacitam Ordinarii licentiam, dum juxta responsum citatum sufficiat quod Episcopus id non prohibeat (2).

B *Quænam generatim sint ejus obligationes.* Ex dictis colligitur deservitorem esse substitutum parocho absenti vel demortuo in eadem cura animarum, donec vel

---

1. *Acta S. Sedis*, T. VIII, p. 134.
2. Cf. *Nouv. rev. théol.*, T. VII, p. 124.

parochus redeat vel parochiæ de rectore provideatur; unde etiam sequitur quod *ad tempus*, sicut parochus, onera ipsius ecclesiæ sustinere debeat, ut ait Trid., *Sess.* XXIV, cap. 18, *De reform.* Tenetur igitur ratione actualis curæ animarum in parochia residere (1), et celebrare pro grege (2), nisi hæc obligatio applicandi fuerit restricta per indultum apostolicum (3); populum pascere Verbi divini prædicatione et Sacramentorum administratione etc. (4).

H. M.

(1) Cf. *Revue théol. franç.*, T. VII, p. 681 sq.

(2) Decr. S. C. C. 24 Julii 1886 (*Nouv. rev. théol.*, T. XVIII, p. 603); 23 Aug. 1888 (*Ibid.*, T. XX, p. 586). Cfr. *Collat. Brug.*, T. VII, p. 451 sq. — Nota tamen parochum legitime absentem huic oneri ipsum satisfacere, si celebret pro grege in loco in quo degit. Cf. *Collat. Brug.*, T. VII, p. 528.

(3) S. C. C. 8 Julii 1843 et 24 Maii 1823. Cf. Wernz, *Jus Decretalium*, T. II (Romæ 1899), n. 840; Scherer, *Handbuch des Kirchenrechtes*, T. I (Graz 1886), p. 654 in nota.

(4) De Brabandere-Van Coillie, n. 502.

Jurisprudence des Cours et Tribunaux

Cimetière. — BOURGMESTRE. — INHUMATION DANS UNE PARTIE DISTINCTE. — SUICIDÉ. — PRESCRIPTIONS CANONIQUES. — DÉFENSE D'ÉLEVER UN TERTRE. — AUTORISATION DE PLANTER UNE CROIX.

Bruges (Chambre du Conseil), 12 juin 1901. (1)

Ne commet aucune infraction le bourgmestre qui fait inhumer le corps d'un suicidé dans une partie du cimetière autre que celle où se font les inhumations, s'il agit ainsi dans le seul but de respecter les prescriptions canoniques, d'après lesquelles ce cadavre n'avait pas été admis à l'église et ne pouvait être inhumé auprès des croyants.

Mais ce bourgmestre manque au respect dû à la mémoire des morts, s'il enjoint au fossoyeur de ne pas élever sur la fosse de ce suicidé un tertre au dit lieu, alors qu'il est d'usage dans la commune d'élever des tertres sur les tombes.

Toutefois l'autorisation tacite donnée par le bourgmestre de placer sur la fosse une croix portant le nom du défunt, est une circonstance atténuante de l'infraction et permet le renvoi du prévenu devant le juge de police.

(Ministère public c. Troffaes).

Vu le réquisitoire de M. le Procureur du Roi de ce siège, en date du 28 mai 1901, demandant le renvoi devant le

1 Nous croyons intéresser nos lecteurs en leur communiquant le texte de cette ordonnance : elle constitue une étude approfondie d'une question passionnément controversée chez nous depuis nombre d'années et généralement décidée par les tribunaux et cours de justice dans un sens contraire à la liberté des cultes sainement entendue.

tribunal correctionnel du sieur Troffaes Edouard, bourgmestre de Heyst-sur-Mer, du chef de contravention aux articles 2, 15 et 17 du décret du 23 prairial an XII, et des articles 66, 266, 315 du Code pénal;

Vu les pièces du procès et ouï, le 4 juin 1901, le rapport de M. le Juge d'instruction;

En fait:

Attendu que l'information a révélé, au sujet du prévenu, les seuls faits suivants:

Premièrement. — D'avoir à Heyst-sur-Mer, le 11 mars 1901, fait inhumer le cadavre de H... dans une partie du cimetière non bénite, au moins distincte de celle où se font actuellement les inhumations, mais formant avec cette partie et avec les autres un seul tout, du reste parfaitement décente, et ce dans la seule intention de respecter les prescriptions canoniques d'après lesquelles le corps de ce suicidé n'avait pas été reçu à l'église et ne pouvait être enterré auprès des fidèles;

Secondement. — D'avoir, aux date et lieu ci-dessus, enjoint au fossoyeur, contrairement à l'usage local, de ne pas élever de tertre sur cette fosse, que devait cependant surmonter une croix portant le nom du défunt;

Quant au fait d'avoir ordonné l'inhumation dans un endroit du cimetière dit « Verloren hoek » (coin perdu):

Attendu qu'il n'y a pas de charges suffisantes de ce chef;

Que cette appellation, en effet, est rapportée par le seul fossoyeur;

Qu'il est impossible que cet endroit fût ainsi dénommé par le public sans que le garde champêtre Bonte, le bourgmestre précédent, le curé ou son prédécesseur en eussent connaissance;

Qu'au contraire, d'après le garde champêtre et l'agent de police De Clerck, cette partie passait pour bénite, au même titre que les autres;

Que cette dénomination existât-elle néanmoins, elle n'aurait nullement été provoquée par l'aspect des lieux, maintenus toujours par le prévenu et par l'administration communale dans le même état que les autres parties du cimetière, mais proviendrait du fait même de son affectation à certaines inhumations;

Que si cette affectation est légale, comme il va être dé-

montré, la dénomination qui en résulterait dans le langage de certains, ne pourrait constituer une charge contre le prévenu;

En droit:

Attendu qu'en vertu de l'art. 128 du Code d'instruction criminelle, il incombe à la chambre du conseil de rechercher si les faits qui lui sont soumis tombent sous l'application de la loi;

I. — *Concernant le premier fait*:

Attendu que l'inculpé n'a pas contrevenu à l'art. 2 du décret du 23 prairial an XII, non plus qu'aux art. 1er et 5 visés dans le réquisitoire initial;

Articles 2, 1, 5.

Attendu que dans son décret du 12 frimaire an II, la Convention nationale, statuant sur une pétition qui demandait un lieu de sépulture particulier pour chaque secte, considérait « qu'aucune loi n'autorise à refuser la sépulture dans les cimetières publics aux citoyens décédés, quels que soient leurs opinions religieuses et l'exercice de leur culte » « (Le présent décret ne sera point imprimé; il sera inséré au *Bulletin*) »;

Qu'il résulte de ce texte et de l'espèce qui l'avait provoqué, qu'il n'était pas permis d'exclure des cimetières les corps de certaines personnes, comme cela se fit pour des « réformés » qu'on enterrait « ou dans les fossés des villes ou dans les campagnes » (d'Héricourt, cité par M. le Procureur général Faider, *Pas.*, 1879, I, p. 318);

Que si l'on veut voir dans l'art. 2 la confirmation de cette défense, pareille interprétation n'atteint nullement le prévenu;

Qu'il n'est pas contestable, en effet, que le corps de H... repose dans les terrains entourés d'un mur, dénommés « cimetière communal de Heyst », terrains spécialement consacrés à l'inhumation des morts (art. 2) et n'ayant reçu aucune autre affectation;

Que l'on chercherait en vain dans le texte de la Convention, cité ci-dessus, la défense d'établir dans les cimetières des divisions;

Que si on l'y découvrait, elle se trouverait abolie par le Concordat et par l'art. 15 du décret du 23 prairial an XII, comme il sera démontré ci-après, et n'aurait donc point passé dans l'art. 2 de ce décret;

Attendu que l'objet propre des art. 1 et 2 est la salubrité publique, comme le prouvent :

Leur texte même (interdiction d'inhumer dans les édifices clos et fermés où les citoyens se réunissent ; dans l'enceinte ou à proximité des villes et bourgs) ;

L'art. 7 du décret, qui renvoie, pour l'application des art. 1 et 2, à la déclaration du 10 mars 1776 ayant en vue la salubrité publique (Dallor. v° *Culte*, n°s 745, 750) ;

Les articles voisins (3, 4, 6), relatifs à l'élévation de ces terrains, à leur exposition au nord, à leur clôture, aux plantations, à la circulation de l'air, à la séparation des fosses (remplaçant la fosse commune), à leur profondeur, à leur comblement, au danger d'un renouvellement trop rapproché des fosses ;

Attendu que l'art. 5, par son texte et sa place, revêt le même caractère de mesure d'hygiène ; que la distance qu'il ordonne d'observer entre les fosses est donc simplement un minimum et qu'il lui importe peu de les voir séparées par un espace plus grand (Voy. *Répertoire* de de Brouckère et Tielemans, 1838, v° *Cimetière*, p. 44, n° 4) ;

Attendu qu'aucune de ces dispositions n'a donc le moindre rapport avec l'acte reproché à l'inculpé ;

Que la prévention a du reste renoncé à invoquer les art. 1 et 5 d'abord visés ;

Articles 15 et 17.

Attendu qu'elle paraît se fonder surtout sur les art. 15 et 17 ;

Attendu que le texte de ces articles ne prévoit pas le fait incriminé ;

Attendu que l'art. 15 est ainsi conçu :

« Dans les communes où l'on professe plusieurs cultes, chaque culte doit avoir un lieu d'inhumation particulier ; et dans les cas où il n'y aurait qu'un seul cimetière, on le partagera par des murs, haies ou fosses en autant de parties qu'il y a de cultes différents, avec une entrée particulière pour chacune et en proportionnant cet espace au nombre d'habitants de chaque culte ;

Attendu que la prévention en conclut *à contrario* que dans les communes où un seul culte est professé, il est interdit à l'autorité communale d'assigner dans le cimetière des parties différentes aux défunts qui appartenaient à ce culte et à

ceux qui ne lui appartenaient point ou avaient cessé de lui appartenir;

Attendu que cette conclusion n'est pas rigoureuse et est d'autant moins légitime que l'on ne peut, en matière pénale, étendre le sens des textes, *odiosa restringenda;*

Attendu, en effet, que le législateur ordonne la division par cultes dans les communes où l'on en professe plusieurs, mais ne s'exprime pas sur celles où un seul culte est professé; qu'on ne saurait donc conclure du seul texte: ni qu'il ordonne, ni qu'il prohibe, ni qu'il permet quelque division dans le cimetière de ces dernières communes;

Qu'il faut par conséquent chercher sa pensée sur ce point dans les précédents législatifs et les travaux préparatoires;

Que le texte du décret du 12 frimaire an II de la Convention, rapporté ci-dessus, est également, comme on l'a vu, silencieux sur cet objet et qu'on n'en connaît pas l'esprit;

Qu'en tout cas, ce n'est pas au décret de la Convention de l'an II que l'on doit demander le sens de l'art. 15 du décret de l'an XII;

Que cet article, en effet, comme plusieurs autres du même décret, s'occupe à la fois du culte et des inhumations, en liant intimement l'un à l'autre ces deux objets;

Qu'il faut donc interpréter ces dispositions, non d'après les lois de la Convention, qui avait aboli les cultes, mais au point de vue du Concordat du 26 messidor an IX et de la loi du 18 germinal an X qui venaient de les restaurer et de les organiser;

Que ce fut après cette restauration, le 29 vendémiaire an XI, que le premier Consul adressa à Bigot-Préameneu, président de la section de législation du Conseil d'État, le message suivant:

« Vous trouverez ci-joint deux mémoires qui me sont remis. En plusieurs endroits, des prêtres: 1° interdisent la sépulture en terre sainte arbitrairement; 2° interdisent l'église arbitrairement... Il est convenable qu'un arrêté du Conseil d'État détermine la marche que les préfets, les commissaires du gouvernement, les tribunaux et les intéressés doivent suivre... » (*Correspondance de Napoléon*, t. VIII, p. 98, cité par M. Giron, *Le Droit administratif de la Belgique*, n° 1225);

Que le premier projet du décret, celui du ministre Chaptal, portait:

« *Article 20*. Les lieux consacrés aux inhumations seront bénits par les ministres du culte... »

« *Article 24*. Les autorités locales sont spécialement chargées de la police de ces lieux... » (Documents relatifs aux travaux préparatoires du décret de prairial an XII, donnés par M. Tielemans, lus par M. Bara, *Ann. parl.*, Ch. des représ., *Doc.*, 1873-74, p. 57 et s.);

Que le rapporteur de la section de l'intérieur s'exprima comme suit :

« Le ministre permettait qu'on bénît les cimetières ; la section a pensé que cette permission rendrait les catholiques seuls propriétaires des lieux de sépulture et serait contraire au système de tolérance établi par nos lois, qui protège également tous les cultes. Elle a cru qu'il fallait, au contraire, déclarer que les cimetières n'appartenaient à aucun culte exclusivement ; qu'ils étaient propriétés communales et soumis seulement à la surveillance de l'administration. Cependant, comme la religion catholique exige que les morts soient enterrés dans une terre bénite, les prêtres de cette religion pourront bénir chaque fosse à chaque inhumation. La section a cru qu'il n'existait point d'autre moyen de satisfaire la piété, sans réveiller les querelles des différents cultes » (Rapport de Ségur, *Doc. parl. du Sénat*, 1868-62, t. II, p. 340) ;

Qu'en conséquence, la section de l'intérieur proposa les textes suivants :

« *Article 21*. Les lieux de sépulture demeurent à la charge et seront la propriété des communes. Ils n'appartiendront (exclusivement : d'après M. Ashman, *La Question des cimetières, étude sur les sources*, ce mot figure dans les pièces imprimées déposées au Conseil d'État) à aucun culte et seront soumis seulement à l'autorité, police et surveillance de l'administration. »

« *Article 28*. Dans ces communes (celles où se trouvent des temples), les ministres du culte catholique pourront seulement bénir la fosse dans laquelle on déposera le mort » (*Doc. parl.*, indiqués ci-dessus) ;

Mais attendu que ces textes, à leur tour, furent écartés, et avec eux, par conséquent, le système de la bénédiction par fosse, proposé par Ségur, et qu'ils furent remplacés par

les articles 15 et 16 du décret, le premier réglant l'exercice des cultes dans les cimetières, le second y reconnaissant les droits des administrations municipales;

Que la suppression des mots : « autant que faire se peut », figurant dans une première rédaction de l'article 15, accentue encore le caractère impératif de cette disposition (*Doc. parl.*, indiqués plus haut);

Attendu que l'article 15 fût-il, comme l'entête du titre IV a pu le faire supposer, une simple disposition de police ayant pour but d'éviter, sur des tombes voisines, des conflits entre convois funèbres de confessions différentes, les mêmes conflits étaient à craindre entre cortèges religieux et cortèges profanes, et que des motifs identiques ont dû porter le législateur à autoriser le pouvoir communal à créer dans le cimetière, en vertu de l'article 16, et au besoin en vertu des lois communales, toutes autres divisions que le bon ordre et les nécessités sociales pourraient exiger;

Mais attendu que la portée de cet article est plus haute; qu'il avait pour objet de maintenir le système de tolérance protégeant également tous les cultes (rapport de Ségur ci-dessus); « de satisfaire la piété, sans réveiller les querelles des différents cultes » *(ibidem)*; « d'empêcher le retour des querelles et des discussions religieuses » (circulaire envoyée par le ministre Chaptal à la suite du décret, *Recueil des lettres, etc., du Ministère de l'Intérieur*, t. V, p. 139, cité dans la *Question des cimetières, étude sur les sources*, par M. Ashman, *Étude sur la jurisprudence*, par M. Van den Heuvel, p. 21); que, comparé aux textes d'abord proposés, il apparaît comme une transaction entre deux principes religieux ou philosophiques contraires et comme l'application, en matière d'inhumations, du libre exercice des cultes, proclamé par le Concordat (Dalloz, v° *Culte*, n° 750);

Que le caractère sacré reconnu aux cimetières par le décret de prairial résulte encore de son article 18 qui, modifiant l'article de la loi du 18 germinal an X, assimile, pour y permettre les cérémonies religieuses, « les lieux de sépulture » à « l'enceinte des églises »;

Que Bigot-Préameneu, le président de la section de législation dont il a été parlé, devenu ministre des cultes, déclarait, dans son rapport sur l'organisation des fabriques d'é-

glise, adressé en 1809 à Napoléon, que le cimetière est « un lieu saint... » et ajoutait :

« Aujourd'hui les cimetières sont au nombre des dépendances de l'église paroissiale. Si une paroisse a des habitants de différents cultes, le terrain se divise, afin qu'il y en ait une partie pour chaque culte, et chaque partie est consacrée à un culte par les bénédictions et les cérémonies qui lui sont propres. Dans le culte catholique, le cimetière doit être bénit par l'évêque : le cimetière ou la partie du cimetière destinée aux catholiques fait donc réellement partie de leur établissement religieux » (*Ann. parl.*, 1873-74, p. 288, M. Delcour, ministre de l'Intérieur) ;

Qu'à son tour la Cour de cassation de France disait, le 28 déc. 1809, que « les cimetières doivent être respectés comme tous les lieux consacrés aux cultes » (Dalloz, v° *Culte*, n° 817) ;

Attendu que l'inhumation, en effet, tout en présentant, comme la naissance et le mariage, un caractère civil, a toujours été, comme la naissance et le mariage, consacrée par la religion, et constitue aux yeux des diverses confessions, catholique, protestante, juive existant dans le pays, un acte extérieur du culte (voy. *Répertoire* de de Brouckere et Tielemans, 1838, v° *Cimetière*, p. 58, 2e col.) ;

Que, notamment, c'est une des règles disciplinaires les plus antiques et les plus graves de « la religion de la grande majorité des citoyens français » (Concordat), que le cimetière est un lieu consacré au culte comme l'église, que les fidèles y reposent dans une terre bénite et que ceux qui n'ont point appartenu à cette religion ou s'en sont volontairement séparés, n'y peuvent point reposer (voy. Moulart, *L'Église et l'État* ; voy. Van Espen, *Traité ecclésiastique*, cité par de Brouckere et Tielemans, v° *Cimetière*, p. 54 ; voy. la note rédigée en janvier 1871 par l'épiscopat belge, citée par M. Ch. Woeste, *La question des cimetières ; Vingt ans de polémique*) ;

Que les confessions protestante (Édit de Nantes, art. 28, 29, Dalloz, v° *Culte*, n° 38) et juive (voy. Lettre du grand-rabbin de Belgique, *Ann. parl.*, 22 janvier 1874, p. 293) demandent aussi des cimetières séparés ;

Que l'interprétation de M. le Procureur du Roi, oublieuse

des principes du Concordat qui dominent la législation postérieure sur les matières mixtes, va donc à violer la liberté des cultes, et cela non seulement chez les fidèles, mais encore chez ceux qui ne veulent point ou ne veulent plus l'être et qu'elle range néanmoins parmi eux;

Que s'il est vrai que l'art. 15 ne prévoit pas en termes exprès une division entre croyants et non-croyants, on ne concevrait pas cependant qu'il la défendît, alors qu'il exige impérieusement la séparation des croyants de confessions diverses;

Attendu que, le décret fût-il néanmoins susceptible de cette interprétation, la Constitution belge, en proclamant dans son art. 14 « la liberté des cultes, celle de leur exercice public », sans autres limites que « la répression des délits commis à l'occasion de l'usage de ces libertés », et en abrogeant dans son art. 138 toutes les lois, décrets et autres actes qui lui sont contraires, a sanctionné la libre application du précepte canonique sur les inhumations énoncé ci-dessus, et a aboli toutes les dispositions du décret de prairial qui auraient pu y faire obstacle. — Voy. de Brouckere et Tielemans, v° *Cimetière*, p. 58, col. 2; p. 59, col. 1 et 2; p. 61, col. 1, n° 4. — Voy. Projet de la Commission de 1849: « Il sera réservé, en outre, dans chaque cimetière un espace séparé pour les dissidents, morts sans profession publique d'un culte déterminé ». « Disposition nouvelle, d'après le rapporteur (M. Orts), mais hommage rendu à la fois à la liberté des opinions et des cultes et à l'indépendance du pouvoir civil ». (Réquisitoire de M. le Procureur général Faider, *Pas.*, 1879, I, p. 321). — Voy. encore Avant-Projet analogue de 1854 de MM. Faider et Piercot, motivé comme suit: « Par une conséquence ultérieure (de la liberté des cultes), il faut qu'à côté ou en dehors des parties consacrées ou affectées aux différents cultes, il y ait une partie destinée aux inhumations pour lesquelles le concours du clergé est refusé ou n'est point réclamé... » (*J. des Trib.*, 9 novembre 1882, col. 773);

Attendu qu'il suit de la démonstration précédente que le prévenu, en faisant inhumer H. à l'endroit dont il s'agit, n'a fait autre chose que permettre, conformément aux art. 15 du décret et 14 de la Constitution, le libre exercice d'un culte

dans l'une des manifestations extérieures de sa discipline, tout en maintenant les droits de l'autorité civile lui conférés par l'art. 16 du décret;

Attendu que son action étant conforme à la loi, elle ne peut constituer non plus l'un des « actes contraires au respect dû à la mémoire des morts », prévus par l'art. 17;

Attendu par conséquent qu'elle ne tombe pas davantage sous l'application des art. 315, 66 et 266 du Code pénal, ni de quelque autre article de loi;

Par ces motifs:

Vu l'art. 128 du Code d'instruction criminelle;

Attendu que le fait ne présente ni crime, ni délit, ni contravention;

Dit qu'il n'y a pas lieu à suivre de ce chef;

II. — *Concernant le second fait* (non-élévation d'un tertre):

Attendu que ce fait tombe sous l'application de l'art. 17 du décret et des art. 315, 66 et 266 du Code pénal;

Mais attendu que l'autorisation implicitement donnée par le prévenu d'élever sur la fosse une croix portant le nom du défunt, constitue à tout le moins une circonstance atténuant considérablement son fait;

Vu l'art. 130 du Code d'instruction criminelle et l'art. 4 de la loi du 4 octobre 1867;

Statuant à l'unanimité des voix;

Renvoie le prévenu du chef du fait II devant le tribunal de police.

(Du 12 juin 1901. — Présents: MM. Halleux, juge d'instruction, faisant fonctions de président par empêchement légitime du titulaire; De Necker et Van de Walle, juges).

Appel Gand (Ch. des mises en accusation), 31 juillet 1901.

(Ministère public c. Troffaes).

La Cour, vu les pièces de la procédure et notamment l'ordonnance de la chambre du conseil du tribunal de Bruges, rendue le 12 juin 1901, ainsi que le réquisitoire de M. le Procureur général du 24 juillet 1901;

En ce qui concerne les faits énoncés dans le dit réquisitoire sous le n° 1 et sous le n° 2, A et B:

Attendu qu'il n'y a pas de charges suffisantes;

Par ce motif et *sans avoir égard à ceux invoqués par la dite chambre à l'appui de sa décision* au sujet de la prévention, dit qu'il n'y a pas lieu de suivre de ce chef;

En ce qui concerne le fait énoncé dans le dit réquisitoire sous le nº 2, litt. C:

Adoptant à cet égard les motifs de la dite ordonnance, et vu les dispositions légales y invoquées, confirme cette ordonnance et renvoie le prévenu du chef du fait II litt. C. devant le juge de paix compétent.

(Fait à Gand dans la chambre des mises en accusation, le 31 juillet 1901. — Présents: MM. Verbeke, conseiller faisant fonctions de président; Berten et Debie, conseillers).

Observations. — Le procureur général avait, en ce qui concerne le premier chef de la poursuite, basé son appel sur tous les arrêts antérieurs, qui paraissaient avoir fixé à jamais la jurisprudence en la matière. Voir *Belg. Jud.* 1901, p. 1447. « On pouvait s'attendre à voir la Cour de Gand, mise ainsi en présence d'une contradiction formelle s'attacher à confirmer et aussi, sans doute, à préciser sa doctrine antérieure par une décision vigoureusement motivée : il n'en fut rien toutefois... Tout ce que la Cour a cru pouvoir faire en faveur de sa jurisprudence, c'est de ne pas abonder dans le sens de la thèse qui la contredit formellement. — Serait-ce grandement se méprendre sur la portée de semblables décisions, que d'y voir l'indice d'une réaction prochaine contre les précédents errements et d'un retour vers les procédés traditionnels de l'interprétation juridique? » *(Réquisitoire de l'avocat général Delwaide, à l'audience de la Cour d'appel de Liége du 19 Avril 1902).* — Outre les auteurs cités dans le texte de l'ordonnance ci-dessus, on consultera utilement sur cette question De Brabandere-Van Coillie, *jur. can. et can.-civ. comp.* (ed. 1899) T. II, n. 819.

Quant au second chef de la poursuite, l'éminent avocat général Delwaide critique l'ordonnance de Bruges et l'arrêt de Gand, en tant qu'ils renvoient le prévenu

devant la juridiction répressive. Ce renvoi est basé sur l'art. 17 du décret de 23 Prairial an XII dont voici le texte : « *Les autorités locales sont spécialement chargées... d'empêcher* qu'il ne se commette dans les lieux de sépulture aucun désordre ou qu'on ne s'y permette aucun acte contraire au respect dû à la mémoire des morts. » Cet article, observe M. Delwaide, « n'interdit rien par lui-même : *il charge spécialement les autorités locales d'empêcher*, ce qui est bien différent ! — Si le décret s'en est ainsi rapporté exclusivement au pouvoir communal pour garantir par tous les moyens dont celui-ci dispose, le respect dû à la mémoire des morts, comment donc le pouvoir judiciaire s'arrogerait-il le droit de critiquer les mesures qu'un bourgmestre prend dans les limites de sa mission légale ? Que si ce magistrat apprécie mal les convenances du service public qui lui est confié, c'est à l'*administration* supérieure qu'il appartient de corriger ses actes. Quant à le traîner de ce chef en police correctionnelle, voire en simple police, c'est là une extrémité fâcheuse, à laquelle la justice belge n'a pu se résoudre qu'à son grand regret, et dont elle sera heureuse de se départir le jour, prochain sans doute, où elle achèvera de se démontrer à elle-même qu'aucune loi ne lui en fait un devoir. » *Réquisitoire cité* (Revue cathol. de droit, T. V, p. 299).

H. V. D. B.

Ex S. Congr. Inquisitionis

Facultas dispensandi in impedimento cognationis spiritualis.

Feria VI die 3 Decembris 1902.

In Congregatione Generali S. R. et Univ. Inquisitionis proposito dubio: *Utrum in formulis, quibus concedi solet facultas dispensandi super impedimento cognationis spiritualis, comprehendatur casus cognationis spiritualis inter baptizantem et baptizatum, in iisdem formulis non prævisus:* EE. ac RR. DD. Cardinales Inquisitores Generales respondendum decreverunt: *Negative; seu non posse qui concessa per prædictas formulas facultate gaudent, super impedimento cognationis spiritualis inter baptizantem et baptizatum dispensare; idque communicandum cum omnibus quorum interesse queat, atque in posterum expresse in formulis edicendum. Si quæ vero matrimonia cum hujusmodi dispensatione, vi earumdem formularum concessa, forte hucusque contracta fuerint; ad omnem circa eorum valorem quæstionem dirimendam, supplicandum SS^mo, ut eadem in radice sanata declarare dignetur.*

Et sequenti feria VI, die 5 ejusdem mensis in solita audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, SS^mus D. N. Leo divina providentia Pp. XIII relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem adprobare, et pro sanatione in radice juxta eorum Emorum Patrum suffragia benigne annuere dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

(Ex Arch. S. Congregationis de Propaganda Fide).

Adnotationes. Juxta Concilium Trident., Sess. XXIV, *De Reformatione matrim.*, cap. II. impedimentum cognationis spiritualis non jam existit nisi 1° inter prolem baptizatam ex una parte et baptizantem ac susceptores ex altera parte; 2° inter parentes carnales prolis baptizatæ et ejus parentes spirituales, baptizantem nempe et susceptores. Quod utrumque valet pro Confirmatione non secus ac pro Baptismate.

Prima species cognationis spiritualis dicitur pater-

nitas-filiatio; altera compaternitas seu commaternitas. Olim autem latius extendebatur hoc impedimentum matrimonium dirimens, ac signanter complectebatur tertiam cognationis speciem, quam fraternitatem vocabant (1).

In quinquennalibus, Episcopis Belgii per organum S. C. de P. F. concedi solitis, indulgetur (Formula III, n. 6) facultas « dispensandi in impedimento cognationis spiritualis, præterquam inter levantem et levatum », i. e. præterquam inter prolem baptizatam seu confirmatam (2) ejusque susceptores (3).

Porro Auctores exceptioni in indulto explicite factæ, passim alteram addunt in priori implicite contentam, tamquam minùs in majore: Episcopo nempe denegant facultatem dispensandi super cognatione spirituali exorta inter baptizantem et infantem baptizatum. Quæ doctrina authentice confirmatur in præsenti decreto, quod vult ut in posterum dicta exceptio expresse memoretur.

Ratio autem quare hujus exceptionis non fuerit hucusque facta mentio in indulti tenore, in hoc videtur quærenda juxta clar. Boudinhon, apud *Canon. contemp.*, 1903, p. 161-162, quod S. Congr., in sua concessione, solam præ oculis habuerit solitam hypothesim Baptismi solemniter a sacerdoti collati, in qua hypothesi profectò nequit esse quæstio de dispensatione inter baptizatam et baptizantem.

---

(1) Ita olim matrimonium dirimebatur contrahendum inter baptizatum et filios naturales suscipientis vel baptizantis; imo in nonnullis saltem locis, inter fratres vel sorores prolis baptizatæ et filios susceptoris vel ministri. De quibus omnibus late disserit Freisen, *Geschichte des Canonischen Eherechts*, Paderborn, 1893, pp. 507-555. Cf. etiam Esmein, *Le Mariage en droit canonique*, Paris, 1891, I, pp. 362 374.

(2) Decr. C. S. O., 2 Julii 1884, ad 5m, apud Putzer, *Comment. in Facult. Apostol.*, 1898, n. 248.

(3) Circa sensum termini: « inter levantem et levatum », conter *Nouv. Rev. théol.*, XIV, p. 529 et seq.; Feye, *De Impedim. matr.*, 1893, n. 615.

Quo attento idem laudatus Auctor explicat responsum S. Pœnitentiariæ, 10 Maij 1876, juxta quod « Episcopus, vi illarum litterarum, in impedimento cognationis spiritualis potest tantum dispensare inter patrinum et matrinam cum patre et matre baptizati »; per hoc nimirum responsum censet non excludi facultatem dispensandi super cognatione contracta *inter baptizantem laicum et baptizati parentes* (1). Cæterum vix non æquivalens apud Auctores habetur compaternitas, sive oriatur ex munere susceptoris sive baptizantis; quorum Auctores non pauci unice insistunt, pro dispensationis impetratione et supplicæ confectione, in distinctione sedulo observanda inter paternitatem et compaternitatem (2). Ita præ cæteris Sanchez, *De Matrimonio*, l. VIII, Disp. 24, n. 15; Pyrrhus Corradus, *Praxis dispens. apostol.*, l. VIII, c. 8, n. 15. Reiffenstuel, *Jus Canon. Univ.*, in Appendice ad l. IV Decret., n. 137; Schmalzgrueber, *In IV Decret.*, tit. XI, n. 60 (3); Giovine, *De Dispensat. matrim.*, Consultat. XXVII, par. 10, n. 1 et seq.

A. D. S.

---

1) « La compaternité qui existe entre le ministre du baptême privé et les parents du baptisé ne doit pas être d'une dispense difficile, et je la tiens pour comprise dans l'indult, au moins jusqu'à preuve du contraire ».

2) « Multo indecentius est cum filio aut filia spirituali contrahere quam cum compatre vel commatre. Nam cum regeneratio hæc spiritualis, ex qua filiatio illa consurgit, assimiletur generationi carnali, ex qua filiatio naturalis oritur; sicut indecentissimum est inter patres et filios carnales matrimonium, ita suo modo, licet non æquali, inter patres ac filios spirituales ». Sanchez, l. cit.

3) « In supplicatione circa impedimentum cognationis spiritualis necesse est exprimere proveniantiam hujus impedimenti, ut sciri possit an dispensatio petatur super paternitate aut compaternitate ».

Ex S. Congregatione Rituum

I

Decretum Urbis et Orbis

Ex quo Beatissima Virgo Maria, Spiritus Sancti gratia plena Eiusque luminis splendore illustrata, æternum Dei consilium atque incarnati Verbi mysterium omni mentis et cordis obsequio atque affectu suscepit. Dei genitrix effecta, etiam Mater boni consilii meruit appellari. Insuper divinæ sapientiæ eloquiis instructa, ea vitæ verba, quæ a Filio suo acceperat et in corde servaverat, in proximos liberaliter effundebat. Neque solum in nuptiis Canæ Galileæ hujus novæ Rebeccæ consiliis acquievere ministri; sed et pias mulieres aliosque Domini discipulos atque ipsos sanctos Apostolos eam audisse consiliatricem credere fas est. Quam prærogativam Deiparæ Virgini agnitam et confirmatam fuisse deprehendimus, cum Jesus prope moriturus videns juxta crucem matrem et discipulum stantem, quem diligebat, dixit matri suæ: *Mulier, ecce filius tuus.* Deinde dixit discipulo: *Ecce mater tua.* Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. Joannem autem omnes Christifideles tunc repræsentasse, ab Ecclesiæ Patribus traditum est. Item, approbante Apostolica Sede, ab antiquis temporibus tum a clero tum a populo christiano, opem simul implorante, ipsa Beatissima Virgo glorioso titulo *Mater boni consilii* consalutata est. Sanctissimus vero Dominus Noster Leo Papa XIII, ob suam et Fidelium singularem pietatem erga Matrem boni consilii sacramque ejus Imaginem, quæ in Sanctuario Genestani præcipue colitur, postquam per decreta Sacrorum Rituum Congregationis anno 1884 novum Officium cum Missa pro die Festo approbaverit, et anno 1893 etiam scapulare proprium cum Indulgentiis concesserit; hoc vertente anno 1903, ipsum Sanctuarium, antea novis ædibus hospitalibus suo ære ampliatum, ad Basilicæ Minoris gradum et dignitatem cum omnibus juribus et privilegiis, per Apostolicas Litteras in forma *Brevis*, evexit. Tandem idem Sanctis-

simus Dominus noster, quo ipsimet Beatæ Mariæ Virgini enunciatus titulus majori honore et cultu augeatur, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, infrascripto Cardinali Præfecto et Relatore, statuit et decrevit, ut Litaniis Lauretanis, post præconium: *Mater Admirabilis*, adjiciatur alterum: *Mater boni consilii, ora pro nobis;* hac quoque cogitatione et firma spe permotus, ut, in tot tantisque calamitatibus et tenebris, pia Mater, quæ a sanctis Patribus *cælestium gratiarum thesauraria, et consiliatrix universalis* vocatur, per totum catholicum orbem sub eo titulo rogata, omnibus monstret, se esse Matrem boni consilii, et illam Spiritus Sancti gratiam, quæ sensus et corda illuminat, seu sanctum consilii donum sit impetratura.

Contrariis non obstantibus quibuscunque. Die 22 Aprilis 1903.

S. Card. CRETONI, *S. R. C. Præf.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secret.*

II

Sancti Miniati.

Reprobatur quidam usus exponendi imagines in Feria V^a^ Maj: Hebd.

Hodierno Archipresbytero parocho Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ in oppido *Fucecchio* nuncupato Diœceseos Sancti Miniati postulanti: An non obstante decreto R^mi^ Episcopi S. Miniati die 19 Februarii vertentis anni 1903 edito, tolerari possit ut imago seu effigies SS^mi^ Redemptoris demortui, vel Deiparæ Virginis Perdolentis in altari separato ab illo in quo SS^mum^ Eucharistiæ Sacramentum Feria V in Cœna Domini publice expositum manet, venerationi Fidelium eadem Feria exhibeatur?

Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, exquisita etiam sententia Commissionis Liturgicæ respondendum censuit: Negative et servetur Decretum Episcopale.

Atque ita rescripsit die 27 Martii 1903.

D. Card. FERRATA, *Præf.*

L. ✠ S.

D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Ex S. Congr. Indulgentiarum

Tertii ordinis sæcularis Sancti Francisci.

Circa interruptionem novitiatus.

Moderator cujusdam Congregationis Tertii Ordinis Sæcularis S. Francisci huic S. Congregationi Indulgentiarum sequens dubium dirimendum proposuit:

An interrumpatur novitiatus Tertii Ordinis Sæcularis S. Francisci, si quis habitum, id est scapulare cum cingulo, absque dispensatione, deposuerit sive ex oblivione sive ex negligentia, sive ex impossibilitate?

Porro eadem S. Congregatio, audito Consultorum voto, proposito dubio respondendum mandavit:

Negative, si ex oblivione vel impossibilitate; si vero ex negligentia, pariter *negative*, dummodo voluntas emittendi professionem in præfato Ordine non fuerit retractata.

Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. Congr. die 4 Martii 1903.

A. Card. TRIPEPI, *Præf.*

L. ✠ S.

† Franciscus Sogaro, Archiep. Amiden., *Secretarius.*

Consultatio

Q. Titius communis confessarius confessionem excepit pœnitentis, in articulo mortis constituti, eumque rite dispositum sacramentaliter absolvit. Porro idem pœnitens, postquam convaluerit, ad suum confessarium, extra tempora privilegiata, rediens exponit se in priori confessione bona fide omississe peccatum, quod in diœcesi Brugensi est ab Episcopo reservatum.

Ipsum directe absolvi posse reputat Titius, non obstante optime nota disciplina diœcesana, vi cujus, attento tenore *Libelli*, ed. 1898, p. 24-25, peccatum reservatum, in confessione, coram sacerdote facultatem habente peracta, omissum, manet reservationi obnoxium, adeoque iterum est exponendum penes confessarium speciali facultate a reservatis absolvendi munitum: censet nimirum dictum peccatum, ratione periculi mortis in quo, momento confessionis, versabatur pœnitens, fuisse, sic providente Conc. Tridentino, *ab omni reservatione prorsus et absolute immune;* exinde deducens reservationem, utpote penitus sublatam, jam ulterius non posse reviviscere, eamque proinde non esse attendendam in confessione, post recuperatam valetudinem instituenda.

Quæritur quomodo dijudicanda sit Titii agendi ac ratiocinandi ratio.

R. Minus recte ratiocinatus est Titius confessarius.

Equidem Concilium Trident., Sess. XIV, cap. VII, vult ut in articulo mortis, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, « *nulla sit reservatio* ». Atvero hæc formula duplicem potest habere sensum: *primum*, a consulente intentum, quatenus peccata reservata, eo ipso quod quis eorum noxius in articulo mortis versatur, jam illico omni reservationi subtrahantur *absolute et simpliciter*, adeo ut circa ea jurisdictio sacerdotis, etiam extra

periculum mortis, restringi non queat; *alterum,* quatenus reservatio non fuerit occasione periculi mortis in quo peccator degit, ablata *absolute et simpliciter*, sed *pro mortis articulo et quamdiu perseverat* in sua vi et efficacia *suspensa*; adeo ut peccata remaneant quidem reservata, sed possint, per mortis articulum, a quocumque sacerdote absolvi, perinde ac si non essent reservata: qua ratione reservationis sublatio, quam intendunt Patres Tridentini, nihil aliud foret quam *generalis impertitio facultatis,* omnibus sacerdotibus factæ, absolvendi *moribundos* a quibusvis peccatis et censuris reservatis.

Jamvero non est dubitandum quominus hoc altero sensu sit intelligenda formula Tridentina. Imprimis a/ reservatio, uti apud *Collat.*, V, p. 68, monuimus, *directe* afficit confessarium, cujus jurisdictionem restringit; unde reservationis sublatio, nisi contrarium indicetur, sponte sua æquivalet jurisdictionis extensioni intra limites, quibus reservatio auferenda statuitur.

b/ Finis a S. Synodo, juxta tenorem suprà relatum, intentus plene obtinetur per meram reservationis suspensionem, seu facultatis confessarii ampliationem, pro tempore quo pœnitens periclitatur: cui finis consecutioni impertinens est quod reservatio, transacto vitæ discrimine, reviviscat et suam vim exerere reincipiat.

c/ Ex priori, si admitteretur, interpretatione, sequeretur quod quivis pœnitens, ad sanitatem restitutus, per quemvis confessarium, posset a peccatis, quantumvis reservatis, absolvi, quibus, dum in mortis periculo versabatur, extiterit innodatus, non tantum si illa peccata in confessione tum peracta omiserit, sed etiam si confessionem prorsus neglexerit.

d/ Tandem altera interpretatio suadetur ex ipso contextu, cum formula interpretanda connexo: « in eadem Ecclesia Dei, dicitur, custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis

peccatis et censuris absolvere possunt; extra quem articulum sacerdotes, quum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores et legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant ». Ex quibus apparet reservationis sublationem importare quod omnes sacerdotes, *infra mortis articulum illumque solum*, a quibusvis peccatis valeant absolvere.

Qui contextus propositæ interpretationi adhuc magis explicite favet, præ oculis habito tenore apud Theiner relato, *Acta Genuina Concilii Trident.*, I, p. 587: « Sanctissime fuit semper in Ecclesia Dei custoditum, ut nulla in his absolvendis reservationis ratio habeatur, qui in mortis articulo sunt constituti, in quo cuicumque sacerdoti quemlibet a quibusvis peccatis *plena absolvendi facultas jure concessa est.* Extra quem... ».

Quibus attentis abunde liquet, ni fallor, præposterum fuisse Titii confessarii ratiocinandi modum, et hujusmodi peccata reservata, a moribundo in confessione non exposita, conditionem sequi peccati reservati, in confessione coram habente facultatem instituta omissi, adeoque illa non posse, extra vitæ discrimen vel tempora aliunde privilegiata, directe absolvi a communi confessario, nulla speciali facultate in reservata prædito.

Absolutio igitur in casu a Titio impertita fuisset *de se* nulla; « attamen, ne propter ministri ignorantiam aut malitiam aliquis pereat.... concedit Reverendissimus Episcopus ut, quando confessarius approbatus, non obtenta prius a casibus reservatis absolvendi facultate, ex ignorantia, aut inadvertentia, etiam culpabili, absolvit ab ejusmodi casu, valide absolvat »; quin etiam eum « directe absolvere benigne indulget Illustrissimus, si ipse pœnitens bona fide existimet peccatum suum non esse reservatum, vel sacerdotem, cui illud declarat, a reservatis absolvendi facultatem habere et aliunde sit rite dispositus: ita ut, si pœnitens certo cognoscat errorem, pro reservatis, ex præcedenti

concessione remissis, recursum habere non debeat ad habentem facultatem a reservatis, nec onus subire iterum confitendi peccatum quod rite confessus est ». *Libellus*, p. 26.

A. D. S.

Libri dijudicantur.

Judoci Clichtovei, Neoportuensis, doctoris Parisiensis, de vita et moribus sacerdotum opusculum, singularem eorum dignitatem ostendens et quibus ornati esse debeant virtutibus explanans; — denuo edidit, cum præfatione de vita et operibus auctoris, *G.-J. Waffelaert,* S. T. D., Episcopus Brugensis. — Brugis, typis Societatis S. Augustini, 1903, in 8° pp. 181. — (1,50 fr.)

Uti ex præfatione, quam Ill^mus^ ac Rev^mus^ Præsul noster hujus opusculi novæ editioni præmisit, colligitur, ejus auctor, Judocus Clichtoveus, Neoportuensis (1472-1543), vir fuit doctrina et virtute conspicuus, qui optime de Ecclesia ac speciatim de clero meritus est: aliis enim suis operibus veritatem catholicam adversus perniciosos errores Lutheri adeo docte vindicavit ut *malleus Lutheri* vocari dignus sit habitus; aliis verò scriptis vitæ honestatem ac decorem penes sacerdotes suæ ætatis restituere et promovere ardenti zelo studuit. Ad hanc posteriorem elucubrationum classem pertinet libellus *de vita et moribus sacerdotum;* cujus argumentum, titulo jam indicatum, auctor in epistola dedicatoria ei præposita hisce verbis exponit: « Non inutilem facturi rem videbimur aut infructuosam, si compendiario hoc opusculo de vita et moribus sacerdotum disseramus, patefactaque officii ipsorum eminentia atque præstabilitate, quam agere debeant vitam et

quibus effulgere virtutibus *ex sanctæ Scripturæ sacrorumque auctorum testimonio* dilucidemus ». Quod promisit revera præstitit auctor, et continuò sua dicta et asserta divinarum Litterarum et sanctorum Patrum auctoritate stabilire curavit; imo libelli capita fere integra ipsis S. Scripturæ verbis quasi contexta extant; quod miram legenti affert suavitatem, ac simul exemplo ostendit quam utilis sit « omnis scriptura inspirata ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia; ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus » (2 Tim. III, 16-17) (1).

Clichtovei opusculum diu multo favore gavisus est, siquidem *tredecim* habuerit editiones. Ast tempus, rerum etiam optimarum edax, et auream istam opellam oblivione obduxerat adeo ut plerisque nostrum plane ignota esset. Rem igitur clero perutilem præstitit Ill^mus^ ac Rev^mus^ Episcopus Brugensis illud in novam lucem edi curando idque eruditissima præfatione adornando; quem autem specialem finem eo sit prosecutus ipsemet in dicta præfatione declarat:

« Si jam quæras, scribit, qua de causa hoc opusculum *De vita et moribus sacerdotum* præ cæteris nunc edendum elegerimus, ingenue fatebimur nos in hoc præsidium quoddam a Clichtoveo expetere voluisse. Nam cum ab initio suscepti oneris episcopalis præprimis, jure quidem meritissimo, de clero nostro maxime solliciti fuerimus, ut in ea qua præstat scientia et virtute conservetur ac continuo proficiat, nihil hunc in finem intentatum reliquimus: sed verbo, scriptis, actis, omni modo eumdem finem prosecuti sumus. Et cum

(1) Nostri Periodici lectoribus non omnino ignotus est eximius scriptor Clichtoveus, siquidem tomo VII, p. 298 ss., curante rursùs Rev^mo^ Episcopo, reproducta est ejus pulcherrima *annotatio in Officium SS. Corporis Christi*. — Nos etiam dùm tomis IV et V integrum Missæ ordinem explicavimus, frequenter eumdem Clichtoveum ad verbum allegavimus maxime quod spectat *canonem*, quem nemo forsan alius ita docte et pie est interpretatus.

omnium præcipua res sacerdoti nobis esse videbatur, et est, quam et unam necessariam esse sæpius edicere non dubitavimus, ut singulis diebus cum omni munditie cordis et summa animi devotione ac pietate sanctum et mirabile sacrificium incruentum novæ legis offerre possit, in hanc summi momenti et quasi solam necessariam rem, utpote e qua reliqua sacerdotis officia omnia, omnisque ejus vita regulam, subsidium vigorem, implementum accipiunt, totam vim ingenii nostri, Deo opitulante, convertimus. — Et ecce post cætera a nobis præstita, atque in confirmationem eorum quasi testem adhibemus Clichtoveum, in opusculo quod edimus disserentem de dignitate sacerdotii, de præstantia sacrificii, de omnimoda sanctitate ac morum integritate in sacerdote requisita ut uno quasi conspectu, iterato, imo continuo, comite aureo libello, dilectorum sacerdotum oculis obversetur, optimo testimonio roborata, universa quam sæpius proposuimus usque ruminanda doctrina ».

Haud dubium quin sacerdotes universi imo et sacerdotii candidati, doctissimi ac vigilantissimi Præsulis commendationi obsecundantes, hujus opusculi assidua lectione ac meditatione usuri sint, ut dignitatis sacerdotalis altissimam æstimationem animo foveant, atque in ea vitæ forma, quæ deceat tam excelsam vocationem, perseverare et usque proficere studeant.

H. V. D. B.

*
* *

Practisch Onderwijs in den Mechelschen Catechismus door Kan. De Weerdt, S. T. L., *Oud-Leeraar in het Groot Seminarie van Mechelen.* — Mechelen, P. Ryckmans, 1903 (1,70 fr.).

Præcitati operis cl. A. qui jam alio in scripto cui titulus *Instructions pour les Catechistes* (1) exposuerat

(1) V. *Collat. Brug.*, T. VI, p. 510.

illa pædagogiæ principia secundum quæ agere debet quicumque velit pueros rite docere christianam doctrinam, nunc, easdem regulas ad praxim deducens, integri Catechismi Mechliniensis, anno 1900 editi, amplam conscripsit expositionem, singulas lectiones, quæstiones ac responsa explicando.

Veritates proponit A. sermone accuratissimo et methodo primæ puerorum institutioni adamussim adaptata: summopere scilicet ac constanter intendit ut per *sensus* et *phantasiam* exercenda *intellectualem* præbeat notionem: ideo antequam ipsam veritatem verbis catechismi enunciat, in facto aliquo narrato vel parabola proposita significationem *vocabulorum* catechismi declarat et ipsa analogia rei expositæ disponit cognoscendi facultatem ita ut jam facile intelligi queat a puero veritas quando ipsis catechismi verbis profertur. Ea methodo per totum opus utitur A.: nemo non videt quam apta hæc sit, cum prorsus conformis sit modo quo homo, vi suæ naturæ, e sensibilibus ad intellectuales pervenit cognitiones, et quantum auxilietur ad puerorum attentionem excitandam ac memoriam ipsorum juvandam. Quomodo concinne a rebus notitiæ puerorum obviis ad abstractam ideam ducat A. videre est v. gr. ubi agitur de fide (p. 21), de supernaturalibus donis Adamo concessis (p. 97), de gratia habituali et actuali (pp. 99-101), de cultu hyperduliæ B. M. V. exhibendo (p. 118), de virtute (pp. 300-301).

Non solum de recta veritatis notione præbenda curat A. sed etiam de movenda ad bonum voluntate: inde sæpe occurrunt exhortationes ex doctrina exposita logice deductæ (1), etiam modus quo exponuntur facta vitæ Christi et præsertim Passionis narratio (pp. 64-69)

(1) P. 101 inculcanda foret, ut videtur, praxis actus contritionis perfectæ statim post commissum peccatum; nempe sic dici posset: En hebt gij er ongelukkiglijk eene (doodzonde) bedreven verwekt aanstonds een akt van volmaakt berouw en gaat zoohaast mogelijk te biechten...

tales sunt ut sincerus erga Christum excitetur amor; tandem explanatio cæremoniarum missæ (pp. 232-243) optime inservit ad religionem fovendam.

Veritates præcipuæ quæ nostris diebus sæpissime impugnantur, breviter ac solide in laudato opere demonstrantur: v. gr. existentia animæ humanæ (p. 13), ejusdem immortalitas (p. 14 in nota), existentia Dei (p. 32), divinitas Jesu Christi (p. 55 in nota), præsentia realis Jesu in Eucharistia (p. 208).

Ad calcem paginarum permultæ apponuntur notæ quarum aliæ monent catechistam de uno alterove pædagogiæ principio applicando, v. gr. de necessitate ac methodo interrogandi; aliæ unam alteramve obligationem moralem in memoriam revocant et modum ipsi satisfaciendi indicant; aliæ exemplo ex historia desumpto elucidant doctrinam expositam; aliæ ampliorem veritatum continent expositionem et materiam exhibent tradendam illis qui lectiones adeunt vocatas *catechismum perseverantiæ:* v. gr. bene exponitur confutatio socialismi (p. 166); objectum et praxis cultus SS. Cordis Jesu (p. 214).

Non dubitamus asserere egregium prorsus fuisse ab auctore opus confectum, quod omnibus catechistis, etiam iis qui non eamdem Catechismi editionem habent explicandam, perutile erit: ibi enim perspicuum ipsis fiet quid et quomodo sit docendum ut delectabiliter simul ac efficaciter dirigant puerorum intellectum in veram ac amplam Dei cognitionem, necnon voluntatem moveant ad sincerum Dei amorem rectumque virtutum exercitium.

J. V. D. M.

Collationes Brugenses

Acta Congregationis Prosynodalis

habitæ die 26 Maii 1903, in Palatio Episcopali Brugis

Post Missam, omnes Amplissimi ac Reverendi adm. Domini præsentes in aulam palatii majorem convenerunt, ubi, recitato hymno *Veni Creator*, Ill^mus^ ac Rev^mus^ Dnus venerabilem cœtum sequentibus verbis allocutus est:

Amplissimi et Reverendi admodum Domini,

Scitis quanta, ab initio suscepti oneris episcopalis, quamque continua fuerit solicitudo nostra præprimis de dilectissimo Clero nostro: ut tum sapientia ac scientia necnon vitæ integritate ac sanctitate emineat, tum flagrantissimo simul ac prudentissimo zelo gregem Christi per saluberrima pinguissimaque pascua ad vitam spiritualem æternamque salutem conducere valeat. Et jure quidem meritissimo eos præcipuo affectu complectimur qui Nobiscum sacerdotio funguntur, et a quorum verbo, exemplo, opera apostolica universi gregis salus, cum divina gratia, maximam partem dependet. Nec minori jure non divisit solicitudo nostra eorum zelum ab eorumdem scientia et virtute: licet enim hæ obtineri nequeant absque vita interiori, ut aiunt, zelus vero animarum non consistat sine multiplici ad exteriora conversione atque opera externa, nequaquam tamen ab invicem illa divelli in viro apostolico possunt: cum zelus rectus atque fœcundus est nullus, qui sapientia et sanctitate non regitur; et vicissim scientiam et virtutem intra se, quasi in solum commodum proprium, continere pastorem animarum non licet, sed in animas sibi commissas earum fructus uberrimos effundere oportet.

Neque vero magis inter se pugnant vita interior et zeli sacerdotalis labor externus; quin imo, similiter ab invicem in homine apostolico sejungi nequeunt: si enim vita interior consistere potest in viro contemplativo absque exteriori labore apostolico, minime tamen labor apostolicus rite exerceri

umquam valet, nisi vitæ interioris ac contemplativæ multimodis munimentis suffultus. Quod quidem argumentum et olim attigimus, et demonstrari vix indigere præ rei evidentia credimus.

Quoniam autem non solum nobis ipsis sed et animabus nobis commissis tantopere necessaria est scientia simul et vitæ sanctitas, haud semel, hanc eamdem conventus nostri annui opportunitatem nacti, neque obiter tantum egimus de studio rerum divinarum, de pietate in Deum deque vitæ integritate, præprimis vero et latius de officio litandi cum summa reverentia et devotione obeundo, quod est longe princeps et maxime proprium sacerdotis, de officio quoque, quod isti valde affine est, orandi horasque canonicas, qua preces imprimis sacerdotales, rite persolvendi. Et hæc quidem monita atque paternæ obsecrationes ne umquam memoria exeidant, eadem ita renovandi et confirmandi, ut quasi continuo ob oculos versentur, opportunitatem Nobis providit Deus: cum enim illa nuper invenerimus multiplici validissimoque testimonio roborata atque eloquentissime proposita a Clichtoveo nostro, Neoportuensi, in opusculo *De vita et moribus sacerdotum*, insigne hoc opusculum in gratiam dilecti Cleri denuo edi curavimus, præmissa notitia de vita et operibus Auctoris, sane non ignobilis, majorique, quam apud nos habet, doctrinæ ac literarum laudis fama dignissimi. Quo quidem opusculo, non sine uberrimo solidæ ferventisque pietatis fructu, in meditatione ac lectione spirituali sacerdotes usuros confidimus.

Itaque, firmis manentibus, quæ de vita interiori, id est de studio rerum divinarum, de summa in Deum pietate ac generatim de virtute sacerdotali exposuimus, in præsenti jam de munere ad zelum apostolicum seu curam pastoralem propius spectante verba facere statuimus.

Inter omnia autem pastoralis officii munia, quod ordine primum est, primo considerandum duximus, videlicet officium docendi. Profecto maximi momenti officium et ordine primum merito dicimus, quod fundamenti instar totius ædificii spiritualis in proximi salutem extruendi sese habeat. Etenim luce meridiana dilucidius apparet, hominem, qua hominem et christianum, in re spirituali nihil agere posse, nisi quod prius intellectu atque fide agendum perceperit;

nihil autem ab alio homine percipere posse, nisi hic doceat verbo, vel et exemplo quæ noscenda atque agenda sunt proponat. « Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? (1) » Atqui, cum tanta sit hujus rei evidentia, tam evidens docendi necessitas, ut nullus hominum eam non perspiciat illico, mirum sane est ac prope incredibile, vel unum inveniri sacerdotem qui hanc evidentiam negare aut ignorare sua agendi ratione videatur. Ipsi nos sacerdotes haud infrequenter conquerimur, inauditam quandoque ignorantiam doctrinæ christianæ apud subditos experti; ast, causas inquirendo hujusmodi inscitiæ, nonne quandoque nos ipsos in causa esse deprehendere oporteret?

Quod non ita accipi volumus, ut plurium abusum seu negligentiam denuntiare putemur, quod injurium foret; sed si vel unus alterve hac in re defecerit, non esse tacendum opinamur, cum vel unius plures sint subditi, adeoque jam ingens malum unius negligentia producere valet, dum multi isti parvuli seu ignorantes petunt panem doctrinæ ab uno sibi præposito doctore, et non est qui frangat eis. Et nostri quidem sacerdotes, si in sua parochia grassari ignorantiam sinant, eo minus excusabiles sunt, quod populus noster libenter affluat ad ecclesias, puerique numerosi scholas nostras frequentent, et vocem suorum pastorum ac sacerdotum dociles audire omnes soleant.

Igitur nonne aliqui, pauci esto, sæpius quam par est, Præsules coëgerunt idem monitum tum verbo, tum scripto ingeminare de necessitate docendi? Nempe *de catechizandis summa cum cura pueris; de scholis visitandis*, idque non raro, nec obiter et perfunctorie, sed frequenter, assidue, *regulariter; de majori catechesi* sub omnibus missis, maxima diligentia et præmissa accurata præparatione, fideliter habenda; *de conferentia seu instructione danda monialibus*, quæ, cum tanto zelo nos adjuvent, profecto verba quædam adhortationis ac consolationis sed et doctrinæ audire omnino merentur, quibus munus suum, sane grave et sæpius ingratum, alacrius subeant, et in proponenda christiana doctrina dirigantur atque adjuventur; demum de necessitate præprimis

(1) *Ad Rom.*, X, 14.

docendi in omni concione ad populum. Agite ergo, dilectissimi Cooperatores nostri, et satagite Nobiscum, ut hæc omnia ad amussim fiant, nec requiem habeatis donec omnes sacerdotes ad unum, vestræ curæ commissos, eadem rite adimplere noveritis.

Neque enimvero præsidia ac subsidia nostro Clero desunt, quibus efficaciter juvetur in fungendo hoc suo gravissimo officio, neque Nos illi defuisse hac in parte putamus. Re quidem vera, cum neminem docendo aptum jure censuerimus, nisi qui prior didicerit, scitis quomodo omni qua potuimus solertia studium scientiarum sacrarum promovere conati sumus; quomodo scitu necessaria et utilia, tum theoretica ac fundamentalia, tum propius practica, ut facilius atque uberius perciperentur, inter cætera, Collationum ephemerides a doctissimis Seminarii nostri magistris conscribi, et Librum Manualem edi curavimus. Sed et recentius, quod jam ipsum munus docendi attinet, tum omnibus catechistis, sacerdotibus necnon utriusque sexus magistris scholarum, tum ipsis pueris catechizandis, indefesso diuturnoque labore, valide quidem a nonnullis peritis ac zelosis sacerdotibus adjuti, paravimus manuale doctrinæ christianæ, intuitu primæ communionis addiscendæ; catechismum nostrum hinc quidem abbreviando, inde vero dilucide explicando et in paucis complendo. Idque fecimus in commodum tum catechistarum, tum puerorum: ne forte aliqua causa ignorantiæ aut minus solidæ institutionis apud pueros istos inveniretur, quod nimis fortassis gravaretur eorum memoria longiori ac difficiliori catechismi nostri contextu integro. Simul etiam, ephemerides de catechizandis ac educandis pueris *(Canisiusblad)*, quas nunc primum in Belgio ediderunt quidam sacerdotes nostri, sapientiæ ac zeli laude dignissimi, omni ope atque opera tueri ac commendare non destitimus, sed et a vobis, Amplissimi et Rev. adm. Domini, omnibus sacerdotibus scholarumque magistris commendatas volumus.

Itaque nihil intentatum reliquimus, sed nec in posterum, Deo favente, relinquemus, ut munus suum docendi sacerdotes nostri quam commode et efficacissime obire valeant. — Cæterum et quæ in hunc finem contulimus subsidia, et quæ universim verbo et scripto dilecto Clero proposuimus monita ac documenta, denique tandem in unum cumdemque finem,

et consilio nostro et re ipsa, convergere facile perspicietis. Quæ quidem unitas finis, actionisque nostræ omnis in eumdem finem, ut rite perspiciatur ac sedulo attendatur ab omnibus sacerdotibus nostris, vehementer cupimus, quo majori docilitate ac diligentia viam præmonstratam sequantur, mediisque propositis utantur: nullum enim dubium est quin, his ab omnibus intellectis et ad opus applicatis, optatus finis attingatur, maneatque hæc dilectissima diœcesis Brugensis antiqua sua laude per omnia digna, quinimo crescat ac dilatetur hæc bona fama, ad majorem Dei gloriam plurimorumque salutem.

Sed redeamus ad propositum nostrum. Est igitur officium docendi maximi momenti, meritoque ordine primum dicitur. Neque solum consilium est docendi, sed præceptum, nec nostrum tantum sed Ecclesiæ universale præscriptum, idque gravissimum, ut vel ex ipso sacrosancto Concilio Tridentino, non uno in loco, habes. Imo divinum est præceptum, ab ipso Christo Domino intimatum Apostolis suis, eorumque successoribus, dicente: « Euntes ergo docete omnes gentes..., docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis » (1). Et rursum: « Prædicate evangelium omni creaturæ » (2). Quod quidem optime intellexerunt Apostoli qui, cum essent duodecim tantum, universum mundum converterunt, præprimis docendo: etenim « profecti prædicaverunt ubique » (3), et « in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum » (4). Qui cæteris functionibus peragendis inferiores ministros præfecerunt, ut ipsi « orationi et ministerio verbi instantes » (5) essent.

Est ergo nobis docendi stricta necessitas medii ad finem ministerii nostri, est et præceptum ecclesiasticum, et divinum, idque gravissimum.

Si autem omni tempore docendum esse, et a docendo, tamquam a radice et fundamento cujusvis ministerii sacri, exordiendum esse ipsa rerum natura indicat, haud minus

---

(1) *Matth.*, XXVIII, 19, 20.
(2) *Marc.*, XVI, 15.
(3) Ibid., XVI, 20.
(4) *Ad Rom.*, X, 10 ex Psalmo XVIII.
(5) *Act.*, VI, 4

hac nostra tempestate, imo vero magis urget docendi necessitas. Multo plures esse existimamus qui telis venenatis hostium moderatorum imbelles exponuntur et a recto tramite partim-que morbus deflectunt præ ignorantia doctrinæ fidei, quam præ malitia aliave causa. Neque hoc veremur asserere, inter omnia opera sodalia, quæ vocant, nullum esse urgentius, nullum efficacius, nullum certe magis fundamentale et radicale, quam docere. Nesciunt ex illis qui, nimis improvidi et in superficie rerum hærentes, minutibus intenti sunt toti et maiora neglignt; qui pessimæ arboris et extirpandæ, perversarum inquam doctrinarum atque infensorum molitionum, vix corticem rodant, radicem minime attingunt, quæ *docendo* est impetenda.

Si jam quæritur quæ potissimum docenda sunt, quo præsentis temporis ac loci, hæc omnia Præsulum præscriptis sunt definita, omnibusque notissima, quibus si accurate fides satis, absque dubio gravissimum illud docendi munus rite adimplebitur. Vel ipsa docendi ac prædicandi methodus non semel diversisque in locis fuit a Prælatis proposita; et, quod catechesim attinet, recentius pro scholis ab Inspectoribus diœcesis, nobis quoque probantibus, fuit methodus et via procedendi benoleuter indicata, et continuo evolvitur atque egregie explicatur in laudato periodico a B. Canisio dicto. Caeterum mens nostra non est de catechizandi, concionandi et universim docendi methodo nunc agere, cum id nec per tempus liceat, nec sacerdotibus nostris, omnibus hujusmodi auxiliis et monitis abunde munitis, id necesse videatur.

Unum addimus quod, tanquam peculiare objectum doctrinæ ac prædicationis zelique Cleri, singulariter ac vehementissime commendatum volumus, et paucis jam explicamus.

Scilicet, omnibus consentientibus, totius cultus catholici centrum evidenter mysterium eucharisticum est; et sacerdotis quidem actio princeps est divini sacrificii oblatio; populi vero, est participatio quam intima eidem actioni, tum per devotam actiamque assistentiam, tum præprimis per sanctam, quam frequentius fieri potest, communionem. Equidem, res est lætitia atque gaudio plena, videre populum nostrum quam longe absit a fide neganda et via ecclesiæ deserenda, quam frequens sacrosancto Missæ sacrificio

cæterisque, quamquam minus forte, divinis officiis adesse soleat, usuque sacramentorum saluberrimo refici. Atvero, nonne manifestum cuique est, hinc quidem, populi nostri hucusque tam fidelis, hodiedum majori quam olim, impio conatu fidem impeti, verbo, exemplo, scriptis omnigenis usque in minimos pagos quaquaversus diffusis; inde vero, eumdem populum christianum magis magisque avocari et abduci ab accessu ad ecclesias, ipsis temporum adjunctis, quod tum rebus fluxis negotiisqué sæcularibus nimis intenti sint homines, tum ad itinera commode carpenda, ad festivitates mundanas innumeras adeundas continuo invitentur. Atqui, periculo fidei imprimis *docendo* verbis, scriptis, exemplis occurrere oportet; periculo desertionis divinorum officiorum, rursum docendo; scilicet ea speciatim tum verbo, tum exemplo, necnon variis adhibitis adminiculis prædicando quæ ad sacrosanctum Missæ sacrificium sacramque universim liturgiam spectant, nec tantum populo eadem explicando frequenter, sed et pueros, imo præ cæteris hos instruendo, tam in scholis quam in ecclesiis.

Docere verbo, dicimus: identidem exponendo ad captum notionem sacrificii, ejusque fines; essentiam sacrificii novæ legis, tum cruenti, tum incruenti, et relationem inter utrumque, ejusdemque fructus, præcipuas tandem Missæ cærimonias; similiter reliqua officia ecclesiastica rite explicando. Deinde, sæpissime hanc doctrinam summatim in memoriam revocando, ita ut nonnisi ex doctrina prius proposita inferantur requisitæ animi corporisque in adstantibus dispositiones, et deducatur exhortatio fervens ad frequentanda assidue divina.

Docere exemplo: digne, reverenter, devote omnes ritus sacros peragendo; adhibita, pro diversitate dierum ac locorum, quam possumus et decet, solemnitate; curando etiam ut sit quam maxima frequentia habitusque decens ministrorum, acolythorum etc., utque musica et cantus, tum noster, tum ministrorum, si non arte exculti, saltem perquam humani sint.

Et hæc jam spectant ad ea, de quibus dicebamus *adhibendis variis adminiculis*: quæ quidem inter adminicula non infimum locum obtinet cantus. Hujus autem loci esse videtur, et hoc advertere, nempe populum nostrum, cum sit fidelis et pius,

nimis tamen passive quasi sacris assistere; qua in re, aliarum regionum gente catholica plerumque inferiores laude sumus. Mirum sane ac dolendum nostrorum etiam piissimos, præter quædam externa processionum etc., solemnia, ita parum sacræ liturgiæ esse participes, ut quasi ex una parte suas orationes, easque potius privatas proinde, effundant, dum ex parte altera sacerdos sua peragit; cum tamen sacerdotis sit *publica* deprecatio ac litatio, quacum una *communis* debet esse populi oratio atque oblatio sacrorum.

Hunc rerum statum, vobis adjuvantibus, Reverendi admodum ac dilectissimi Cooperatores nostri, in melius mutare vehementer cupimus, quo simul frequentiam ac fervorem fidelium in ecclesiis tueri ac promovere valeamus; siquidem iisdem adminiculis quibus primum, necessario et alterum obtinebitur, et, etiamsi primum inspectis moribus nostrorum sit obtentu difficile, ad alterum tamen (quod omnino necesse est) servandum et dilatandum non erit, quam proponimus, inutilis via. Igitur conemur saltem, omni qua possumus ope atque opera, prædictum quasi privatim agendi modum, a spiritu Ecclesiæ alienum, emendare: ut supra docendo, ac corrigendo erroneas notiones et ignorantiam veræ naturæ officiorum publicorum Ecclesiæ et sacrosancti sacrificii, ita ut pateat necessitas participationis quam intimæ populi; præsertim vero incipiendo ab institutione puerorum in catechesi, tum in ecclesiis, tum in scholis. Et hos quidem, sine dubio, efficaciter attingere possumus, non solum docendo theoretice modum rite assistendi Missæ et participandi sacris universim liturgicis, sed et practice eosdem informando: eo vel magis quod in nonnullis majoribus parochiis missa quam aiunt puerorum die dominico fiat, in multis vero sive in dominicis sive et per hebdomadem uni ex missis, sub ductu magistrorum et magistrarum, scholares assistere soleant. Qui quidem mos optimus, saluberrimus, spe in futurum plenissimus, ut in suis parochiis vigeat ac floreat, omnes parochi absque ullo labore efficere possunt: fere enim sufficit ad hoc obtinendum, ut quædam, collato cum magistris consilio, facillima disponantur, horaque competens missæ scholaris eligatur. His autem obtentis, quid jam prohibet pueros docere eum, quem res postulat, sacris participandi modum?

In specie loquendo, quid prohibet pueros ita instruere ut singulas missæ partes principes attendant, ut præcipuarum cærimoniarum missæ significationem ac cum sacrificio cruento ac incruento relationem advertant, imo ut partium seu orationum quæ communiter in missa recitantur aut cantantur, puta, *Gloria, Credo, Sanctus, Pater noster,* quoad substantiam intellectum habeant? Qua institutione præmissa, jam incipiat doceri cantus quorumdam ex his communibus faciliorum tum in missa occurrentium, tum in vesperis, puta canticum *Magnificat*, tum in laudibus SS. Sacramenti. Quodsi pueri in scholis aut congregationibus seu patronagiis, ut aiunt, extra ecclesiam congregentur, quid prohibet id quod petimus in illis conventibus fieri? Imo, etiamsi laudes ibi non celebrentur, aliqua tamen ex Ecclesiæ canticis inter cætera exercitia spiritualia quibus ibidem intersunt, a pueris cantari quid obest? Itaque manum operi admoveamus, Rev. adm. ac dilectissimi Cooperatores nostri, atque omnes sacerdotes ad id inducamus ut, quam frequentius fieri potest, aliqua ex Missis aliudve ex officiis publicis cum majori participatione fidelium, saltem puerorum ad id instructorum, fiat; ut scholæ cantorum multiplicenter, quæ quidem ut in collegiis nostris diœcesanis perfectius et ordinatius instituantur brevi curabimus. Neque exspectandum putemus, donec de textu musicali perfecto conveniant, aut numerus quidam exercitatorum cantorum sponte suppetat, sed sine mora agendum est, cum spe certa postea in melius provehendi incœpta: id tantummodo monemus attendendum ab initio ut 1° non tota multitudo sed definitus numerus selectarum vocum assumatur; 2° ut cantando rite proferantur singula verba, singulæ syllabæ, vocalibus constanter proprio servato sono; ut 3° dulcis ac lenis sit, non vehemens emissio vocis, scilicet sit verus cantus, non vero clamor a quo summopere cavendum est.

Hæc quidem singulatim prosequendi hic locus non est; neque vero peritorum sacerdotum consilia et adjumenta illi deerunt, qui zelo divinæ gloriæ motus et excitatus, morem gerere monitis hisce nostris ac votis ardentissimis sategerit.

Igitur nobis adsit, Rev. adm. ac dilectissimi Cooperatores nostri, quam efficacissimum auxilium vestrum ut quæcumque exposuimus tum universim de docendi officio, tum

singillatim de inculcanda ac promovenda participatione activa populi christiani sacris liturgicis, speciatim incipiendo a pueris, sacerdotes nostri omnes summa diligentia perpendant, qui, cum tot et tanta præstiterint a semi-sæculo ad magnificentiam templorum materialium in hac diœcesi, et hoc ad splendorem divini cultus et ædificationem templorum spiritualium ferventissimo zelo aggredientur atque perficient, in salutem, inquam, animarum nobis commissarum, in laudem Christi Servatoris, summi atque æterni Pontificis, cui cum Patre et vivifico Spiritu sit omnis honor ac gloria in sæcula sempiterna. Amen.

Quum Rev^mus Dnus dicendi finem fecisset, auditis Ampl. et RR. adm. DD. sententiis, a Rev^ma sua Dominatione promulgatæ sunt ordinationes sequentes:

I.

Sacra Rituum Congregatio, precibus nostris iteratis deferens, die 7 Martii 1903, indulsit ut, quatenus id Nobis visum fuerit, nomine et auctoritate Sanctæ Sedis, sacerdotibus Diœcesis nostræ, ad proximum quinquennium, concedere valeamus usum pileoli in delatione SS. Sacramenti ad infirmos. Libellum nostrum supplicem, una cum Congregationis responso, hic subnectimus:

Beatissime Pater,

Gustavus-Josephus Waffelaert, Episcopus Brugensis, exponit Sacerdotes suæ Diœceseos, qui SS. Sacramentum, nudo capite, ad infirmos deferunt, persæpe, tum hiemali tempore, ob frigus et aëris inclementiam, tum tempore æstivo, ob nimium radiorum solis ardorem, haud leve subire valetudinis detrimentum. Ideo incolumitati Sacerdotum sibi subditorum prospicere volens Episcopus Orator, supplex rogat S. V. ut, quoties necessitas postulaverit, capite pileolo cooperto, tam in Civitate quam ruri SSmum Sacramentum ad infirmos deferre valeant. Et Deus etc.

BRUGEN.

Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi speci-

aliter a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII tributarum, attentis expositis, commisit Rmo Ordinario pro tempore Diœceseos Brugensis, ad proximum Quinquennium, quatenus, nomine et auctoritate Sanctæ Sedis, pro suo arbitrio et prudentia, concedere valeat Sacerdotibus Diœceseos suæ, in expositis tantum adjunctis, delationem pileoli. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 7 Martii 1903.

S. Card. CRETONI, *Præf.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Nomine et auctoritate Sanctæ Sedis, sacerdotibus Diœcesis nostræ, ad 7 Martii 1908, in expositis tantum adjunctis, delationem pileoli (non autem *biretti*, quod bene notandum est) concedimus.

II.

« Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, ob suam et Fidelium singularem pietatem erga Matrem boni Consilii sacramque ejus Imaginem, quæ in Sanctuario Genestani præcipue colitur », decreto SS. Rituum Congregationis, de die 22 Aprilis 1903, « statuit... ut Litaniis Lauretanis, post præconium : *Mater Admirabilis*, adjiciatur alterum : *Matér boni consilii, ora pro nobis* » (1).

Ad trami es hujus decreti, Litaniis Lauretanis tum cantatis, tum publice in ecclesia recitatis, addetur exinceps, loco indicato, præconium : *Mater boni consilii, ora pro nobis,* — *Moeder van goeden raad, bid voor ons.* — *Mère du bon conseil, prie pour nous.* Edoceatur autem populus fidelis circa additamentum istud ejusque sensum.

III.

Quum juxta Statuta diœcesana (part. II, tit. IV, art. I, § 4), in festis abrogatis officia divina sicut diebus dominicis celebranda sint, non licet Parochis, nisi ob motiva Episcopo probata, horam his officiis incipiendis statutam mutare.

---

1 Integrum decretum exhibent *Collationes Brugenses*, hoc tom. pp. 402, 403.

IV.

Parochi deinceps, non jam in ordine ad concursum et examen, sed quotannis in decursu mensis Maii, ad R. adm. D. Decanum mittent testimonium vitæ et morum *omnium* sacerdotum sacro ministerio addictorum et in sua parochia degentium. Prædictum testimonium, a se confirmatum aut infirmatum, RR. adm. DD. Decani ad Nos quantocius transmittent.

V.

Sacerdotes sedulo asservent litteras, quibus ad varia munia ecclesiastica deputantur, eas præsertim quæ, si pensio a Gubernio civili obtinenda sit, libello supplici, hunc in finem conficiendo, erunt adnectendæ.

VI.

Reverendi Domini Parochi eorumque adjutores deinceps, in erigendis ac dirigendis quibusvis operibus in favorem agricolarum nostrorum, consilia ac directionem sequantur R. D. Van Seynhaeve, directoris prioratus Ghistellensis, quem hujusmodi operum directorem generalem in hac Diœcesi constituimus.

VII.

Stadia Exercitiorum spiritualium, ad quæ dilectum Clerum impense invitamus, hoc anno erunt quinque:

1m Rollarii, Dominica, 16 Augusti, hora VIII vespertina.

2m Brugis, Dominica, 23 Augusti, hora VII vespertina.

3m Poperingis, Dominica, 30 Augusti, hora VII vespertina.

4m Rollarii, Dominica, 13 Septembris, hora VIII vespertina.

5m Brugis, pro Professoribus, Dominica, 13 Septembris, hora VII vespertina.

Non omittant RR. DD. Exercitaturi, *datis litteris* ad Superiorem domus, in qua Exercitia obire cupiunt, locum postulare, quindecim ante Exercitia diebus, quatenus nomina eorum catalogo adscribi valeant.

Brugis, 12 Junii 1903.

† G. J., Episc. Brugen.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Augusti-Septembris

—

I

Ex verbis Jeremiæ VII, 21, 22: *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël: Holocautomata vestra addite victimis vestris et comedite carnes; quia non sum locutus cum patribus vestris et non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocautomatum et victimarum*; deducenda videtur legum circa sacrificia origo recentior et humana. Solve hanc difficultatem.

II

Quæritur utrum et qua formali ratione Deus amet creaturas suas.

III

Caius, honestæ familiæ filius annos natus 16, bona ab avunculo suo hæreditate acquisivit quorum annuos reditus (1200 fr.) pater ejus percepit. Caius autem cum studiis vacare intenderet neque hunc in finem patris consensum obtinere posset, domum paternam reliquit et ære alieno sibi subvenit. Majorennis factus domum redit; at, ex timore reverentiali reditus a patre non petit. Post duos amos moritur pater atque in ejus bona plures filii hæreditate succedunt. — Quæritur:

1/ Quænam sint jura filiorum in bona quæ hæreditate aut donatione acquirunt;

2/ Utrum et quid in casu proposito alii filii Caio restituere debeant.

IV

Titius operarius adolescens 17 annorum in fabrica laborans singula quindena aliquam stipendii partem, insciis parentibus, occulte sibi retinet. Dijudica rationem agendi Titii.

V

Accurate determina et, additis rationibus vindica jura filiorum-familias in fructus operæ vel industriæ præstitæ sive in domo paterna ex rebus et circa res patris, sive extra domum paternam nomine patris.

VI

Quid in jure ecclesiastico statuitur circa sepulturam illorum qui neglexerunt præceptum annuæ confessionis et paschalis communionis?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Maii propositas.

—

I

Q. *Expone doctrinam de Redemptione propositam a S. Paulo in epistola ad Rom. III, 23-26.*

R. *Omnes egent gloria* quam Deus dat, *justificati*, δικαιούμενοι i. e. in quantum justificantur, ergo illa *gloria* seu approbatio divina consistit in ipsa justificatione; — *gratis*, ergo est donum gratuitum; — *per gratiam* seu benevolentiam *ipsius*, græce in dativo causæ, indicatur causa efficiens: *omnes peccaverunt* et proinde non meruerunt ut justitia Dei ipsis tribuat justificationem, sed indigent ut benevolentia ejus hanc largiatur; — *per redemptionem*, indicatur causa meritoria, ἀπολύτρωσις proprie significat liberationem quæ facta est soluto pretio: peccator enim est captivus peccati (2 Cor. XI, 27; Jac. II, 10), pretium autem solutum est sanguis Christi, ut patet ex sequentibus; hæc redemptio peracta est *in Christo Jesu*.

Quomodo peracta sit, explicatur in v. 25: *quem proposuit*, i. e. hominibus palam exhibuit *Deus propitiationem* ἱλαστήριον, quæ vox non ut masculinum nomen adhibenda est ac si valeret *propitiatorem* (ita plures latini interpretes), sed ut substantivum neutrum; neque hic significat operculum arcæ fœderis quod typum gessit Christi futuri propitiatoris (ita plerique Græci), nam Paulus in hac sententia certe scripsisset: quem exhibuit Deus verum propitiatorium; sed vel sacrificium propitiatorium (ita Beelen, Bisping etc.) vel forsan melius modo magis indeterminato medium propitiatorium (ita Vulg. intellexit). Porro vis propitiatoria

hujus medii exeritur quidem non mediante opere quodam externo sicut in Veteri Testamento, sed *per fidem,* mediante fide (est conditio sine qua non a parte hominum ut participes fiant hujus propitiationis); fundatur autem non in sanguine animalium sicut in Veteri Testamento, sed *in sanguine ipsius*, juxta græcum melius cum emphasi: in ipsius sanguine. Si nolumus ex voce ἱλαστήριον deducere cum Beelen mortem Christi fuisse verum sacrificium, hæc tamen sententia continetur in verbis *in sanguine ipsius* et in implicita comparatione cum antiquis sacrificiis.

Cur autem proposuit Deus? Paulus dicit: *ad ostensionem justitiæ suæ;* justitia Dei hic non intelligenda est illa qua Deus hominem justum facit (S. Thom.), hæc enim passione Christi non est demonstrata sed promerita; sed attributum ipsius Dei, quodnam vero attributum designetur, disputatur inter interpretes: alii enim intelligunt fidelitatem (ita Ambrosiaster), alii cum Theodoreto benignitatem, alii v. g. Beelen sanctitatem, alii tandem et quidem melius justitiam proprie dictam, quæ exigebat ut peccatum aut puniatur aut per condignam satisfactionem expietur.

Sequitur parenthesis qua indicatur necessariam fuisse hanc ostensionem: *propter remissionem*, διὰ τὴν πάρεσιν melius verteretur propter prætermissionem sive neglectionem *præcedentium delictorum,* sunt peccata tum Judæorum tum Gentilium ante adventum Christi commissa; quæ prætermissio fundata erat *in sustentatione* ἐν τῇ ἀνοχῇ i. e. in longanimitate *Dei*. Hucusque Deus peccata toleraverat seu impunita vel saltem absque adæquata punitione reliquerat; ne vero homines inde concludant Deum non exercere justitiam erga delicta, statuit Deus nunc tandem hanc justitiam palam ostendere.

Ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore: est epanalepsis sive reassumptio verborum præcedentium *ad ostensionem justitiæ suæ;* quod autem additur *in hoc*

tempore, illud opponitur præteriti temporis tolerantiæ, nunc enim non jam tolerabit. Huic *ad ostensionem justitiæ* adnectitur sequens explicatio *ut* ex una parte *sit ipse justus* i. e. appareat justus (cf. vv. 4, 19), justitia ut diximus, exigebat vel punitionem vel condignam satisfactionem; *et* ut ex altera parte sit *justificans eum qui est ex fide Jesu Christi* sive credentem in Jesum: id exigebat ut abstineat a punitione et statuat aliquod medium expiationis, etenim si punire voluisset, omnes punire debuisset, nam omnes peccaverant et sic non jam potuisset aliquem justificare.

Ex supra dictis habemus justificationis causam efficientem esse *benevolentiam Dei*, seu, quia causa proprie est id quod agit, Deum benevolum; causam meritoriam *redemptionem quæ est in Christo*, seu Christum redimentem; causam instrumentalem *sanguinem Christi* i. e. effusionem ejus sanguinis, maxime vero mortem; conditionem sine qua non *fidem;* finem denique *ostensionem justitiæ divinæ* sive modo magis generali manifestationem gloriæ Dei.

A. D. B.

II

Q. *Expone quid importet perfecta æqualitas divinarum Personarum.*

R. Perfecta æqualitas divinarum Personarum *supponit* Earum ab invicem *distinctionem; formaliter* significat inter illas divinas Personas *nihil majus aut minus, nihil prius aut posterius* (1) inveniri; *materialiter* autem significat (2) unam eamdemque divinam et infinite perfectam essentiam communem tribus *relationibus* realiter distinctis et se invicem ponentibus.

(1) Ex symbolo S. Athanasii.

(2) De *formali* et *materiali* significatione alicujus vocabuli, v. supra p. 375.

Explicatur. 1. Æqualitas *proprie* dicitur de quantitate proprie dicta, scilicet de *extensione corporali,* quæ dicitur quantitas *molis*. Sed sicut quantitas metaphorice dicitur de perfectione essentiæ et virtutis operandi, ita etiam æqualitas (1).

Seposita igitur æqualitate *molis,* de qua in immaterialibus, et maxime in divinis, sermo esse nequit, unice consideramus *æqualitatem perfectionis.*

Imprimis evidens est æqualitatem *supponere distinctionem* eorum quæ dicuntur æqualia: non enim aliquid sibimetipsi dici potest æquale.

2. a Æqualia autem in perfectione dicuntur ea quæ ita perfectionem in se habent ut in nullo eorum perfectio major aut minor quam in aliis inveniatur (2).

Æqualitas est *absoluta* quando quidquid perfectionis inest pluribus, æqualiter omnino in his invenitur; æqualitas vero est *relativa* quando hæc habetur tantum respectu alicujus perfectionis partialis et specialis: hæc verificaretur v. gr. si duo homines eodem gradu gratiæ sanctificantis donarentur: tunc essent æquales in gratia.

Quando agitur de divinis personis, sermo est de æqualitate omnino *absoluta.*

b) Æqualitas absoluta significat præterea quod inter illa quæ sunt æqualia nihil sit *prius* aut *posterius.* Triplex distinguitur prioritas et consequenter posterioritas: prioritas *durationis* vel *temporis*, — *naturæ*, — *rationis* seu secundum intellectum (3).

Prioritas durationis habetur quando una res existit *ante* aliam rem.

Prioritas *naturæ* habetur quando aliquid est in ordine *ontologico* faciens ut aliquid aliud sit: hæc igitur prioritas habetur inter *causam* et *effectum.*

Prioritas *rationis* habetur quando aliquid in ordine

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, T. VII, p. 358.

2 « Æquale dicitur quasi per negationem majoris et minoris » S. Thomas, I, Q. XLII, a. 1; cf. Cajetanus, Comm. in h. l.

3 Cf. Ill. ac Revs Waffelaert, *Meditationes theologicæ*, *Collat. Brug.*, T. III, p. 602.

logico est necessario ratio cur aliud cognosci possit. V. gr. essentia divina, secundum sententiam S. Thomæ (1), est necessario medium objectivum cognoscendi alia a Deo distincta: inde inter terminos cognitionis divinæ, nempe essentiam divinam et res a Deo distinctas, datur prioritas rationis: essentia divina est objectum *primarium*, res aliæ sunt objectum *secundarium* divinæ scientiæ.

Nulla prioritas habetur inter divinas personas: nulla enim existit *ante* aliam: sunt enim *coæternæ*. Præterea nulla est *causa* alterius: quum in Deo non sit processio *operationis* ad intra, sed tantum processio *per modum operati* (2).

Tandem nulla necessario præintelligitur ut possit intelligi alia: Personæ enim, si adæquato conceptu intelligantur, sunt subsistentes *relationes* originis inter se oppositæ: igitur « Personæ sunt correlativæ, et relativa sunt simul non solum natura sed etiam intellectu (3); « non enim intelligitur Pater nisi Pater Filii, nec Filius nisi Patris; nec intelligitur Pater et Filius, nisi principium spirans Spiritum sanctum, nec Spiritus sanctus nisi procedens a Patre et Filio: re quidem vera, non est nec intelligitur Pater, nisi communicans Filio omnes perfectiones et rationes formales, sola excepta ratione formali Patris et Filii, adeoque Filius habet a Patre communicatam naturam divinam etiam sub formali ratione spirationis activæ, adeoque tam intelliguntur Pater et Filius principium spirans Spiritum sanctum quam intelliguntur vere Pater et vere Filius, nec porro intelligi possunt Pater et Filius ut vis spiratrix nisi simul intelligatur Spiritus procedens (4) ».

---

(1) Cf. S. Thomas, I, Q, XIV, a. 5; Ill^s ac Rev^s Waffelaert, op. c., T. IV, p. 439; Billot, *De Deo Uno et Trino,* Romæ, 1897, p. 177; Buonpensiere, Commentaria in I P. S. Th. Romæ, 1902, p, 568.

(2) Cf. supra, p. 260.

(3) Billot, op. c.. p. 587.

(4) Ill^s ac Rev^s Waffelaert, op. c., T. III, p. 602.

3. Remanet ut videamus *qua in re verificetur* ratio formalis æqualitatis statim exposita.

a Quod in divinis Personis *nihil* sit *majus aut minus in perfectione,* hoc verificatur quia tres habent unam eamdemque naturam infinite perfectam : licet enim sit « alia persona Patris, alia Fillii, alia Spiritus sancti » tamen « Patris et Filii et Spiritus sancti una est divinitas » (1), h. e. una essentia divina.

Quum autem hæc divina essentia sit infinite perfecta (2), patet tum Patrem, tum Filium, tum Spiritum sanctum esse infinite perfectum, consequenter singulas Personas esse æqualiter, nempe infinite, sapientes, sanctas, potentes, immensas, et quidquid perfectionis simplicis habetur ; præterea quum *principium quod operationis* ad extra in Deo sit essentia divina (3) patet singulas Personas esse æqualiter creantes, conservantes, gubernantes res factas.

b Quod autem inter divinas Personas *nihil prius aut posterius* inveniatur, hoc verificatur quia unica divina essentia eatenus est communis tribus quatenus in ea subsistunt tres *relationes* originis ab invicem realiter distinctæ, nempe Paternitas, Filiatio, Spiratio (passive accepta). Pater est paternitas subsistens ipso esse divino, Filius est filiatio subsistens ipso esse divino, Spiritus sanctus est spiratio (passive accepta) subsistens ipso esse divino : relationes autem sunt omnino *simul* tum secundum naturam, tum etiam secundum intellectum. (4).

J. V. D. M.

---

(1) Ex symbolo S. Athanasii.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, T. VII, p. 513.

(3) Cf. supra, p. 93.

(4) Suarez De SS. Trinitatis Mysterio. L. IV. c. 15, n. 6 et sqq., post Scotum admittit inter divinas personas *prioritatem* originis : licet, ut ait Suarez, hæc sit « quæstio de nomine, in qua immorari non est necesse », tamen nulla affertur solida ratio cur recedatur a modo loquendi adhibito in symbolo S. Athanasii, et a modo loquendi et rem explicandi tradito a S. Thoma.

III

Q. *Ostende quomodo peccatum mortale necessariò inducat reatum* pœnæ æternæ, *et quidem* damni *et* sensus.

R. Jam de altero reatu dicendum, qui in anima ex actu peccati relinquitur, videlicet de *reatu pœnæ*. Hic nihil aliud est quam obligatio ad pœnam, ut habetur in II, Dist. 42, q. 1, a. 2, et sedulo distingui debet a punitione ipsa: hæc enim interdum non sequitur peccatum, si np. reatus solvatur antequam veniat tempus luendi pœnam. Porro fide certum est peccatum mortale (personale) inducere reatum pœnæ æternæ, et quidem damni et sensus; nunc, supposito fidei dogmate, quæri potest utrum peccatum mortale *necessariò* hujusmodi reatum inducat, id est ex se et intrinseca sua malitia. Hujus quæstionis solutio haud difficulter colligitur ex iis quæ *suprà* p. 334 sqq. de natura peccati mortalis exposuimus.

A. *Peccatum mortale necessariò inducit reatum* pœnæ æternæ. « Principium totius argumentationis hinc sumendum est, quod quidquid moralitatis ordinem irreparabiliter pervertit, interminabilis etiam pœnæ reum hominem efficere debet, in foro utique illius ad quem spectat ordo moralitatis sive ultimi finis, id est, in foro Dei » (1). Etenim, ut habet S. Thomas, 1-2, q. 87, art. 3, in corp., « Sicut supra dictum est (art. 1), peccatum ex hoc inducit reatum pœnæ, quòd pervertit aliquem ordinem; manente autem causa manet effectus: unde quamdiu perversitas ordinis remanet, necesse est quòd remaneat reatus pœnæ »; si igitur irreparabiliter remanet perversitas ordinis, interminabiliter remanet reatus pœnæ.

Atqui peccatum mortale *quantum est de se* irreparabiliter pervertit ordinem moralitatis: subtrahit enim ipsum principium ordinis, quo voluntas subditur Deo

1 Billot. *De natura et ratione peccati personalis*, Romæ 1897, p. 83.

ut fini ultimo, id est, gratiam et charitatem (1); subtracto autem ipso principio ordinis, nihil relinquitur in homine quo ordo reparari possit (2), et ideo « erit inordinatio quantum est de se irreparabilis, etsi reparari possit virtute divina » (3). Ergo ex natura rei consequitur reatus pœnæ interminabilis seu æternæ (4).

Confirmatur doctrina proposita ex ratione ultima cur de facto puniantur pœnis æternis damnati: quamdiu liberum hominis arbitrium remanet naturaliter flexibile a malo ad bonum (5), tamdiu virtus Dei ipsum movet per actualem gratiam ad reparationem habitualis gratiæ et charitatis, et sic peccatum mortale semper manet reparabile in statu viæ; sed ubi ponitur in eo statu in quo amplius mutabile non est ab uno fine ad alium, np. in statu termini, qui nihil aliud est quam status mansionis sive immobilizationis in fine, tunc absolute subtrahitur motio gratiæ, et sic, quia immobiliter et æternaliter jam perseverat ex quadam insita rerum necessitate perversitas ordinis, pœna de facto infligitur in æternum duratura (6).

---

(1) Vide *suprà*, p. 335 sqq.

(2) Apposite Angelicus, *l. cit.:* « Semper enim defectus, quo subtrahitur principium, irreparabilis est; si autem salvetur principium, ejus virtute alii defectus reparari possunt: sicut si corrumpatur principium visivum, non potest fieri visionis reparatio, nisi sola virtute divina; si verò salvo principio visivo, aliqua impedimenta adveniant visioni, reparari possunt per naturam vel per artem ». Simili modo loquitur Billuart, *Tract. de peccatis,* Diss. VII, art. 4, § 2: « Peccatum mortale tollit gratiam, quæ est principium vitæ spiritualis, sicque se habet ut mors animæ... Atqui mors non est reparabilis nisi per miraculum... »

(3) S. Thom., *l. cit.*

(4) Billot, *l. cit.* Cf. etiam Billuart, *l. cit.*

(5) Hæc mobilitas quoad finem ultimum non habetur, nisi *per accidens*, videlicet ratione conjunctionis cum corpore: ex mobilitate enim corporis mutatur et dispositio animæ, fitque ut recedat ab eo in quo prius fixa permanebat, et vice versa. Cf. Billot, *op. cit.*, p. 89.

(6) Billot, *op. cit.*, p. 87 sqq., ubi bene notatur damnatos non ideo obstinari in malo quia addicuntur pœnis æternis, sed e converso, ideo luere pœnas æternas quia, voluntate eorum in malo confirmata, moralis inordinatio, quam mortale peccatum induxit, semper duret necesse est.

B/ *Reatus pœnæ æternæ inductus per peccatum mortale debet esse in primis reatus* **pœnæ damni.** Qui enim peccat contra legem contemnendo finem legis, debet secundum justitiæ regulam amittere beneficium finis. Atqui peccans mortaliter contemnit, sive signate sive exercite, finem legis æternæ, Deum np. verum ultimum finem, sese ab eo voluntarie avertendo (1). Fert igitur æquitas ut amittat beneficium seu fruitionem istius finis. Sed amissio alicujus boni non est vera amissio, nisi sit definitiva et perpetua privatio ejus; necesse igitur est ut peccato mortali ex parte aversionis, respondeat pœna privationis perpetuæ summi illius boni, in cujus possessione sita est hominis beatitudo, et in quo pœnam damni dicimus consistere (2).

C/ *Conjungi deinde debet reatus* **pœnæ sensus.** Ratio iterum fluit ex ipsa intrinseca indole peccati. Etenim pœna proportionata esse debet culpæ; per culpam autem, non solum avertitur homo a fine ultimo, sed etiam indebite convertitur ad bonum commutabile, et licet a Deo se avertat per hoc quod inordinate fruatur bono creato (3), hæc duo tamen ratione distinguuntur et duplicem important inordinationem. Unde non solum puniendus est peccator pœna damni, quæ respondeat aversioni, sed etiam pœna sensus, quæ respondeat conversioni inordinatæ ad bonum creatum (4).

H. M.

---

(1) Vide *suprà*, p. 335 sqq.

(2) Billot, *op. cit.*, p. 84. — Ita S. Thomas, *l. cit.*, art. 4, in corp.: « Ex parte igitur aversionis respondet peccato pœna damni.... »; et *Contra Gent.*, L. III, c. 144 (al. 145).

(3) Vide *suprà*, p. 337.

(4) Cf. Billot, *op. cit.*, p. 85; Billuart, *l. cit.*, § 1. — Iterum S. Thomas, *l. cit.*: « Ex parte autem inordinatæ conversionis respondet ei [peccato] pœna sensus »; et *Contra Gent.*, L. III, c. 145 (al. 146).

IV

Q. *Da notionem peccati venialis actualis.*

R. *Peccatum veniale ex parte substantiæ actus convenienter definitur: dictum vel factum vel concupitum præter legem æternam; ex parte verò defectus seu privationis, moralis deordinatio consistens vel in indeliberata conversione ad quodlibet objectum per legem æternam prohibitum, vel in deliberata inhæsione ad medium quod finem Deo oppositum non inducit, et tamen ad Deum non est referibile* (1).

Explicatur.

« Dicendum quod, ait S. Thomas (2), peccatum veniale a *venia* dicitur ». Tripliciter autem, addit, peccatum aliquod potest denominari a venia; omisso duplici modo priori, dicitur veniale proprie, ut in præsenti, quatenus non excludit principium veniæ totalis, « ex eo quod non tollit ordinem ad ultimum finem ». Post dicta de notione peccati mortalis, satis erit quædam breviter notare ad explicandam definitionem positam.

I. *Ex parte substantiæ actus.* Vide *suprà*, p. 334 et sq. — Adverte indicari defectum rectitudinis, qui involvitur in actu peccati venialis, his verbis: *præter legem æternam*, id est præter, non contra finem ultimum quem respicit lex. Peccatum veniale « non est *contra* legem, quia venialiter peccans non facit quod lex prohibet, nec prætermittit id ad quod lex per præceptum obligat; sed facit *præter* legem, quia non observat modum rationis quem lex intendit » (3). Hoc jam explicavimus *suprà* p. 336, et melius adhuc patebit ex statim dicendis.

II. *Ex parte defectus seu privationis.* Propria ratio malitiæ moralis, quæ invenitur in peccato veniali, est

(1) Cf. Billot, *op. cit.*, p. 111.
(2) 1-2, q. 88, art. 2.
(3) S. Th., *l. cit.*, art. 1, ad 1.

quod sit *moralis deordinatio citra tamen aversionem a Deo fine ultimo*, sicque condividitur contra mortale. Quod autem actio aliqua, etsi irreferibilis in Deum, et pro tanto peccatum, nihilominus aversionem a Deo non contineat, et pro tanto sit solummodo veniale, hoc contingere potest duplici modo:

a) *ex parte subjecti*, ratione imperfectæ voluntarietatis, quando actus non procedit ex plena advertentia intellectus vel pleno consensu voluntatis. Voluntas enim non avertitur a Deo nisi adhærendo creaturæ, signate vel exercite, ut fini ultimo, id est tamquam supremo diligibili, quod sit ratio diligendi cetera; hoc autem fieri nequit nisi per actum plene voluntarium. Unde « ex parte agentis contingit quòd aliquod peccatum quod suo genere est mortale, fit veniale, propter hoc scilicet quòd actus est imperfectus » (1), et vocari consuevit *veniale ex imperfectione actus*.

b) *ex parte objecti*, quod non est contra, sed tantummodo *præter* ordinem finis ultimi. Sunt videlicet aliqua quæ ex natura sua essentiam ordinis non tollunt, quia nec immediate sunt contra ipsum Deum, nec etiam mediate, quatenus bonum humani convictus aut charitatem hominis ad seipsum graviter non lædunt, sed utrumque quoad substantiam illæsum relinquunt; quæ proinde lex Dei non prohibet *intentione primaria;* quæ tamen aliquam inordinationem involvunt, vel quia nonnihil tollunt de reverentia erga res divinas, vel quia debitæ proximo charitati et justitiæ quadantenus detrahunt, vel certe quia justa necessitate necnon et pia utilitate carent, sicut leve furtum, mendacium officiosum, ludus superfluus, et alia similia: hæc prohibet lex Dei *intentione secundaria* tantum, et sunt peccata *venialia ex genere suo*. Itaque in his aliqualis ratio malitiæ moralis invenitur, non tamen inducens aversionem a Deo, quia quantum est ex natura objecti, aliquid admittitur quod non est referibile in Deum, sed tamen non inducit

(1) S. Th., *l. cit.*, art. 2 in corp.

finem Deo oppositum; habetur tamen vera inordinatio, cum voluntas faciat aliquid, quod nequit ad Deum referri, ad quem nos et omnia nostra referre tenemur (1).

Notandum, quod etiam monebamus *suprà* p. 338, duplicem definitionem non esse nisi duplicem modum enuntiandi unam eamdemque peccati venialis quidditatem: peccatum enim veniale, cum sit *verum* peccatum, licet imperfectum, nequit existere sine duplici elemento, quod est voluntarietas et deordinatio.

H. M.

V

Q. *Quæritur utrum aliquando licita sit cooperatio positiva stricte sumpta ad peccatum alterius. Explica.*

R. *Cooperatio formalis* suprà definita (2) *semper est illicita. Cooperatio materialis immediata* (3) *generatim etiam est illicita utpote peccatum ejusdem speciei ac peccatum operantis principalis; cooperatio materialis mediata per se eodem modo illicita est et præterea sæpe conjungitur cum peccato scandali. Dicitur per se: potest esse licita dummodo a) ipsa actio, per quam fit cooperatio, sit ex se bona vel saltem indifferens, et b) adsit causa sufficiens cooperandi* (4).

Explicatio. 1) *Cooperatio formalis est semper illicita*: qui enim malæ voluntati agentis principalis consentit,

---

(1) S. Th., *l. cit.*, Cf. Billot, *op. cit.*; p. 107, coll. p. 33; et *suprà*, p. 336. — Si quæratur *ad quem finem ultimum* referatur actus levitur peccaminosus, dicendum est quod ad nullum finem ultimum *determinatum* refertur, sed ad finem *indeterminatum*, qui est bonum in genere: quatenus volumus aliquid, non ut summum appetibile, ex solo desiderio boni in genere, parati interim illud relinquere potius quam aliud principalius amatum amittere Cf. Billot, *op. cit*, p. 110 sqq.

(2) Vide *suprà* p. 383.

(3) Vide *suprà* p. 382 s.

(4) Cfr. Exim. Bouquillon, *Tract. de Virt. theol.* Brugis 1878, n. 549 ss. — Ill^m ac Reverend^m Waffelaert, *Annot. in Tract. de Virt. theol.*, n. 549 ss.

ejus peccatum vult, adeoque peccat contra præceptum quod prohibet actionem principalis agentis.

2/ *Cooperatio materialis immediata generatim etiam est illicita :* quæ enim prohibentur principaliter agenti, eadem ob paritatem rationis prohibentur ejus coadjutoribus; talis ergo cooperatio est *peccatum ejusdem speciei ac peccatum operantis principalis.* Dicitur « *generatim* », quia non pauci haud improbabiliter *exceptionem* admittunt pro iis actionibus quæ sunt proximo nocivæ in bonis fortunæ; existimant enim contingere posse ut gravissime peccet damnificator principalis, et tamen a culpa immunis sit ille qui, metu mali ingentis (mortis, mutilationis, gravis infamiæ etc.) pressus, invitus damnificationi immediate participat; ut servus v. g. qui jussu domini, ipsi mortem minantis, alterius segetem destrueret. Causa enim cooperandi in casu hujusmodi efficit ut, relate ad cooperatorem invitum, objectum formale actus mutetur, nempe per *subtractionem materiæ,* uti aiunt. Ut dicit S. Alphonsus (1): « tunc dominus tenetur consentire, ut adhuc cum jactura suorum bonorum tu vitæ aut honori tuo consulas; aliàs esset irrationabiliter invitus ». Et Molina (2) docet: « quantum fas est cuique in extrema necessitate sumere de bonis aliorum ad conservandam propriam vitam, tantum damnum fas erit (ejusmodi captivis) inferre bonis aliorum, ad vitam tuendam ». — Cum peccato cooperationis potest facile jungi *scandalum* erga operantem principalem : ità peccaret tùm contra virtutem ad quam violandam concurrit, tùm contra charitatem scandalo indirecto cooperans qui, operam recusando, peccatum proximi impedire valeret (3).

3/ *Cooperatio materialis mediata per se eodem modo illicita est :* prohibetur scil. eadem lege qua prohibetur opus principale. Quod enim statuitur de fine, statuitur similiter de mediis in hunc finem, proportione servata.

(1) *Theol. Mor.*, Libro IV, n. 571.
(2) Tract. II, dist. 105, concl. 5.
(3) Cfr. Bouquillon et Ill^m ac Reverend^m Waffelaert, *ll. cc.*

Præterea hujusmodi cooperatio mediata, etiamsi remotior, sæpe conjunctum habebit scandalum indirectum ità ut etiam sit peccatum contra charitatem. Nunquam tamen contra charitatem solam peccat, nisi jam deficiente cooperatione proprie dicta, ità ut sit solum scandalum indirectum (1).

4. *Licita tamen est cooperatio materialis si duæ conditiones verificentur:*

a. *ipsa actio per quam fit cooperatio debet ex se, i. e. abstractione facta a cooperatione, esse bona vel saltem indifferens.* Si enim hæc actio in se esset mala, per se reatum induceret atque illicita foret. Verùm ista actio qua est cooperatio ad actum malum, est secundum speciem male sonans: importat nempe deformitatem seu inordinationem, quæ quibusdam circumstantiis advenientibus abstergi debet. Adeoque requiritur

b. *ut adsit causa sufficiens cooperandi,* quæ evadat finis operantis quæque deformitatem finis operis seu cooperationis abstergere possit, saltem cum aliis circumstantiis advenientibus. Tota igitur quæstio de liceitate cooperationis materialis huc redit, ut scil. finis operantis seu justa causa agendi conferatur cum fine malo operis et efficacia cooperationis (2). Quando autem utraque conditio suprà posita verificatur, licita est cooperatio materialis, quia applicari potest in casu regula sequens: *licet ponere causam in se bonam aut indifferentem quæ habet duplicem effectum saltem æque immediatum, unum bonum (finem operantis) alterum malum (finem operis), modo finis operantis sit causa proportionate gravis agendi et pravum effectum permittendi* (3).

Tunc enim pravus effectus (peccatum proximi) jam nullo modo est voluntarius cooperanti adeoque nullo modo ipsi imputabilis. Non est voluntarius *in se:* etenim

---

(1) Cfr. Ill^tus ac Reverend^tus Waffelaert, *o. c.*, n. 551.

(2) Cfr Ill^mus ac Reverend^mus Waffelaert, *Étude de théol mor. sur la Coopération*, Bruges 1883, p. 25 et 13-15.

(3) Cfr. Bouquillon, *Theol. mor. fund.* II^a ed., n. 322 et 365 ss. — III^a ed., n. 328 et 371 ss. — *Coll. Brug.*, T. I, p. 287 s.

cooperans permissive se habet ad malam actionem principaliter agentis et intendit solum effectum bonum; non est voluntarius *in causa:* adest enim ratio proportionate gravis causam seu cooperationem ponendi et pravum effectum permittendi.

Dicitur autem *ratio seu causa proportionate gravis.* Nam, cùm obligatio dictam cooperationem vitandi consurgat ex obligatione virtutis, cui opponitur proximi peccatum, et obligatio omnis virtutis non sit æqualis, sed quædam magis, quædam minus obliget; neque cooperationes pares sint sed quædam magis, quædam minus ad peccatum accedant: insuper nec æqua semper certitudo sit, te non cooperante, alterum non peccaturum, ideo non semper æqualis causa erit proportionata ad hanc cooperationem præstandam, sed quandoque major quandoque minor erit necessaria (1).

Quænam igitur sit ratio proportionate gravis sufficiens ad cohonestandam cooperationem certa regula definiri non potest, sed prudenti arbitrio agentis vel consulentis metienda est in singulis casibus particularibus. In genere autem hoc tantum statuere possumus: eo gravior requiritur causa excusans, attenta ejus natura, adjunctis necnon sequelis, quo gravior est cooperatio; in specie 1° quo gravius est peccatum ad quod concurritur, inspectis ejus natura, circumstantiis, jure tertii ac bono publico; 2° quo propinquior et efficacior est cooperatio et quo probabilius est, te non cooperante, alterum non esse peccaturum.

Multùm quidem ad exercendum et expoliendum practicum judicium prudentiæ, juvabit vidisse solutionem plurium casuum in variis materiis traditam a viris prudenti scientia et auctoritate pollentibus (2).

A. C.

---

(1) Cfr. Bucceroni, *Instit. Théol. mor.*, Romæ 1893, Vol. I, n. 440.

(2) Vide ex. g. Ballerini-Palmieri, *Opus theol. mor.*, vol. II, (Prati 1890), p. 192 ss. — Lehmkull, *Theol. mor.*, vol. I, n. 651 ss.; — præsertim autem Ill^mi ac Reverend^mi Waffelaert, *Étude de théol. mor. sur la Coopération*, Bruges 1883, p. 13 ss.

VI

Q. Quænam sumi debent secunda et tertia oratio in missis votivis privatis?

R. **Prænotanda**: a/ hic agitur de missis votivis privatis, quatenus distinguuntur a votivis solemnibus pro re gravi et publica Ecclesiæ causa (1), necnon a votivis privilegiatis, quæ vi rubricarum vel ex indulto speciali, propter causam non publicam vel omnino gravem sed convenientem, aliquando ad instar votivæ solemnis celebrantur (2); — b/ et quidem quæstio est de votivis non conformibus officio, non autem de illis quæ respondent officio recitato, vi indulti apostolici 5 julii 1883 pro singulis diebus hebdomadæ liberis concesso, et quæ stricte votivæ dici nequeunt (3). c/ In missis votivis privatis, juxta rubr. gen. miss. tit. IX, 14, plures orationes dicuntur, « ut in festis simplicibus ». Jamvero, ut disponit rub. 12, « in simplicibus.... dicuntur tres ut in semiduplicibus, aut quinque; possunt etiam dici septem ad libitum ». (4) Prima autem oratio semper est oratio ipsa substantialis missæ; juxta quæstionem autem positam hic determinandum tantum est quænam sit secunda et tertia dicenda.

Jamvero missa votiva privata seu ex privata causa potest esse lecta, vel cantata seu solemnis.

I. Si sit lecta: 1° pro secunda oratione sumitur ea quæ officio diei correspondet juxta dispositionem rubr. gener. tit. VII, 3: « quando infra hebdomadam dicuntur missæ votivæ, post primam orationem semper dicatur oratio ejus, de quo fit Officium ».

Unde si officium fiat hac die de festo semiduplici, secunda oratio erit de hoc festo; si de die infra octa-

---

(1) Vide supra p. 221.
(2) Vide supra p. 184.
(3) *Collat. Brug.* 1896, p. 403, nota 3.
(4) *Collat. Brug.* 1896, p. 492.

vam erit de octava, etiamsi, occurrente aliqua feria majori vel vigilia, missa diei juxta rubr. gen. Tit. III, 2, non sit de octava sed de feria aut vigilia (1). Attamen si in feria tertia Rogationum officium fit de feria, in quacumque votiva quæ celebratur, secunda oratio non erit de Dominica præcedente (licet dicatur in officio) sed de Rogationibus. (2)

2° Tertia oratio dicitur ea quæ in missa respondente officio diei, secundo loco dici debuisset, nempe commemoratio specialis si occurrit, alias commemoratio communis. Si ergo in officio diei una tantum commemoratio specialis facienda est, hæc in votiva recitabitur pro tertia oratione. Si autem plures præscribuntur in officio et missa diei, hæ omnes et *eodem ordine* in votiva dicendæ sunt et consequenter tertia oratio erit prima ex his commemorationibus; v. gr. si officium recitatur semiduplex et occurrunt commemorationes octavæ, feriæ adventus et simplicis cum primo loco veniat commemoratio octavæ, hæc in votiva ut tertia oratio ponitur.

Si autem nulla commemoratio specialis occurrit, tertia oratio erit commemoratio communis et quidem *generatim* illa, quæ in missa diei ut secunda præscribitur pro varietate missæ vel temporis. Unde, v. gr., si missa votiva celebratur infra octavam B. M. V. die quo recitatur officium ritu semiduplici de eadem octava, cum in missa diei secunda oratio assignetur de Spiritu Sancto, hæc tertio loco dicenda est in votiva. Quod confirmatur decreto 6 febr. 1892, ad XII. Ad quæstionem enim: « Anne in missa votiva SS. Trinitatis infra aliquam octavam B. M. V., tertia oratio dicenda sit de Spiritu Sancto? Resp. Affirmative (3). »

---

(1) Cfr. *Collat. Brug.* 1902, p. 593.

(2) De Herdt I, n° 44; Ill. Van der Stappen, *de rubr. miss.*, q. 246.

(3) Decretum citatum quod in nova Collectione authentica sub n° 3764 legitur, confirmat doctrinam quam in *Collat. Brug.* 1900, p. 316, præsertim in subjecta nota sustinuimus, scilicet in votivis (etiam pro sponsis)

Dicimus orationem communem tertio loco dicendam *generatim*, non semper, esse illam quæ in missa diei pro secunda oratione præscribitur ; quia singulare quid habetur pro quibusdam missis votivis. Ita a) juxta dispositionem rubr. tit. IX, 15 « in missis votivis B. M. V. secunda oratio dicitur de officio illius diei et *tertia de Spiritu Sancto* ». Quæ oratio semper loco alterius communis dicitur. Specialis autem hæc rubrica observanda est in quacumque votiva de B., etiam in votiva Septem Dolorum vel Immaculatæ Conceptionis. — b) Si missa votiva communis de SS. Apostolis Petro et Paulo celebratur, eo tempore anni quo « ponitur Oratio *A cunctis*, ejus loco dicitur Oratio de Sancta Maria *Concede nos famulos* » (*eadem rubr. cit.*). — c) « In missa votiva Omnium Sanctorum tertio loco semper dicitur pro commemoratione communi Oratio *de Spiritu Sancto*, quæ secunda est infra octavam Omnium Sanctorum, quando dicitur missa de die infra octavam ». (Ill. Van der Stappen, l. c., q. 246).

Regulæ datæ, tam de secunda quam de tertia oratione dicenda, aliæ quædam notandæ sunt exceptiones : a) In missa votiva de solo S. Petro dicenda est secunda oratio de S. Paulo, et in missa votiva de S. Paulo secunda oratio S. Petri; tertio autem loco in casu veniet oratio quæ officio diei correspondet. b) Aliquando propter indentitatem mysterii, omitti debet commemoratio officii recitati, quo casu tam secundo quam tertio loco orationes aliæ occurrentes, sive sint commemorationes speciales, sive communes, dicendæ sunt. Ita, si quis recitavit feria V officium votivum de SS. Sacramento, aut ferta VI officium

---

quæ infra octavas vel in vigiliis celebrantur, tertiam orationem (nulla occurrente speciali commemoratione) sumendam non esse illam communem de Beata. vel *A cunctis* etc. quæ in semiduplicibus extra octavas vel vigilias pro varietate temporis assignatur, sed illam dicendam esse quæ pro octava vel vigiliis præscribitur in Rubr. gen., tit. IX, 9. Cfr. Ill. Van der Stappen, l. c., edit. altera 1902, q. 244, nota I. 2° et q. 306.

votivum de Passione Domini et celebrat votivam de SS. Corde Jesu, ob identitatem mysterii recitare non potest secundo loco orationem officio diei correspondentem, nempe de SS. Sacramento aut de Passione Domini, et si non occurrunt aliæ commemorationes speciales, secunda oratio sicuti et tertia dicenda est de tempore (1). Identitas autem mysterii habetur in officiis SS. Sacramenti, Passionis, Crucis, SS. Redemptoris, SS. Cordis Jesu et Pretiosissimi Sanguinis. c) « Si contingat missam votivam privatam dici de eo cujus commemoratio in missa propria diei fit, patet quod in missa votiva hæc commemoratio omittatur, ne bis de eodem dicatur oratio, et tunc tertio loco dicetur ea oratio quæ in missa diei tertia præscribitur » (2). d) Si de titulari Ecclesiæ celebratur votiva et occurrit eo tempore dicenda tertia oratio *A cunctis*, hujus loco dicitur oratio « ad poscenda suffragia Sanctorum *Concede quæsumus* », vel in oratione *A cunctis* omittitur nomen Titularis. (3) Item in missa votiva S. Joseph omittitur ejus mentio in oratione *A cunctis* juxta rubricam particularem in missa de Joseph pro feria IV positam. e) In missa votiva de S. Familia videtur dicenda tertia oratio *de Spiritu Sancto*, loco commemorationis communis *A cunctis* vel alterius de B. M. V. (4).

Quæ hucusque dicta sunt valent pro missis votivis privatis lectis, **etiamsi celebraretur missa conventualis** de officio occurrente, quia de hac nulla est habenda ratio in celebratione missæ votivæ privatæ lectæ.

II. Pro casu autem quo missa votiva privata seu ex privata causa celebrata, cantetur aut cum extrinseca solemnitate fiat, decretum generale 30 junii 1896 (5) § IV: « de missis **votivis solemnibus ex causa non**

(1) Decret. 6 feb. 1892, n° 3764 ad XI.
(2) Ill. Van der Stappen, l. c., 244, nota II.
(3) Decr. 15 maii 1819, n° 2597 ad 3.
(4) Ill. Van der Stappen, l. c., q. 245.
(5) N° 3922.

publica celebratis » nº 2 ita statuit: « In ecclesiis quæ ad missam conventualem tenentur, si missa votiva solemnis *ex causa non gravi vel ex fundatione* celebretur, nunquam omittatur missa conventualis de die: *tunc vero in missa votiva (de qua agitur) fieri non debet commemoratio festi de quo missa conventualis celebrata fuit* » (1). Omittuntur a fortiori aliæ commemorationes speciales in eadem missa conventuali jam factæ (2). « In cæteris vero ecclesiis, si de festo currenti prius *alia missa celebrata non fuerit*, in missa votiva addantur tam oratio diei quam aliæ occurrentes ». Unde e contrario, si celebratur alia missa de festo, omittuntur eædem orationes. Uti jam notavimus supra (3), verba decreti « si de festo currenti prius alia missa celebrata non fuerit », si conferuntur cum decreto 7 Aug. 1875 ibidem citato, intelligenda videntur de missa *cantata vel solemni* de die, quæ conventuali aliquatenus æquiparari potest. Cum autem hic agatur in utroque casu in decreto proposito de missa votiva, quæ, quamvis cantata vel solemnis, non tamen pro re gravi seu publica Ecclesiæ causa celebratur, sequitur eam requirere numerum orationum qui in votivis privatis exigitur et consequenter præter orationem ipsius missæ duas saltem esse addendas. Si autem tum commemoratio de officio diei, tum aliæ commemorationes speciales omitti debent, dicuntur non solum tertio loco, sed etiam secundo, orationes communes pro respectivo tempore quo missa celebratur. (4)

H. V. D. W.

---

(1) Idem jam declaraverat *decr. 13 junii 1671, nº 1421 ad 2 et decr. 16 feb. 1737, nº 2327 ad 3.*

(2) Cfr. supra p. 186.

(3) p. 186, not. 2.

(4) Cfr. Ephem. liturg. 1901, p. 675.

Ex S. Congreg. Indulgentiarum

I

BONONIENSIS (Bologne).

Circa absolutiones impertiendas Monialibus Tertiariis.

A Confessariis quorundam Monasteriorum Sanctimonialium Tertii Ordinis in Archidiœcesi Bononiensi existentium huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ sequens dubium propositum fuit:

Sanctimoniales Tertiariæ alicujus Ordinis Regularis, jurisdictioni Episcopi subjectæ, quæ jus habent ad quasdam annuas absolutiones generales et benedictiones apostolicas suscipiendas, debentne hujusmodi favores spirituales obtinere ministerio confessarii ab Episcopo adsignati, aut ope Religiosi vel sacerdotis sæcularis deputati a superiore Ordinis respectivi?

S. Congregatio respondendum mandavit:

Affirmative quoad 1am partem, negative ad 2am.

Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. Congr. die 11 Februarii 1903.

A. Card. Tripepi, *Præf.*

L. ✠ S.

† Franciscus Sogaro, Archiep. Amiden., *Secret.*

II

RATISBONENSIS.

Circa transitum Tertiariorum de una ad aliam obedientiam.

Episcopus Ratisbonensis huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ exposuit, in sua diœcesi tertium Ordinem Sæcularem S. Francisci latissime

propagari, præserim tempore SS. Missionum, quæ promiscue habentur a trina Franciscalium familia, id est FF. Minoritarum, nec non Capuccinorum et Conventualium.

Ast hæc agendi ratio multiplicem dubitandi præbet occasionem: præsertim quoad conpatibilem Christifidelium in præfatum Ordinem et eorundem professionem. Siquidem sæpe accidit, ut qui sacerdos Directoris munus a familia ex. gr. Conventualium accepit, alio transferatur, ubi existit Congregatio Tertiariorum a familia Capuccinorum erecta: quo in casu dubitatur an hic eadem modo inibi exercere valeat facultatem ipsi tributam a familia Conventualium. Imo Tertiarii ipsi, qui ab aliqua prædictarum familiarum ad habitum et noviciatum recepti fuere, aliquandiu alio transmigrant, ubi franciscalium familia diversa ab ea, quæ eosdem ad habitum admisserat, reperiatur: poterunne Tertiarii isti valide ad professionem admitti ab hac familia?

Quam ob rem dubia dirimendi Ordo proposuit:

I. Utrum Christifidelis, qui fuerunt admissi ad novitiatum Tertii Ordinis Sæcularis S. Francisci in aliqua Congregatione, quæ subest jurisdictioni, puta, FF. Capuccinorum, si alio transmigrent, ubi existit Congregatio subjecta FF. Minoritarum, aut FF. Conventualibus, inibi professionem valide emittere possint?

II. Utrum parochus, vel quilibet alius sacerdos, qui erat præditus facultate, puta a FF. Minoribus, conpatendi Christifidelis in Tertium Ordinem sæcularem S. Francisci, si in alium locum pergat, ubi existit Congregatio subjecta FF. Capuccinis, denuo obtinere debeat facultatem ad præfatos eorus exercendos, vel uti ea valeat, qua primum potiebatur?

S. Congregatio, audita etiam Moderatorum Franciscalium familiarum sententia, quoad propositas quæstiones hæc in posterum servanda decrevit:

1° Ut novitii Tertiarii Sæculares S. Francisci professionem emittere valeant in congregatione alterius obedientiæ, seu diversæ de illa, in qua ad novitiatum fuerant admissi, si ita melius eorum commoditati provideatur.

2° Ut professi eadem de causa transire possint de una Congregatione ad aliam diversæ obedientiæ.

3° Ut parochus vel quilibet sacerdos alicujus Congregationis Tertiariorum moderator, si alio transferatur, ubi alia Congregatio diversæ obedientiæ reperiatur, eamdem regere possit, quin indigeat nova adprobatione; teneatur tamen hac de re certiorem facere visitatorem regularem, ut cum eodem negotia Congregationis gerere valeat.

Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. Congr. die 4 Martii 1903.

A. Card. Tripepi, *Præf.*

L. ✠ S.

† Franciscus Sogaro, Archiep. Amiden., *Secret.*

Adnotanda. — Primus Franciscalis Ordo, uti notum est, in tres dividitur familias, Fatrum Minorum scilicet, Fratrum Minorum Conventualium et Fatrum Minorum Capuccinorum; quarum singula constitutionibus gaudet specialibus et suprema regitur auctoritate Ministri Generalis sibi proprii et independentis.

Unaquæque autem familia gaudet et magno zelo utitur jure erigendi novas Tertii Ordinis confraternitates, quæ deinde obedientiæ et regimini superiorum hujusce familiæ subjacent. Aliunde tamen omnes Tertiariorum Franciscalium confraternitates ad unum eumdemque Tertium Ordinem pertinent. Unde exsurgit sponte quæstio quænam sint relationes inter confraternitates eorumque sodales et directores, quæ non ab eadem sed ab alia familia Franciscalium erectæ fuerunt et reguntur.

Nonnulla puncta antea jam certa videbantur. Ita a/ *visitatores* non possunt se ingerere in Tertiariorum sodalitiis quæ sunt alterius obedientiæ (1).

b/ « Sacerdoti v. gr. parocho, a superiore unius Ordinis Franciscalis debita facultate munito pro recipiendis fidelibus ad habitum et professionem Tertii

(1) Cf. Pet. Mocchegiani a Monsano. *Directorium Tertii Ordinis*. 1897, p. 65.

Ordinis sollicite eadem facultas pro admittendis fidelibus ad habitum et professionem Ord. Tertii Ordinis in aliquam determinatam quae obedientiae et dominioni alterius Ordinis Franciscalis subjacet [1]. Ad hanc quaestionem relatae dubium secundum Ill. ponentem, et eodem principio mutuo respectum sub 3° in praesenti decreto relatum.

2° Tertiarii qui dividas strictis publice religiant Benedictionem populi vel Benedictionem cum indulgentia plenaria non a Tertiario proprie congregationis, sed a Tertiario alterius congregationis Tertiariorum, quae obedientiae alterius familiae Franciscanae Ordinis volvet non idem privatae benedictio et indulgentia datam hanc benedictionem [2].

Plura ciudemmodi adhuc supererant dubia, sed ex praesentibus quaestis patetur, et S. Congregatio Indulgentiarum dignata est pro hunc difficultatibus in praesentia et morum et processi posset, et ita multas eorum commodiori praebiatur, transire ad congregationem alterius obedientiae Ordinemque ut publicae et indulgentiae quibus gaudebant in priori sua congregatione.

Ius et Decretum mutationis Tertii Ordinis dum transferuntur, potest aliquae mora adjudicatione usumque regimen mutationis eodem obtentio oriundi ab alterius obedientiae. In hoc regimine tamen adest auctoritas Visitatoris non prorsus sed Ordinis familiae Franciscalis; quare tamen hunc Visitatorem regularem de hac mutatione certiorem reddere.

A dumum, ut patet valent hae de transitu ab una ad aliam mutationem Tertiariorum Franciscalium quoadam obedientiae: mutationes vero applicandae sunt ad transitum ad Tertium Ordinem alterius Ordinis religiosi v. g. S. Dominici vel S. Theresiae.

C. C.

---

1 Decr. 5 Dec. 1903 (Acta Sanct. Sedis XXXVI, 5) Cfr. Bragni I p. 47.

2 Decr. ad III.

Ex S. Congr. Rituum

I

DUBIUM

[illegible]

[illegible]

[illegible]

consuetudine contraria, etiam immemoriabili » ; et ad VIII decernitur præter commemorationem de Titulo seu Patrono ecclesiæ nullam de Patrono loci... vi rubricæ faciendam esse, nisi contraria vigeat consuetudo (1). Decreto anteriori 23 Januarii 1899 (nº 4007) *super oratoriis semipublicis* (2) declaratur quid intelligatur nomine oratorii semipublici cujus generis illa sunt « quæ pertinent ad Seminaria et Collegia ecclesiastica, ad pia Instituta et Societates votorum simplicium, aliasque communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordinario approbatis » etc.

Jamvero præsens decretum 14 Martii 1903 regulas de facienda commemoratione Titularis in suffragiis et consequenter de ejus nominatione in oratione *A cunctis* recte extendit ad hæc oratoria semipublica, dummodo, si non consecrata, saltem *solemniter cum speciali titulo* fuerint benedicta, ritu in Rituali inscripto : *Ritus benedicendi novam ecclesiam seu oratorium publicum ut ibi sanctissimum missæ sacrificium celebrari possit.* Hæc enim oratoria solemniter benedicta, ex decreto 5 Junii 1899 superius citato, pro effectu de quo agitur, æquiparari possunt ecclesiis seu oratoriis publicis et consequenter gaudere « privilegiis, quæ competunt Sanctis vel Mysteriis titularibus cujusvis ecclesiæ sive oratorii publici solemniter benedicti, nempe ut in oratione *A cunctis* et in suffragiis Sanctorum ad Laudes et ad Vesperas Titularis nominetur ».

H. V. D. W.

II

PLOCEN.

Circa choros mixtos in missis cantatis.

Quo divini cultus decori prospiciatur et sacræ functiones recte ac rite peragantur in Diœcesi Plocensi, hodiernus

(1) Vide *Collat. Brugen.* 1900, p. 581.
(2) Vide *Collat. Brugen.* 1899, p. 181.

R^mus Episcopus ejusdem Diœcesis, Sacrorum Rituum Congregationi ea quæ sequuntur, pro opportuna declaratione, humiliter exposuit, nimirum: In Diœcesi Plocensi, sicut in aliis Poloniæ Diœcesibus extat mos ut in missis solemnibus, præsertim diebus per annum solemnioribus, canant *Gloria*, *Graduale*, *Credo*, et in choro super majorem Ecclesiæ portam, ubi organum est, constituto, mulieres ac puellæ, sive solæ ipsæ cum organista, sive juvenibus et viris conjunctæ, in quibus cantorum choris mixtis vocem *soprano* exequuntur puellæ. Quum hujusmodi morem quædam Ephemerides polonicæ defendant contra plures Archæologiæ et Liturgiæ cultores qui illum improbant, quæritur:

I. An mos supradescriptus licitus sit et conformis legi et sensui Ecclesiæ?

II. Et quatenus negative ad I. an saltem tolerari possit?

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicæ, reque mature perpensa, respondendum censuit: Negative ad utrumque, et Decretum n. 3964 *De Truxillo* 17 sept. 1897 (1) etiam ad hunc casum extendi declaravit.

Atque ita rescripsit die 19 Februarii 1903.

S. Card. CRETONI, *Præf.*

L. ✠ S.

✠ D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

---

(1) Ad dubium: « An servari possit mos in aliquam Ecclesiam, etiam Cathedralem, invectus, ut mulieres ac puellæ intra vel extra ambitum Chori canant in missis solemnibus, præsertim diebus per annum solemnioribus »? Resp. « Invectam consuetudinem utpote apostolicis et ecclesiasticis præscriptionibus absonam, tamquam abusum esse prudenter et quamprimum eliminandam, cooperante Capitulo seu Clero ipsius ecclesiæ curæ et auctoritati R^mi sui Ordinarii. »

Consultationes

I

Caius mercator cum anno 1894 in eo esset ut foro cederet seu bankrupteretur, in ius de debitorum compositione convocandi [illegible] cum creditoribus [illegible] ut [illegible] partem debitorum seu 50 % creditoribus solvit. Ante hoc annus autem Caius ad [illegible] fortunas suas reliquit et [illegible] erat ut ex bonis paternis commentis, partim hereditate acceptis, integrum [illegible] debitis absque incommodo satisfaceret. Hanc rationem [illegible] debitorum partem, quam ne ullus quidem creditor exposuisset, Caius non solvit. Caius obiit anno elapso ipsique bona Titius plus hereditate accepit. Petrus autem unus ex antiquis Caii creditoribus jus anno 1894 compositionem iniit, cum ipsi non [illegible] esset Caium in bonis commutasse, supremae [illegible] Titium ipsumque rogavit ut residuum debiti paterni partem solveret.

Quaritur utrum Titius in conscientia ad hanc solutionem teneatur?

R. Titius in conscientia teneatur, tibi autem [illegible] adeque ac [illegible] solvere. Pars [illegible] partem debiti a patre contracti, nihil autem — quod ex adjunctis partem probabile apparet — Petrus in ipsa conventione de [illegible] contraxit, vel alio modo detrahere juri suo renuntiavit. Dicunt tamen aliqui Titius jus filius sui tibi [illegible].

Etenim [illegible] quae [illegible] nessio fieri [illegible] compositio cum creditoribus intra debitorum [illegible] ejus heredes in conscientia [illegible] seu residuum debiti partem en-

---

1. 50 partium remittunt [illegible] 50 es. [illegible] quod furi cessioni finem facit.

tinguit. Quod patet tùm ex textu et sensu legis, tùm ex intentione creditorum.

Patet imprimis ex textu et sensu legis. Ità quoad *fori cessionem* (faillite), si non expressis verbis, æquivalenter tamen art. 586 ss. *codicis commercialis* statuit fori cessorem ad *integram* debitorum solutionem obligari : « Le failli qui aura intégralement acquitté, en principal, intérêts et frais, toutes les sommes par lui dues, pourra obtenir sa réhabilitation ». Fori cessio igitur penitus destruitur adeoque fori cessoris debitum integre extinguitur quando *integre* solutum est (1). — Ad compositionem cum creditoribus initam seu *concordatum præventivum* uti aiunt, expresse declarat lex debitorem, si postea in bonis convalescat, integre debita solvere debere. Ità art. 25 legis 29 junii 1887 statuit: « Celui qui a obtenu le concordat (préventif de la faillite) est tenu, en cas de retour à meilleure fortune, de payer intégralement ses créanciers ».

Patet præterea ex intentione creditorum compositionem quam ineunt cum debitore, eo ipso illum à residua debiti parte solvenda non liberare. Etenim, licet in compositione seu concordato fiat aliqua debiti remissio, nulla tamen per se fit condonatio debiti, quia creditores sic componunt inviti, saltem moraliter, eo quod nunc integri debiti solutionem habere nequeunt. Nec censeri possunt — nisi de hoc expresse vel æquivalenter constet — spontanee et libere renuntiare juri suo ad residuum, si forte debitor possit aliquando solvere. Quilibet enim — donec de contrario constet — præsumendus est nolle se re sua spoliari (2).

Unde, nisi Petrus in ipso compositionis contractu

---

(1) Pariter, quoad cessionem bonorum voluntariam ac judiciariam clare statuit legislator (art. 1265-1270 incl. *cod. civ.*) debitorem tunc tantum liberari quando integrum debitum solvit.

(2) Cfr. Ill^m ac Reverend^m Waffelaert. *Tract. de Justitia*, Brugis 1885, T. I, n. 521. — Marrès, *De Justitia*, Ruræmundæ 1888, T. II, n. 326, 346 s. — Carrière, *De Contractibus*, T. I (Lovanii 1846) n. 418.

vel alio modo reliquam debiti partem *expresse* condonaverit, certissima Caius justitiæ obligatione ad hanc residuam partem solvendam tenebatur. Neque *æquivalenter* sane, suo scil. modo agendi (quod v. g. non ab ipso Caio solutionem postulaverit) Petrus condonationem concesserit, cùm ex ipso consultationis tenore satis apparet ipsum statim ac ipsi innotescit creditorem in bonis convaluisse, solutionem expostulasse.

Titium autem, non qua filium verùm qua hæredem seu *titulo hæreditatis* paternæ acceptæ, ex justitia teneri ad integre Petro satisfaciendum nemo non videt. Bona enim hæreditatis non intelliguntur nisi subtractis debitis. Neque distinguendum est in casu utrum hæreditatem paternam Titius pure et simpliciter vel potius sub beneficio inventarii adierit: ex traditis enim adjunctis satis liquet debitum a Petro expostulatum ultra hæreditatis vires minime excrescere.

In fine responsi additur: *posset insuper teneri Titius qua filius seu titulo pietatis*, casu scil. quo pater ex eo quod impar factus sit solvendo, *veram* infamiam passus sit quæ integri debiti solutione auferri *posse* videatur. Siquidem ad pietatis virtutem pertinet honorem parentum tueri. Utrum autem in casu hæc pietatis obligatio cum justitiæ obligatione concurrat et quanta sit, ex principiis generalibus et variis adjunctis dijudicandum apparet.

A. C.

II

Q. In civitate X. duæ sunt parochiæ, una S^ti Petri, altera S^ti Pauli. Joannes in parochia S^ti Petri per multos annos habitavit et ibi, usque ab obitum, domum suam conservavit; sed, ultimis vitæ suæ annis, senex et omnino impotens, jam non suam, sed familiæ suæ domos frequentavit, nunc in S^ti Petri, tunc in S^ti Pauli, semper tamen pernoctans in parochia S^ti Pauli in domo sororis

suæ, ubi, ab hujus ecclesiæ parocho sacramentis refectus, defunctus est, quin ullum scriptum reliquerit, quo sepulturam vel exequiarum locum elegerit.

Petitur: quænam ecclesia ex juris canonici principiis, jus habet sepeliendi? Et in casu quo ecclesia S^ti Petri sepeliverit, nonne jus redemptionis habet ecclesia S^ti Pauli? Si tandem, verbis defuncti innitendo, exequiæ factæ fuerint in S^ti Petri, an nullam obligationem erga ecclesiam S^ti Pauli habent vel hæredes vel altera ecclesia?

R. Præmittimus quasdam animadversiones, quibus excludantur nonnulla, quæ videntur ceu elementa solutionis proponi a consulente, videlicet:

1° Prohibet jus commune quominus *hæredibus* onus solvendi jus redemptionis, vel alia quævis exactio imponatur præter funus consuetum (1). Unde casu quo exequiæ celebratæ fuerint in ecclesia S^ti Petri, certo-certius hæredes liberi sunt a quacumque obligatione erga ecclesiam S^ti Pauli, nisi defunctus aliter ipse disposuerit.

2° Nulla *forma* specialis est præscripta in eligendo loco sepulturæ; hinc solummodo requiritur, ut de voluntate eligentis sufficienter constet v. g. ex testamento vel scriptura privata authentica, per duos testes, imo per unicum testem vel solum confessarium, dummodo specialis ratio proprii commodi hunc non reddat suspectum; nec absolute requiritur ut coram testibus eligens voluntatem suam verbis aperiat, sed, quum loqui non potest, sufficiunt nutus et signa manifesta (2). Unde si, *verbis defuncti* innitendo, exequiæ factæ sint in ecclesia

---

(1) Vide *Collat. Brug.*, T. V, p. 462 sq., ubi invenies decreta et auctoritates cit. in nota p. 463.

(2) Cf. Moulart, *De sepultura et cœmeteriis*, Lovanii, 1862, p. 160 sqq., qui refert decisiones SS. Congr. Rom., quibus adde S. C. C. 24 Martii 1871 (*Acta S. Sedis*, T. VI, p. 469 ss.). Vide etiam De Brabandere-Van Coillie, n. 756; F. Piat., *Prælectiones Juris regul.*, ed. altera, T. II, p. 317; Wernz, *Jus Decretalium*, T. III (Romæ 1901), p. 889 in nota.

S^ti Petri, electio tali modo manifestata sufficit ut legitime ibidem sepeliatur defunctus.

3° Fundamentum juris, quo gaudet parochus pro sepultura suorum parochianorum, est spirituale officium ipsis, dum viverent, præstitum, non vero obitus accidentalis intra limites parœciæ, etiam cum administratione sacramentorum in extremo vitæ, uti luculenter constat ex textibus juris et variis declarationibus S. C. Concilii (1). Unde hoc solo titulo non posset parocho S^ti Pauli jus sepulturæ in casu vindicari.

Hisce præmissis, respondemus:

Ad 1^m: Nisi Joannes ipse (2) explicite vel implicite (quando np. existit sepulcrum majorum familiare vel hæreditarium) sepulturæ locum elegerit, sepeliri debet in ecclesia sua parochiali (3), id est in ecclesia domicilii vel quasi-domicilii. Cum in casu proposito, hujusmodi electionis nulla mentio fiat (4), nec quæstio fieri possit de quasi-domicilio, sepeliri debet Joannes in ecclesia sui domicilii. Porro censemus Joannem in casu domicilium suum servasse in parochia S^ti Petri, et proinde ad hanc ecclesiam, utpote parochialem, jus competere sepulturæ. Etenim sicut domicilium acquiritur per actualem in parochia habitationem conjunctam cum animo ibidem perpetuò manendi, ita conservatur, donec a parochia actu recedatur cum animo non redeundi. Jamvero ex tenore casus propositi videtur satis innui Joannem non reliquisse domum suam cum animo

---

(1) Cf. Pallottini, V° *Cadavera*, § III, n. 18 sqq.; *Acta S. Sedis*. T. XI, p. 499; coll. De Brabandere-Van Coillie, n. 480 et 758; Van den Berghe, Tract. autogr. *De parochis*, p. 46; *Collat. Brug.*, T. V, p. 459 et T. VII, p. 129.

(2) Jus eligendi nequaquam competit hæredibus. Cf. *Collat. Brug.*, T. V, p. 462; De Brabandere-Van Coillie, n. 773.

(3) De Brabandere-Van Coillie, n. 755 sqq.; *Collat. Brug.*, T. VII, p. 129.

(4) In tertio tamen quæsito videtur innui Joannem *verbis* elegisse ecclesiam S^ti Petri, quo casu huic jus sepeliendi certò competit. Vide prænotatum 2^m.

non redeundi: senex enim factus et infirmus, frequentavit domos suæ familiæ, nunc in S^ti Petri, tunc in S^ti Pauli ad tempus commoratus, refectionis, ut videtur, et societatis quærendæ gratia, nihilque indicat eum vere et actualiter habitare in domo determinata, sita in parochia S^ti Pauli. Semper quidem pernoctat in domo sororis, parochianæ S^ti Pauli, sed hoc factum, *per se solum*, non sufficit ut amittat prius domicilium.

Attamen, si de facto reliquit suam domum, ita ut jam numquam vel vix umquam ibidem redeat, censebitur domus clausa et derelicta: et in hoc casu, quo np. vere renuntiavit priori habitationi, merito præsumetur ex facto pernoctationis continuæ apud sororem, in parochia S^ti Pauli novum elegisse domicilium. Quo casu huic ecclesiæ jus competere sepulturæ dicendum est.

Ad 2^m: Jus redemptionis seu portio canonica debetur quotiescumque defunctus, non relicto domicilio, extra propriam ecclesiam quacumque de causa, *legitime in aliena ecclesia* tumuletur (1). Unde ecclesia S^ti Pauli non habet jus redemptionis, nisi casu quo Joannes ibidem habuerit suum domicilium et elegerit tamquam locum sepulturæ ecclesiam domicilii relicti, scilicet ecclesiam S^ti Petri: si enim retinuit domicilium in parochia S^ti Petri, sepelitur in *propria* ecclesia; si vero illud reliquit nec elegit tumulari in ecclesia S. Petri, in hac *illegitime* sepelitur, et tunc ecclesiæ S^ti Pauli restituenda sunt *omnia* funeris emolumenta (2).

Ad 3^m: Solutio patet ex præcedentibus.

H. M.

(1) De Brabandere-Van Coillie, n. 771; *Collat. Brug.*, T. V, p. 461.
(2) De Brabandere-Van Coillie, n. 771; *Collat. Brug.*, T. VII, p. 130 sq.

Fabriques d'église

Séance légale du mois de juillet

[illegible]

[illegible] avoir pourvu, s'il y a lieu, au remplacement des membres [illegible] de la séance d'avril, le conseil s'occupera de l'examen des budgets pour l'exercice [illegible]. — Circ. [illegible] Brug. T. I, p. [illegible]. — Le premier de ces budgets [illegible] le budget [illegible] le 15 [illegible] 1884 [illegible] et modifiés [illegible] par le conseil communal, qui peut [illegible] [illegible] pour les [illegible] du conseil communal d'accroître ou de modifier le budget de la fabrique. Il est [illegible] [illegible] [illegible]

Collationes Brugenses

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. LVII, pag. 180.)

322. Itaque, præmissis opportunis monitis atque introductione de Christo ejusque electis, jam, in hac tertia et ultima parte nostrarum meditationum, admirabilem Dei providentiam seu gubernationem in ipsa executione ordinis ab æterno præfiniti explicandam aggredimur: ubi demonstrandum erit, ut e prædictis intelligitur, omnes actus divinos ad extra, qui tantum ad Dei gloriam ut finem ultimum in omni ordine rerum necessario contendunt, illipsum in præsenti ordine efficere concurrendo omnes ad gloriam ac beatitudinem Christi primario, ejusque electorum participature.

Tota igitur mundi historia, ab ipso rerum exordio, prout sacris præprimis voluminibus continetur, erit perlustranda, quam in varias, pro scopo nostro, aptiores distinctis capitibus distribuemus. Et prima quidem divisio est, a mundi creatione ad promissionem Redemptoris.

CAPUT I.

De mundi exordio, de lapsu hominis et promissione Redemptoris.

ARTICULUS I.

De mundi exordio.

323. Imprimis ob oculos habeantur, quæ scribit S. Thomas: « Quæ ad fidem pertinent, dupliciter distinguuntur. Quædam enim sunt per se de substantia fidei, ut Deum esse trinum et unum, et hujusmodi: in

quibus nulli licet aliter opinari..... Quædam vero per accidens tantum, in quantum scilicet in Scriptura traduntur, quam fides supponit Spiritu sancto dictante promulgatam esse: quæ quidem ignorari sine periculo possunt ab his qui Scripturas scire non tenentur, sicut multa historialia: et in his etiam Sancti diversa senserunt, Scripturam divinam diversimode exponentes. Sic ergo circa mundi principium aliquid est quod ad substantiam fidei pertinet, scilicet mundum incœpisse creatum: et hoc omnes Sancti concorditer dicunt. Quo autem modo et ordine factus sit, non pertinet ad fidem nisi per accidens, in quantum in Scriptura traditur, cujus veritatem diversa expositione Sancti salvantes, diversa tradiderunt (1). »

Primus quidem versus libri Genesis aperte docet mundum incœpisse creatum, seu Deum esse omnium rerum extra se creatorem: quod interpretes et theologi catholici dilucide ostendunt tum ex ipso verborum contextu, quo nempe Deus in principio, proin antequam quidquam fuerit, dicitur absolute produxisse rerum universitatem, adeoque rursus non ex alia quadam præjacente materia, æterna seu a se non facta, sed proin ex nihilo: tum etiam ex ipso verbo « creavit, barah » merito confirmant.

Eaque veritas manet inconcussa, quocumque tandem modo sequentia interpreteris; sive dicas primum versum esse synthesim, cujus opus sex dierum sit analysis, eaque sive historica, sive idealistica: sive dicas versu primo creationem primam exhiberi, rerum in statu maxime informi et elementari, quarum sequens narratio distinctionem et ordinationem atque ornatum prosequitur; sive tandem dicas versum primum asserere creationem mundi formati rebusque distinctis ornati, qui cataclysmo quodam eversus fuerit, quem v. 2 describit, et dein restaurationem ac definitivam ordinationem prioris creationis depingi in hexamero.

---

(1) *In 2 Sent., dist.* XII, 2. 2.

324. Nobis autem videtur indubium, inter hæc tria nonnisi secundum cum textu Genesis, si rite et legitime regulas interpretandi applices, congruere: etenim postquam v. 1 assertum est Deum creasse *omnia*, sub nota et accepta, usuque biblico firmata expressione *cœli et terræ* (quasi respectu nostri, terræ incolarum, universi mundi binarum partium), statim resumitur *terra*, qua propius ad nos spectans, et illo suæ creationis initio dicitur fuisse, non sicut nunc exornata aspicitur, sed informis, vastá atque confusa.

Ubi nota, quod sæpe nimis multos præterit, aliam esse termini significationem, aliam ejusdem suppositionem: sic *terra* semper et ubique significat terram, atvero in v. 1 supponit pro parte universi, contradistincta a cœlo, qualiscumque sit illius universi status, incompositus aut ornatus; in v. 2 supponit pro terra in statu chaotico; in v. 9 infra, pro arida, seu terra contradistincta a mari. Similiter, terminus *aqua* semper significat aquam, sed vv. 2 et 6 supponit pro statu chaotico universi, qui melius ad captum indicari non poterat quam per aquas: aqua enim, hinc quidem omnibus apparet ut aliquid corporeum (1), inde vero fluida, non consistens, et formæ cujusvis accidentalis receptiva optime repræsentat statum maxime informem ac elementarem universi (2). In versibus vero nono et decimo, aqua supponit pro aqua, jam sub propria forma, prout contradistinguitur ab arida, et vocatur congregatio aquarum mare.

Igitur, sensu maxime obvio ac naturali verborum,

---

(1) Ideo melius aquæ, quam aër aut vapor, dicebatur chaos: quia aër non percipitur ab omnibus esse corpus, in tantum ut etiam quidam philosophi aërem nihil esse dixerint. Cf. S. Thom., I, q. 68, a. 3.

(2) Simili quadamtenus modo jam Augustinus, *De Gen. c. Manichæos*, I, 7: « Dictum est ergo *cœlum et terra*, quia inde futurum erat cœlum et terra. Dicta est *terra invisibilis* et *incomposita* et tenebræ super abyssum, quia informis erat et nulla specie cerni aut tractari poterat, etiamsi homo esset qui videret et tractaret. Dicta est *aqua*, quia facilis et ductilis subjacebat operanti, ut de illa omnia formarentur. »

describitur v. 2 status initialis ac informis universi seu cœli et terræ, quæ v. 1 dicta sunt a Deo creata, et resumendo quidem prius terram, ad nos propius spectantem, ne putetur jam distincta et ornata, statim vero postea totum universum designando nomine *abyssi* et *aquarum;* simulque cum informitate ac vacuitate fuisse absentiam cujusvis motus, adeoque lucis et vitæ, notatur, et fit transitus ad formationem ac distinctionem rerum, indicando rursus Deum ut primam causam, seu primum motorem: et Spiritus Dei (sive Spiritum sanctum intelligas, sive aliquam efficientiam divinam moventem, nempe halitum Dei, vel ventum violentum a Deo immissum, nihil refert ad hunc sensum) ferebatur super aquas, i. e. super eamdem abyssum seu immensum chaos, ad instar aquarum fluidum ac informe.

325. Cæterum, abstrahendo etiam a diverso horum intellectu, manet, ut jam animadvertimus, inconcussa *veritas prima* illa ac primaria, creationis rerum omnium a Deo. Sed nunc, quovis modo præcedentia interpreteris et sequentia nempe opus sex dierum, nexumque quemvis invenias inter utraque, certo elucet ex consequente narratione, altera seu *secunda veritas*, ad fidei doctrinam pertinens, ac retinenda: scilicet, a Deo esse rerum distinctionem ac ordinem, sive immediate per se, in quibusdam, res in propria forma constituente aut et creante, sive immediate saltem providente, ut, se primum movente, secundum leges a se statutas universum sese evolvat; aliis verbis, asseritur Deus, sicut rerum omnium creator, ita et quarumdam sub certa specie et forma creator, omnium vero primus motor ac gubernator. Idque rursus independenter a qualibet interpretandi ratione. Vel enim ipsi qui sex dies eorumque opera idealistice interpretantur, ut Augustinus de cognitione angelorum, et imo omnia simul eodem instanti creata ac producta esse, ex male intellecto textu *Eccli.*, XVIII, 1, opinantur,

nihilominus distinctionem rerum a Deo esse tenent, videlicet res ab initio distinctim simul creatas esse, vel in se, vel saltem quoad rationes seminales, quibus distinctim sese evolvere, secundum naturæ leges a Deo inditas, possent.

326. Et hic incidenter quæri potest, quid de spirituum creatione liber Genesis referat. Aliqui dicunt sub nomine *cœli* in v. 1 comprehendi angelos: quod quidem merito dictum intelligitur, quatenus expressio *cœlum et terra* rerum universitatem designat, sub qua et spirituales creaturæ comprehenduntur, quas ad cœlum potius quam ad terram referas, utpote qui habitatores cœli potius quam terræ, quam incolit homo, concipiuntur; non vero intelligi idem potest, quasi nomine *cœli* spiritualia, nomine *terræ* aspectabilia designentur. De spiritibus igitur expresse et in specie, nihil dicitur, ast infra de homine distinctim formatio corporis et animæ inspiratio manifesto referuntur. Ideo putamus Auctorem angelos non expresse nominasse, sed sub universali formula omnia a Deo creata elocutum esse, ne locus quidem esset cogitandi hebræis de demiurgis gentilium; ideo quoque Deum ipsum per se solum operantem successive per ordinem dierum describit, etiam ibi, ubi forte quædam ex naturæ legibus, Deo quidem ita providente atque gubernante, sese evolverunt.

327. Hoc loco jam statim addatur *tertia veritas*, ad fidei doctrinam spectans: videlicet hominem immediate a Deo esse creatum, ut ex textu Scripturæ patet, id est, hominem a Deo ipso formatum esse quoad corpus, ex materia prius a se creata, immediate vero creatum esse quoad animam. Necnon *quarta veritas* adjiciatur, similiter expressa in sacro textu: nempe omnia aspectabilia, in hexamero descripta, creata esse propter hominem.

Hæ quatuor fidei veritates præcipuæ sunt, quæ ex Genesis sacra pagina elucent retinendæ, quocumque tandem modo hexameron interpreteris. Imo, mosaïca descriptio sex dierum ad hoc potissimum tendit ut

[illegible] Deus solus et creator et ordinator universarum rerum, solusque adorandus, solus et Deus et Dominus agnoscatur, remota materia æterna et increata, remotis deorum [illegible] remotis [illegible] primique homo et mulier, remota [illegible] materiarum terra, plantas, animalia, remotis [illegible] gentilium [illegible].

Ita [illegible] quæ [illegible] mobilia ad [illegible] naturæ, quæ tantum cum illis, [illegible] videantur. Hæc [illegible] respondenda [illegible].

Primo quidem, non ita [illegible] humani [illegible] [illegible] [illegible]

seriem visionum, quibus visus est Deus operans, ad modum sapientis operarii humani, per successivos dies seu lucida, quibus operari solent homines, spatia, sicque opus suum universum ab imperfecto ad perfectum deducens, eoque absoluto requiescens. Qui quidem revelandi modus, scopo Scriptoris sacri accommodatissimus, triplex commodum habuit: ut nempe revelata rite ac facile perciperentur; ut eadem æque facile ac aptissime ad captum atque tuto, sepositis inutilibus ad doctrinam religiosam non pertinentibus, cum aliis communicarentur; ut tandem practica dogmatum significatio sponte defluueret, scilicet unum Deum, omnium Principium, esse adorandum et speciatim, qua Creatorem et Dominum, die quoquo septimo esse colendum.

329. Itaque, jam de ipsa natura dierum mosaïcorum quærendo, et operibus in diebus singulis perfectis, an historica habenda sit narratio, an idealistica, respondemus: objective quidem seu quoad materiam esse historicam, quoad formam vero ac modum narrandi esse hoc sensu idealisticam, quod Deus anthropomorphice ut operarius repræsentatur per dies seu successiva spatia lucida operans et ad perfectum deducens opus suum, eoque absoluto requiescens. Eo autem ipso quod talis est forma narrandi, hinc quidem non efficitur ut objective vera et historica non sint narrata, inde vero fit ut ad captum narrentur sintque sapienter intelligenda ita ut, si historica indoles non est censenda per formam narrandi evacuari, contra, nec sic narrata premantur et penitus ad litteram accipiantur, quasi nulla ratio haberi debeat formæ et modi narrandi. Igitur, nostra sententia, dies in narratione biblica ad formam narrandi pertinent, et significant vere diem, spatium nempe lucidum quod cum tenebris alternat, vel per extensionem spatium quod successione lucis et tenebrarum se extendit ad novum lucidum spatium, quodque spatium lucidum est tempus operandi seu laborandi; extensio autem ob-

jectiva hujusmodi spatii non definitur. Proinde, dies hic non significat epocham, sed vere diem, ad modum diei nostræ, qua spatii lucis in quo operamur; sed nec supponit proprie pro epocha seu spatio indeterminato, potius enim dicendum est ipsam suppositionem a Scriptore sacro non definiri seu indicari, sed omnino, ut rem adiaphoram in ordine ad scopum suum, in medio relinqui. Et hæc quidem ex ipso textu sacro, non aliunde, accipimus: quod enim significationem vocis *dies* attinet, ex obvio et naturali sensu verborum aliam significationem, quam modo dictam, intelliget, opinamur, nemo. Quod autem suppositio non indicatur sed omnino intacta relinquitur, ex eo habes quod ante sicut post apparitionem solis et astrorum æque dies, sine ullo discrimine, dicuntur, et septimus quoque dies vocatur. Ex quibus habes nullam textus sacri cum physicorum placitis de antiquitate mundi, de temporum atque ævorum inter varias creaturas spatiis, dissensionem esse posse, imo ne locum quidem esse contradictioni, cum de his ne verbum quidem habeat Scriptor. Si aliqua suppositio termini *dies*, ut ab Auctore indicata, sit admittenda, dies dicemus supponere simpliciter pro distinctis operationibus successivis Creatoris.

330. Ex his omnibus vides nos e textu et contextu scopoque Auctoris, juxta legitimas interpretationis regulas, sensum narrationis mosaïcæ deduxisse; nequaquam vero, ut perperam quidam concordistæ, a scientiarum naturalium placitis exeuntes, his placitis accommodasse sensum Scripturæ. Neque enim docet Scriptura scientias naturales, quamquam eisdem non contradicit, neque proin per se argumenta subministrat illis scientiis. Ideoque putamus nos presse secutos esse monita a nobis data circa rectam interpretationem legitimumque usum sacrorum librorum, et hinc quidem reverentiam his debitam servasse, inde vero nec logicæ ac philosophiæ nec scientiis naturæ aliisve humanis quidquam detraxisse.

(Continuabitur).

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Octobris

—

I

Explica Sap. III, 1-9.

II

Præmissa notione amoris *concupiscentiæ* et amoris *benevolentiæ*, expone utrum et quare Deus creaturas amet amore concupiscentiæ, an amore benevolentiæ.

III

Ostende jus testandi et jus hæreditariæ successionis quoad substantiam e jure naturæ orta esse.

IV

Declara quamnam vim in conscientia habeat legislatio nostra, universim sumpta, circa jus testandi et successiones.

V

Quæritur utrum et qualiter peccent parentes qui filiorum suorum portionem legitimam lædunt per testamentum, donationem inter vivos aut contractum onerosum simulatum?

VI

Dans quelle forme doivent se faire les concessions de terrains dans les cimetières?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Junii propositas.

—

I

Q. *Quid intelligitur per glossolaliam seu donum linguarum de quo I Cor. XII, XIII et præsertim XIV; quomodo illud distinguit S. Paulus a prophetia; et quid circa usum hujus charismatis decernit?*

R. **Ad 1m.** Apostolus mirabile quoddam donum inter Corinthios circa annum 57 frequentissimum *genera linguarum* (XII, 10, 28) appellat, ejus autem exercitium passim verbis *lingua* vel *linguis loqui* designat.

Primo nunc quæritur unde nomen ortum sit et tres sunt præcipuæ sententiæ. Alii enim linguam intelligunt sensu physico de membro corporis, organo locutionis; ratio appellationis fuisset vel quod glossolali loquebantur novis linguis v. g. igneis in die Pentecostis supernaturaliter inditis, vel probabilius quod Spiritus sanctus in ipsis movebat organa loquelæ. Hæc sententia sustineri nequit: ἑρμηνεία γλωσσῶν (XII, 10) certe designat interpretationem sermonum, non organorum elocutionis; et quomodo de una persona dici posset quod *linguis* (in plur.) loquatur (XIV, 5)? — Plures linguam intelligunt de sermone, ut nos loquimur de lingua latina etc.; glossolali ergo juxta hos interpretes loquebantur linguis non vernaculis quas numquam didicerant. Neque hæc sententia admittenda videtur: verum quidem est talis naturæ fuisse miraculum in prima Pentecoste, cf. Act. II, ubi apostoli dicuntur locuti *aliis* (ἑτέραις, non *variis* ut in Vulg.) *linguis;* sed I Cor. nunquam adjicitur vox *aliis*, imo non raro ponitur *lingua* in singulari (XIV, 2, 4, 13, 14, 27), jamvero simplex expressio γλωσσῃ λαλεῖν

lingua loqui non potest significare loqui linguis extraneis; præterea varias linguas in mundo existentes Paulus nominat γένη φωνῶν non γλωσσῶν, et exercitium glossolaliæ comparat quoad effectum cum locutione in lingua ignota (XIV, 10 sq.), sed duo termini comparationis non possunt esse identici; tandem falsum esset quod absolute statuit apostolus neminem sine dono præternaturali intelligere posse, accidere enim posset aliquem linguæ extraneæ peritum inter auditores adesse (1). — Apud Græcos γλῶσσαι vocabantur idiotismi, vocabula extraordinaria et obscuriora, eadem autem vox propter analogiam quamdam evasit inter Christianos terminus technicus ad designandam elocutionem maxime obscuram quam homines sub impulsu Spiritus sancti proferebant.

Si ulterius intimiorem hujus charismatis naturam

(1) Plures ad normam Act. II, explicant nostrum textum ad Cor.; nonnulli Actis II vim inferunt ut eventum diei Pentecostis accommodent epistolæ ad Cor.; præferenda videtur sententia eorum qui admittunt Act. II et I Cor., agi de duplici miraculo specifice distincto. Ita inter catholicos opinantur J. Felten, *die Apostelgeschichte*, Friburgii, 1892, ad h. l.; J. Belser, *Beiträge zur Erklärung der Apostelgeschichte*, Friburgii, 1897, p. 17; Coppieters, *De historia textus actorum apostolorum*, Lovanii, 1902, p. 113. Periodicum *Revue Biblique*, VII (1898), p. 289, ita exponit sententiam Belser : « M. Belser est entièrement persuadé que le don des langues dont les Apôtres et les disciples furent gratifiés au jour de la Pentecôte, est réellement une chose tout à fait différente de la glossolalie dont parle saint Paul (I Cor. XII-XIV). Au Cénacle, le Saint Esprit fait parler en des langues étrangères véritablement existantes; à Corinthe il inspire certains langages mystérieux, n'ayant humainement aucun sens et ne pouvant être interprétés que grâce à des révélations divines. Les deux phénomènes sont désignés de deux façons différentes : le premier s'appelle λαλεῖν ἑτέραις γλώσσαις, le second λαλεῖν γλώσσαις [debuisset addere : et γλώσσῃ] ». — Deinde ita dijudicat : « Cette théorie n'est pas nouvelle... Elle fournit un moyen de réfuter certaines objections contre l'historicité du deuxième chapitre des Actes et contre l'attribution du livre a saint Luc.: si l'auteur des Actes a voulu désigner le don des langues accordé le jour de la Pentecôte comme un charisme d'une nature à part, on ne peut plus prétendre qu'il avait sur la glossolalie des idées inexactes, et que, par suite, il vivait en un temps où elle ne se produisait plus guère. » — Postremo tamen hanc sententiam impugnat variis rationibus quæ nobis non videntur rem conficere.

investigare voluerimus, graves occurrunt difficultates: ex una parte donum illud brevi cessavit in Ecclesia et difficile est determinare naturam rei præternaturalis cujus nullam habemus experientiam; ex alia parte sufficientem descriptionem apud S. Paulum non habemus, non enim intendit glossolaliam tamquam novum quid Corinthiis definire, sed eam lectoribus cognitam supponit. Varia certe fuerunt genera variique gradus hujus doni uti apparet ex ipso vocabulo *genera linguarum,* ex distinctione inter glossolaliam prout hominibus competit et glossolaliam prout angelis propria est (XIII, 1); sub alio respectu Paulus distinguit inter psalmum, orationem, benedictionem et gratiarum actionem (XIV, 15-17), ubi apparet in omnibus his speciebus semper sermonem ad Deum dirigi. Semper erat locutio tum præternaturalis ex virtute Spiritus sancti (XII, 7-11), tum exstatica: *qui loquitur lingua,.... spiritu loquitur* (XIV, 2), quod non intelligendum est de Spiritu sancto, nam v. 14 eodem prorsus modo dicitur *spiritus meus* quo dicitur *mens mea;* sed distinguendum inter spiritum seu partem affectivam hominis prout ad spiritualia affecta est et mentem seu partem intellectivam prout contemplatur, meditatur et penetrat, sicut dicit Cajetanus. — V. 14 proinde significat: si in glossolalia orem, animi mei affectus devotione inflammatur, sed intellectus meus sensum verborum non perspicit. Notatu etiam dignum est hominem hoc charismate præditum non necessario prorumpi in elocutionem sed liberum manere ita ut possit vel loqui vel tacere, ut patet ex prohibitione loquendi in certis circumstantiis (XIV, 27 sq.).

Ad 2m. Distinctio fundamentalis in eo consistit quod propheta sit sui compos et proferat sermonem sibi et aliis intelligibilem, glossolalus autem sui conscientiam non habeat et pronuntiet verba per se (1) inintelligibilia

(1) Per accidens tamen glossolalia fit intelligibilis si aliquis interpre-

tum ipsi loquenti, tum auditoribus: *nemo audit* (XIV, 2), i. e. intelligit, nemo ergo potest id quod dictum est in glossa confirmare respondendo: Amen (XIV, 16).

Exinde sequitur differentia a/ quoad personas quibus diriguntur: *qui loquitur lingua non hominibus loquitur, sed Deo...;* sed (Vulg. immerito ponit *nam*) *qui prophetat hominibus loquitur* (v. 2).

b/ Quoad objectum sermonis: glossolalus variis modis laudat Deum orando, psallendo etc. (vv. 15 sq.); propheta ædificat homines et quidem sive per exhortationem i. e. admonitionem sive per consolationem (v. 3).

c/ Quoad effectum in genere (XIV, 22): *linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus; prophetiæ autem* in signum sunt (ita necessario supplendum juxta communiorem sententiam) *non infidelibus sed fidelibus.* Difficillimus iste versiculus explicari videtur in sequentibus, scil. primum membrum in v. 23, alterum vero in vv. 24, 25. Agitur de signo manifestativo. Non tantum infideles sed et ipsi idiotæ, i. e. christiani nondum initiati, nescientes quid sit glossolalia, audientes talem elocutionem, sese ut incredulos exhibebunt, dicentes istos insanire, (μαίνεσθαι proprie: a dæmonibus possideri), putabunt illud phænomenon ejusdem esse naturæ ac illud quod in cultibus paganis v. g. in pythonissa se manifestabat (23). E contra audiens prophetiam non tantum idiota sed et ipse infidelis sese ut fidelem exhibebit: conscius fiet peccati sui atque se coram Deo humilians confitebitur Deum esse inter christianos (24 sq.).

d/ Quoad utilitatem pro fidelibus: *qui loquitur lingua*, quamvis sua ipsius verba non intelligat, tamen *semetipsum ædificat*, quia pio affectu qui glossolaliam comitatur ad Deum attollitur eique unitur; *qui autem prophetat ecclesiam Dei ædificat* (v. 4).

---

tatur, quod quidem non valet naturalibus rationis viribus sed per charisma quoddam præternaturale quod per orationem obtineri potest (XIV, 13). Interpres autem potest esse vel ipse glossolalus (vv. 5, 13) vel alius quidam (v. 28).

Tandem e/ *major* excellentior *est*, utpote utilior, *qui prophetat quam qui loquitur linguis* (v. 5), quod apostolus variis comparationibus illustrat.

Ad 3m. Duplex existebat inter Corinthios existimatio de charismatibus et controversia delata est Paulo ut ipse rem dijudicaret. Alii scilicet, pauciores numero, glossolaliam extinguere volebant, timebant ne in hac obscura et inintelligibili elocutione, sicut in similibus phænomenis in cultu ethnico occurrentibus, blasphemiæ proferrentur. Contra illos dicit apostolus: *loqui linguis nolite prohibere* (XIV, 39), et ad rationem eorum: *nemo in Spiritu Dei loquens dicit* ἀνάθεμα Ἰησοῦς (XII, 3), i. e. maledictus (est) Jesus. Alii, numero plures, glossolaliam extollebant tamquam præcipuam Spiritus sancti manifestationem in ecclesia. Hanc æstimationem nimis exclusivam fusius impugnat Paulus, qui ab initio jam statuit: *nemo potest* simplicissimam confessionem christianam emittere seu *dicere* κύριος Ἰησοῦς i. e. Jesus (est) Dominus *nisi in Spiritu sancto* (XII, 3).

Ex hac immoderata et vere puerili (cf. XIV, 20) existimatione oriebantur graves abusus in cœtu christiano: reliqua charismata quæ ad doctrinam spectant negligebantur, omnes volebant lingua loqui, aliquando plures simul loquebantur. Tamquam principium fundamentale ponit Apostolus: *omnia ad ædificationem fiant* (XIV, 26), publicum spiritualium donorum exercitium permittendum est juxta variam eorumdem utilitatem; ex quo immediate fluunt duæ regulæ practicæ: a/ si adsit interpres, duo vel ad summum tres lingua loquantur et quidem successive; deinde unus tantum interpretetur quæ illi duo vel tres glossolali dixerunt (v. 27), reliquum vero tempus aliis charismatibus tribuendum est; b/ si non adsit interpres, glossolalus domi solus lingua loquatur (v. 28)!

A. D. B.

II

Q. *Expone quid sit ultima et formalissima ratio cur non repugnet tres divinas Personas esse omnino æquales in perfectione.*

R. Hæc ratio est quia tres Personæ nihil aliud sunt quam **relationes** subsistentes eadem divina essentia.

Explicatur. Ut dicit S. Thomas (1): « In divinis personis nihil est considerare nisi essentiam, in qua communicant, et relationes, in quibus distinguuntur ».

Porro quum unica essentia divina sit omnino communis tribus Personis, patet ex parte essentiæ non esse cur repugnet Illas esse omnino æquales. Sed ulterius considerandum est id quo ab invicem distinguuntur Personæ: id autem quo formaliter et unice distinguuntur est oppositio relationum originis: nempe ideo dantur in Deo tres Personæ ab invicem realiter distinctæ quia dantur in divina essentia tres reales *relationes* originis ad invicem oppositæ, nempe paternitas, filiatio, spiratio (passive accepta) (2); et divina Persona nihil aliud est quam *relatio* incommunicabilis subsistens: nam « *sola relatio* distinguit habentes communem identicam essentiam et propterea est *formalis ratio hypostaseos* » (3).

Jam in mentem revocemus summi momenti distinctionem inter rem *absolutam* et rem *relativam* seu *relationem* (4). Res *absoluta* est omne id quod *ex propria*

---

(1) I, Q. XLII, a. 1, ad 4.

(2) Hoc suppono demonstratum. Cf. S. Thomas, I, Q. XXX, aa. 1 et 2; Billot, *De Deo Uno et Trino*, Romæ, 1897, p. 436. « Zij (de drij goddelijke personen) zijn van malkander *alleenlijk* onderscheiden door hunne *betrekkingen* van voorkomst.... » Lambrecht, Verklaring der Mechelschen Catechismus, I d., bl. 104.

(3) Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *Meditationes Theologicæ*, *Collat. Brug.*, T. III, p. 553.

(4) Cf. Ill^s ac Rev^s Waffelaert, op. c., p. 551 et ea quæ exposuimus supra, p. 262.

ratione sui generis dicit vel ponit ipsum *subjectum*, aut *aliquid in subjecto modificans* illud. Ita *substantia* ex propria ratione sui generis dicit *ens cui competit esse in se:* qualitas ex formali sui ratione dicit aliquid *intrinsece modificans* substantiam: hæc (et omnia alia prædicamenta præter relationem) sunt res *absolutæ*.

Sed *relatio ex propria ratione sui generis* nihil dicit quam respectum *ad aliud:* ergo relatio ex suo formali conceptu *non* dicit *aliquam perfectionem:* unde paternitas formaliter spectata prout est respectus ad filium, et præcisive ab essentia qua est subsistens, non est perfectio: idem est dicendum de aliis relationibus: ideo id ratione cujus ab invicem distinguuntur Personæ divinæ non est aliqua perfectio, et ideo etiam ex hoc nihil impedit quominus tres Personæ sint *æquales* in perfectione. E contrario si paternitas v. gr. de propria ratione sui generis diceret aliquam perfectionem, jam impossibile foret ut Pater esset omnino æqualis Filio in perfectione: nam Filius certissime non haberet id perfectionis quod importaretur formaliter paternitate.

Adnotatio. Ex præcedentibus perspicuum erit quanti sit momenti, in expositione mysterii SS. Trinitatis, ut ratio *relationis* recte tradatur, et omnino ac constanter distinguatur a re absoluta; nec sequendos esse quosdam theologos, veteribus Scholasticis recentiores, qui « non perspicientes quomodo relatio qua talis, non ponat *aliquid*, sed *ad aliquid*, opinantur relationes divinas, ex nota sibi propria, esse *subsistentias* et *perfectiones*, ratione condivisas ab essentia » (1).

J. V. D. M.

III

Q. *Da notionem peccati venialis habitualis.*

R. Huic notioni proportionaliter applicari debent principia superius tradita de notione peccati *mortalis*

(1) Billot, op. c., p. 611.

habitualis (1); at duplex attendi debet differentia quantum ad id in quo ratio habitualis culpæ salvatur seu quoad materialem significationem (2).

De *significatione formali* non habetur difficultas: dicit np. peccatum veniale habituale *permanentem actus peccaminosi reitatem, qua homo constituitur in statu cujusdam deviationis extra et præter ordinem veri finis ultimi* (3). Videlicet sicut peccati mortalis, ita venialis peccati offensa, postquam transiit actu, reatu seu morali imputabilitate manet, donec obtineatur condonatio; offensa autem peccati venialis consistit in hoc, ut vidimus *suprà* p. 436 sqq., quod sit *deviatio quædam extra et præter ordinem veri ultimi finis*, citra tamen aversionem ab hoc fine; transacto igitur actu peccati venialis, remanet reitas illius actus, qua homo constituitur in statu, non quidem aversionis, sed cujusdam deviationis extra et præter ordinem veri ultimi finis. Unde formalis ratio peccati venialis habitualis reponenda est in hoc quod sit permanens actus peccaminosi reitas, qua homo constituitur reus cujusdam deviationis extra et præter ordinem veri ultimi finis.

Quantum verò ad *significationem materialem* duplex, ut diximus, attendi debet differentia: prima est « quod reatus culpæ mortalis privat sanctificantem gratiam, qua sola homo habitualiter convertitur ad Deum finem supernaturalem. Hoc autem in venialibus non est, quia veniale peccatum non excludit nec diminuit habitum charitatis aliarumve infusarum virtutum, et non causat proprie loquendo maculam in anima » (4). Veniale peccatum non excludere gratiam sanctificantem et charitatem, ex tradita ejus notione liquet; illudque non minuere directe charitatem, neque *effective* neque *meri-*

---

(1) Vide p. 374 sqq.
(2) Cf. Billot, *De natura et ratione peccati personalis*, Romæ 1897, p. 117.
(3) Cf. Billot, *l. cit.*
(4) Billot, *l. cit.* Cf. S. Th., 1-2, q. 89, a. 1.

toric, sic ostendit S. Thomas (1): « Effective quidem non; quia ad ipsam charitatem non attingit. Charitas enim est circa finem ultimum: veniale autem peccatum est quædam inordinatio circa ea quæ sunt ad finem. Non autem diminuitur amor finis ex hoc quod aliquis inordinationem aliquam committit circa ea quæ sunt ad finem.... Similiter etiam veniale peccatum non meretur diminutionem charitatis. Cum enim aliquis delinquit in minori, non meretur detrimentum pati in majori; Deus enim non plus se avertit ab homine, quam homo se avertit ab ipso: unde qui inordinate se habet circa ea quæ sunt ad finem, non meretur detrimentum pati in charitate, per quam ordinatur ad ultimum finem ».

Veniale igitur non excludit aut minuit gratiam sanctificantem et charitatem: et sic non est, quemadmodum pro mortali indicata est, assignabilis entitas physica in cujus privatione consisteret, materialiter loquendo, peccatum veniale habituale. Dicitur tamen veniale *contrariari fervori charitatis,* non hoc sensu quasi culpa venialis habitualis consisteret in aliqua privatione fervoris, quæ esset cogitanda ad modum privationis habitus in mortali, quod est impossibile, cum fervor charitatis sit aliquid *actuale,* in cujus defectu physice considerato nequit omnino reponi *habituale* peccatum (2); sed hoc sensu « quod inordinatio, cujus venialiter peccans reus efficitur, opponitur perfectæ dominationi charitatis in homine, pro quanto fervidæ charitatis est nihil permittere in conversatione nostra quod non referatur ad Deum super omnia amicabiliter dilectum » (3).

Nec obstat quod S. Thomas passim doceat venialia

---

(1) 2-2, q. 24, a. 10. Cf. Jungmann, *Tract. de gratia*, n. 331.

(2) Similiter dici nequit, ut nonnulli circuli opinati sunt, peccatum veniale habituale consistere in privatione gratiæ *actualis;* rectius ponitur subtractio quarumdam gratiarum actualium tamquam *pœna* peccati venialis.

(3) Billot, *op. cit.*, p. 118.

remitti per fervorem charitatis: nam hunc non traducit tamquam causam formalem remissionis, sicut infusionem gratiæ pro remissione mortalium (1), sed potius velut causam efficientem, quatenus reitas peccati venialis non auferatur ex opere operantis, nisi mediante actu qui compenset perversionem ordinis, quam induxit veniale peccatum (2).

Altera differentia ex prima sequitur: dum enim remissio culpæ mortalis consistit in duobus, tum scilicet in hoc quod Deus condonat offensam, non amplius imputando illam, tum in hoc quod tollit aversionem infundendo gratiam, remissio culpæ venialis reponitur tantum in uno, id est in ablatione reitatis, quamvis ad eam essentialiter requiratur præsentia gratiæ in anima (3).

H. M.

IV

Q. *Explica notionem blasphemiæ.*

R. Blasphemia definitur: *locutio contra Deum* seu *locutio contumeliosa in Deum* (4).

Explicatio. — Dicitur 1° *locutio* i. e. *significatio* con-

---

(1) Docet Conc. Trid. *Sess.* VI, cap. 7, justificationis *unicam causam formalem* esse gratiam sanctificantem. Jamvero causa formalis exercet suam causalitatem, communicando esse proprium: gratia igitur tollit culpam mortalem communicando esse suum. Unde recte concluditur peccatum mortale habituale consistere in privatione illius esse seu privatione gratiæ. Similiter si causa formalis remissionis venialium esset fervor charitatis, dicendum esset veniale consistere in privatione illius fervoris. At, ut dicitur in fine responsi, venialium, secus ac mortalium, remissio consistit in sola ablatione reitatis.

(2) Lege S. Thomam, *De malo*, q. VII, art. 11 in corp. Cf. Billot, *l. cit.*

(3) Cf. Billot, *op. cit.*, p. 118 sq.

(4) Etymologice blasphemia, βλασφημία flandrice literaliter vertitur *lastertaal* et significat malam de aliquo locutionem, seu omnem maledictionem et locutionem contumeliosam in aliquem; quo sensu dixit Apostolus *I Cor.* IV, 13 « blasphemamur et obsecramus ». Usu autem theologico significat malam locutionem de Deo: *godslastering*.

tumeliosa in Deum. Blasphemia scil. essentialiter est in *significando* contumeliam in Deum, ità ut ubi deficit significatio contumeliæ, deficiat etiam proprie dicta blasphemia. Hæc autem locutio seu significatio potest esse sive 1/ *interna* i. e. mentalis, quando interne seu verbo mentis apud te *exprimis* seu *significas* quod est contumeliosum in Deum qui omnia, etiam mere interna percipit; sive id reipsa sentias (1) sive solum significare velis apud temetipsum quod Deum dehonestat, quin id reipsa sentias (2); sive 2/ *externa* quando externo modo significas contumeliam in Deum. Externa autem esse potest proprie *verbalis* si quis verbis prolatis aut scriptis significet contumeliam, vel *realis* si quis gestibus vel factis significantibus Deo contumeliam irrogaret, sicut quando Julianus Apostata, uti ferunt, contra cœlum sagittam projecit (3).

Quatenus autem blasphemia sit essentialiter in *significando,* jam distinguitur a pluribus peccatis quodammodo similibus:

a/ ab *infidelitate* quæ consistit in falsa de Deo *persuasione*, seu in *judicio intellectûs* quo veritas a Deo revelata scienter rejicitur. Internum autem assensum falsum de Deo blasphemia non necessario importat, licet in suo significatu speciem infidelitatis seu hæresim exprimere possit.

b/ a *sacrilegio*, quod est violatio seu *indigna tractatio* sacri (personæ, rei aut loci). Etenim sacrilegium non importat *significationem* contemptus seu despectus, licet *a parte rei* contineat contemptum et ità sacrilegus dici possit interpretative blasphemus; ut autem *revera* sit

---

(1) Quo casu utique species infidelitatis blasphemiæ conjungeretur.

(2) Cfr. Ill^m ac Rev. Waffelaert, *Confessarius rite institutus ad impugnandam blasphemiam*, n. 7.

(3) *Verbis* fit inhonoratio seu contumelia per *convitium, improperium, maledictionem; factis* verò per *irrisionem, illusionem, subsannationem,* qui varii modi apud varios Auctores non eodem sensu sumuntur. Vide Ill^m ac Rev^m Waffelaert, *De Justitia*, Brugis 1886, T. II, p. 165 n.

blasphemus, debet, in determinatis adjunctis, actus ipse *significare* Dei contumeliam, quæ significatio utique sacrilegio quandoque conjungitur.

c/ a *pravo juramento*, cum juramentum formaliter et proprie consistat in divini testimonii *invocatione*. (V. statim infrà).

Ex eo quod contumeliæ significatio sit ipsa blasphemiæ essentia, sequitur sufficere ad blasphemiam voluntatem indirectam et implicitam, quæ adest eo ipso quod voluntarie adhibeantur verba vel signa in datis adjunctis contumeliam vere significantia: significatio enim non pendet ab arbitrio loquentis, sed verba et signa habent ex se significationem determinatam.

Dicitur 2°/ locutio *contra Deum* seu *contumeliosa in Deum*, i. e. locutio significans contemptum divinæ bonitatis seu perfectionis. Cùm autem omnis locutio contra Deum, utpote ubique præsentem, sit vera contumelia, quidam Auctores blasphemiam simpliciter definiunt: « locutio contra Deum ». Contumelia enim opposita est et derogat honori. Honor autem est testificatio propriæ existimationis de alterius excellentia; contumelia proinde est testificatio minoris æstimationis propriæ, vel positivi despectus excellentiæ alterius. « Licet ergo possis absenti maledicere aut detrahere v. g. quin lædas honorem, vel saltem quin graviter lædas; non tamen id potes sine contumelia præsenti. Atqui Deus ubique præsens est » (1).

Quatenus autem blasphemia est *contumeliosa* Deo, distinguitur

a/ a *simplici usurpatione vana* nominis Dei vel sanctorum: hæc quidem importat defectum reverentiæ Deo debitæ, non tamen est contra Deum; a. v. est locutio irreligiosa, non autem in Deum contumeliosa.

b/ a *juramento pravo*. Juramentum essentialiter et proprie consistit in divini testimonii invocatione. Unde

(1) Cfr. Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *Confessarius rite instit.* etc. n. 8.

juramentum pravum quo Deus invocatur ut testis falsi, aut peccati, aut etiam veri et justi absque sufficienti tamen ratione, est sane irreverentia in Deum, non tamen est formaliter locutio seu significatio contra Deum. Jurans absque judicio agit contra reverentiam divinæ majestati debitam; jurans absque veritate vel sine justitia supponit quasi interpretative et a parte rei Deum fallere aut peccato favere posse, non vero id *loquitur* seu *significat* (1).

Dicitur 3°/ locutio contra *Deum* seu contumeliosa *in Deum*. Nempe subjectum cui contumelia infertur debet esse Deus ut sit blasphemia; sed Deus vel immediate in se (blasphemia immediata) vel mediate in creaturis, prout præcise aliquid Dei sunt seu in ordine ad Deum considerantur (blasphemia mediata): contumelia enim illata creaturis in quantum cum relatione ad Deum considerantur, in ipsum Deum redundat.

Creaturæ autem de facto eo facilius in ordine ad Deum considerantur, quo, de se et ex natura sua, propius ad Deum ordinem objective dicunt. Sub hoc autem respectu trifariam creaturæ distingui possunt (2):

a/ Quædam (ut Angeli et Sancti, res sacræ) sunt ità Deo proximæ ut *semper* in ordine ad Deum considerentur, nisi quis positive præscindat a relatione in Deum, puta sanctum formaliter considerando in se prout homo fuit in terris: sic autem contumelia non foret blasphemia, sed peccatum irreligiositatis oppositum duliæ.

b/ Quædam licet non semper et per se, *facile* tamen in ordine ad Deum considerantur, nisi abstractio fiat;

---

(1) Ex eo autem quod blasphemia formaliter et proprie consistat in *significando*, juramentum verò in invocando, sequitur ad blasphemiam sufficere ut mere externe proferantur verba in determinatis adjunctis contumeliosa, dum contrà mere externa invocatio testimonii divini sine intentione jurandi, non est juramentum sed juramenti fictio. Cfr. Ills ac Revs Waffelaert *o. c.* n. 16; — Dignant, *Tract. de Virt. Relig.* Brugis 1901, n. 213.

(2) Cfr. Ills ac Revs Waffelaert, *o. c.*, n. 13.

ità anima, cœlum, totus mundus seu creaturæ globatim sumptæ.

c/ Sunt demùm res quæ *positiva tantum consideratione* ad Deum referuntur. Hujusmodi sunt res non sacræ universim, homines in terris viventes. — Unde contumeliæ, maledicta v. g., in tales creaturas non censentur in Deum ferri, adeoque non sunt blasphemiæ, nisi quis eas *positive* consideret cum relatione ad Deum, nimirum maledicendo creaturis illis quatenus præcise creaturæ Dei sunt, quod utique raro contingere videtur.

A. C.

V

Q. *Quæritur utrum specie morali differant blasphemia immediata et mediata?*

R. *Blasphemia immediata et mediata non differunt specie morali. — Neque blasphemiæ mediatæ per se conjungitur species contra duliam (vel hyperduliam), licet per accidens hujusmodi species adjungeretur in casu — cæteroquin valde raro, — quo quis contumeliam significare intenderet v. g. tùm in Sanctos qua tales seu conjunctos cum Deo, tùm in Sanctos non qua tales seu qua homines.*

Explicatio. 1/ *Regula generalis: blasphemia immediata* (prolata in Deum immediate et in se spectatum) *et blasphemia mediata* (prolata in creaturas prout sunt aliquid Dei seu a parte rei ordinem ad Deum dicunt) *non differunt specie morali.* Etenim in blasphemia immediata et mediata per se una eademque reperitur difformitas a regula morum seu a fine ultimo: ex hac autem difformitate species morales peccatorum formaliter desumuntur (1).

Eamdem autem difformitatem seu repugnantiam ad regulam morum reperiri in blasphemia mediata et in

(1) Cfr. Bouquillon, *Theol. mor fund.* 2a ed. n. 343, 3a ed. n. 349.

blasphemia immediata, ex eo patet quod contumelia illata creaturæ *prout hæc specialiter ad Deum refertur et a parte rei ordinem ad Deum dicit*, in ipsum Deum — propter hanc peculiarem connexionem — redundat. Contumelia igitur significata in creaturas consideratas tanquam ad Deum relatas, est locutio contumeliosa in ipsum Deum adeoque blasphemia, sive intendas creaturas (v. g. Sanctos) impetere tanquam a parte rei ad Deum relatas, sive id non intendas. — Quodsi *intendas*, finis operantis coïncidit cum fine operis seu locutionis contumeliosæ, estque blasphemia directa, cujus malitia in eadem specie blasphemiæ notabiliter aggravatur (1). — Quodsi dictam relationem extrinsecam in Deum *non intendas*, dummodo eam attendas, erit nihilominus vera blasphemia in Deum, licet indirecta. *Ratio* est quia non potes efficaciter ab illa relatione abstrahere in actu contumelioso.

Etenim, ad hoc quod circumstantia objecti refundat in actu specialem rationem *malitiæ*, minime requiritur quod in se intendatur; sed sufficit quod in objecto adsit et ab operante cognoscatur illumque, licet cognita, ab agendo non retineat: nam eo ipso operans illam vult et amplectitur indirecte, quod ad malitiam sufficit. Ità, cùm Sancti habeant specialissimam cùm Deo conjunctionem ad Ipsumque pertineant, qui hanc circumstantiam cognoscens (2) illos contumelia afficit, Deo etiam contumeliam indirecte inferre vult, licet id explicite non intendat; et consequenter contumelia in creaturas consideratas ut ad Deum relatas, v. g. in Sanctos qua tales, est contumelia in Deum (3).

Blasphemia ergo immediata et mediata non differunt morali objecto, sed tantum in *modo* (immediate vel mediate) significandi contumeliam in Deum. Sunt igitur ejusdem speciei moralis.

---

(1) Cfr. Ill^s ac Rev^ds Waffelaert, *Cons. rite instit.* etc. n. 23 et 26.

(2) Supponimus autem Sanctos *qua tales* considerari.

(3) Cfr. Salmantic. *Tract. XXI de Incarn.* Disp. XXVI, Dub. II, n. 22.

Blasphemia mediata est locutio contumeliosa in creaturas prout ad Deum referuntur seu a parte rei cum Deo connectuntur. *Quodsi creaturæ non considerantur quatenus cum Deo connexæ,* ac si v. g. Sancti considerantur ut homines quidam in terris fuerunt, tunc efficaciter quidem abstrahis a relatione extrinseca quam ad Deum habent, cùm Sancti jam considerentur sub respectu sub quo a parte rei non adest hujusmodi relatio; adeoque jam non erit blasphemia. Aderit quidem contumelia contra duliam (vel hyperduliam) (1), quia iterùm efficaciter abstrahere nequis a dignitate majore ipsis *intrinseca* sc. ab excellentia divina participata. Dum enim hæc circumstantia dignitatis intrinsecæ majoris cognita non retrahit a malo, fit volita et saltem indirecte intenta. Hujusmodi ergo contumelia licet non esset blasphemia, foret quidem peccatum (2) contra duliam (vel hyperduliam); non tamen exinde infirmatur regula generalis statuens *blasphemiam* immediatam et mediatam specie morali non differre.

Nec refert in colendis Sanctis *qua talibus* seu ad Deum relatis posse abstrahi a relatione illa extrinseca ad Deum, ità ut cultus ad ipsos, non autem ad Deum terminetur, sitque cultus duliæ absolutus, specie distinctus a cultu latriæ, etiam a cultu latriæ relativo quo Deus ipse posset coli in Sanctis (3). Hæc autem abstractio, ut vidimus, in actu contumelioso est impossibilis et inefficax, ubi Sancti qua tales considerantur.

Ratio disparitatis est in hoc quod *actus cultus* sit *actus bonus, actus contumeliæ* verò *actus malus.* Etenim ad hoc quod circumstantia objecti tribuat specialem ratio-

---

(1) Non autem contra cultum duliâ inferiorem. Cfr. Ill^s ac Revd^s Waffelaert, *opusc. cit.*, n. 26.

(2) Parvitatem materiæ admittens, ut notat S. Alph. *Theol. mor.*, Lib. IV, n. 125, 3°.

(3) Hic tamen cultus latriæ relativus prout Sanctum attingit, præsertim publicus; non solet nec convenit exhiberi Sanctis, ne errori detur locus, et magis quidem si separetur a cultu absoluto.

nem *bonitatis* actui, debet per se intendi ab operante: si hoc modo non intendatur quamvis in objecto sit, perinde comparabitur ac si ibi non esset; quia, cùm non moveat, pure materialiter et per accidens se habet (1). Unde ut actus quo coluntur Sancti qua tales habeat speciem latriæ relativæ, opus est ut eliciatur ex motivo, Sanctis extrinseco, eminentiæ divinæ. Actus igitur cultus quo Sancti qua tales coluntur, utpote bonus, potest terminari et sistere in Sanctis; e contrario actus contumeliæ in Sanctos qua tales, utpote malus, semper in Deum redundat, ut suprà ostensum fuit. Ergo licet actus quo colitur Sanctus qua talis, specie differre possit ab actu quo colitur Deus, actus contumeliæ in Sanctum qua talem est semper actus contumeliæ in Deum ipsum (2).

2/ At statim quæri potest utrum *blasphemiæ non addatur species contra duliam vel hyperduliam*, quoties mediata est in Deum, immediata in Sanctos vel B. M. V.? Respondetur utrimque pugnare Auctores, attamen probabilem esse sententiam negantem, imò plus quam probabilem, eo saltem sensu quod non per se seu necessario adjungatur species contra duliam vel hyperduliam (3). Quodsi quis *objiciat* in blasphemia mediata

---

(1) Cfr. Salmant. *n. c. et s.*

(2) Hæc doctrina quæ ad medullam theologiæ moralis pertinet potest, exemplis e Salmant. (*Tract. XXI, de Incarn.* Disp. XXVI, Dub. II, n. 22) desumptis, facile confirmari quoad utramque partem. « Nam, si quis colat hominem, qui simul est sacerdos et pater ejus, non formaliter et per se quia sacerdos, sed quia pater est; talis cultus non habet speciem religionis sed pietatis. Et tamen si eumdem injuriose percuteret ex quocumque motivo peccaminoso, quantumvis præscindere vellet a circumstantiis sacerdotii et paternitatis, ageret reipsa contra religionem et pietatem, haberetque prædicta injuria proprias sacrilegii et impietatis rationes. Similiter qui virgini religiosæ tribueret eleemosynam non quia sacrata Deo est, sed quia pauper, non eliceret actum religiosi cultus sed misericordiæ, sicut erga pauperes alios; et tamen si ad eam turpiter accederet, quamvis circumstantiam illam status religiosi non respiceret per se, sed magis excludere vellet, committeret reipsa sacrilegium et contra religionem peccaret ».

(3) Cfr. Ill^s ac Revd^s Waffelaert, *opusc. cit.*, n. 25.

semper involvi speciem contra duliam vel hyperduliam ex eo quod non abstrahatur a dignitate majore *intrinseca* Sanctorum (sc. ab excellentia divina participata), respondemus cum distinctione:

In blasphemia mediata species contra duliam vel hyperduliam involvitur formaliter ut species distincta contra cultum illum inferiorem, *nego;* involvitur virtualiter, quatenus blasphemia cum relatione ad Sanctos virtute contineat peccatum contra cultum inferiorem, formaliter tamen sit peccatum majus blasphemiæ in Deum, *Concedo.* — Etenim species contra duliam in blasphemia mediata non inest formaliter, quia hujusmodi species, in casu blasphemia contra Sanctos qua tales consideratos, est impossibilis ut in se consistens. Est autem impossibilis quia, ut suprà ostendimus, quando contumelia dirigitur in Sanctos qua Sancti sunt, nequis abstrahere a relatione extrinseca quam ad Deum habent, ità ut contumelia se extendat ultra limites excellentiæ intrinsecæ et attingat dignitatem Dei ad quam referuntur. Idcirco blasphemia mediata est ipsa species blasphemiæ in Deum at cum relatione ad Sanctos. Species ergo contra duliam vel hyperduliam in tali blasphemia involvitur virtualiter, sicut minus involvitur virtualiter in majore ad quod refertur. Sic v. g. involvitur dulia in hyperdulia et utraque in cultu latriæ relativo (1).

Præterea qui blasphemant Sanctos, verius communiter loquendo eos injuria afficere intendunt, non ob præcisam propriamque excellentiam, sed quatenus ad Deum referuntur seu qua tales (2).

3/ Meritò igitur dicebamus in blasphemia mediata et immediata per se *unam eamdemque* reperiri difformitatem a regula morum, adeoque blasphemiam in Deum et blasphemiam v. g. in Sanctos qua tales specie morali

(1) Cfr. Ills ac Revds Waffelaert, *opusc. cit.*, n. 26.
(2) S. Alph. *Theol. Mor.*, Lib. IV, c. I, n. 132.

non differre. Concedimus tamen *speciem contra duliam vel hyperduliam blasphemiæ mediatæ conjungi posse*, in casu nempe valde raro (1) quo quis contumeliam significaret v. g. in Sanctos consideratos tùm qua tales seu conjunctos cum Deo, tùm non qua tales seu qua homines in terra fuerunt. Quod ex disputatis satis liquet nec ulteriori explicatione indiget : tunc enim impeteret Deum ipsum propter relationem extrinsecam qua Sancti qua tales ad Deum habent, — et ipsam dignitatem Sanctorum intrinsecam (2).

Conclusio. Cùm sententia propugnata tùm intrinsece tum extrinsece sit solide probabilis (3), valet conclusio Cajetani practica : « Et hinc habes, confessor, quod varietas blasphemiarum *pro diversitate specifica* (4) non est inquirenda, sed pro majori gravitate (in eadem specie mortali) judicanda (5), ut in cæteris peccatorum speciebus contingit » (6).

A. C.

---

1 Blasphemantium enim menti obversatur communiter id quod ad religiosum cultum pertinet relatio ad Deum , non vero id quod spectat ad propriam cujusque creaturæ excellentiam.

2 Quo notato aliquousque forsan conciliari possunt Auctores qui in hac quæstione tantopere dissentire videntur.

3 Cfr. S. Alph. *Theol. Mor.*, Lib. IV, c. I, n. 132. — Ballerini-Palmieri, *Opus theol.* Vol. II (Prati, 1890, p. 379 s. — Theol. Mechlin. *Tract. de Virt.*, 1896, p. 379.

(4) Ut notum est, nulla differentia specifica oritur in blasphemia e modo locutionis, — neque ex intentione quod directa vel indirecta sit blasphemia, — neque ex re enuntiata, licet blasphemia cum hæresi conjungi possit. Cfr. Ills ac Revds Waffelaert, *opusc. cit.*, n. 22 ss. — Varietatem blasphemiarum quandoque alia de causa inquirendam esse nemo non videt.

5 De circumstantiis in eadem specie notabiliter aggravantibus (ut quando blasphemia est directa), vide Lahousse, *De Pœnitentia*, Brugis 1894, n. 90.

(6) In 2am 2æ, q. 13, art. 2.

VI

Q. *Determina quatenus obligatione residendi teneantur vicarii cooperatores:*

R. Nomine *vicariorum* hic intelligimus *cooperatores* parochiales, qui parocho digno et idoneo, residenti pleneque operanti, sed ob multitudinem fidelium et negotiorum insufficienti, ad *auxilium* in cura animarum præstandum, apud nos ut capellani ad nutum removibiles adjunguntur (1). De quibus inquirimus quatenus teneantur obligatione residendi.

Autumant nonnulli Auctores eos *jure communi positivo* teneri ad residentiam, adeoque ipsis applicandas esse juris communis dispositiones: quorum alii (2) contendunt vicarios cooperatores comprehendi verbis Concilii Tridentini *Sess.* XXIII, cap. 1, *De reform.*; alii (3) verò potius argumentum ducunt ex nonnullis declarationibus S. C. C. — At admitti nequit vicarios cooperatores intelligi sub verbis Tridentinis, quum dici nequeant vere ac nomine proprio exercere curam animarum (4); deinde decisiones, quæ afferuntur, S. C. C. non præbent sufficiens fundamentum ad adstruendam obligationem residendi ex jure communi positivo oriundam.

Relicta igitur illa sententia, dicimus necessitatem

---

(1) Conc. Trid. *Sess. XXI*, cap. 4 *De reform.* Cf. Wernz, *Jus Decretalium*, T. II (Romæ 1899), n. 837; De Brabandere-Van Coillie, *Compendium*, n. 503.

(2) Nicollis, Barbosa, Van Espen, Maupied, citati apud Deneubourg, *Etude canonique sur les Vicaires paroissiaux*, Tournai 1871, p. 427.

(3) Henry, *De residentia beneficiatorum*, Lovanii 1863, p. 219, qui tamen dubitative loquitur; Deneubourg, *op. cit.*, p. 429 ss.; *Nouv. rev. théol.*, T. XXVIII, p. 254.

(4) Bouix, *De parocho*, pars V, cap. II, § II, prop. III; Craisson, *Manuale totius juris canonici*, n. 1450; Henry, *op. cit.*, p. 158; Deneubourg, *op. cit.*, p. 428; *Rev. théol. franç.*, T. VIII (1903), p. 294, ubi deinde provocatur, sed inefficaciter, uti videtur, ad decretum Conc. Trid., *Sess.* XXIII, cap. 16 *De reform.*: « Qui ordinantur, certis ecclesiis adscribantur ».

residendi manifesto oriri *ex natura ipsius muneris* vicarii cooperatoris: hic enim constitutus est ut parochum adjuvet in exercenda cura animarum; quomodo autem hoc suo officio fungi poterit, si non resideat? — Deinde *jure particulari* adigi potest vicepastor ad residentiam, uti de facto obtinet in diœcesi Brugensi. Cf. *Statuta*, P. I, Tit. III, Art. II, coll. Tit. IV, Art. I, (p. 76 sqq., coll. p. 91). Unde quousque se extendat dicta obligatio, colligi debet ex ipsa officii natura et statutis diœcesanis: videlicet tenentur vicepastores jure naturali ad *aliquam* residentiam, eam np. quæ necessaria est ut rite munus suum adimplere valeant; et *in specie*, juxta Statuta nostra, eis proportionaliter applicari debent dispositiones, quæ attingunt residentiam parochorum.

Inde I° *Quoad indolem* residentiæ: debet esse *formalis* seu laboriosa, quippe quam manifesto exigit officii adimpletio. Sunt enim adjuncti rectori qui « non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis et cultui divino peragendo », ut dicit Trid. *Sess.* XXI, cap. 4 *De reform.*, et sane eorum auxilio uti potest et debet parochus in exercenda cura animarum, ut notavimus *suprà* p. 278 sq.

II° *Quoad locum:* vicepastor residere tenetur *intra limites parochiæ*, quod iterum importat necessitas officii in parochia adimplendi et aperte requirunt Statuta *l. cit.* Nota tamen discrimen cum parocho: dum enim hic de jure communi tenetur habitare, si existat, domum parochialem (1), non ita vicepastor; posset tamen hoc imponi vicariis præscripto diœcesano (2), sed apud nos deest hujusmodi præscriptum absolutum (3).

III° *Quoad tempus:* quemadmodum parochi, ita vice-

---

(1) Vide *suprà*, p. 279.

(2) *Rev. théol. franç., l. cit.*, p. 353 sqq.

(3) Continent tamen *Statuta* p. 93 decretum conditionatum: « Servandus est mos, *ubi viget*, ut *vicarius* et coadjutor parocho cohabitent, nisi facultatem a Nobis obtinuerint aliam sibi eligendi habitationem.... » Qui mos quantum ad vicarios jam non existit.

parochi ad *continuam* residentiam adstringuntur, ut postulat eorum munus, cum rectori debeant esse auxilio continuo, et expresse decernunt Statuta *l. cit.* Illa continuitas, sicut diximus pro parochis *suprà* p. 279, non est intelligenda physica, sed *moralis*. Per quantum verò tempus et de cujusnam licentia abesse liceat Vicariis, statuitur jure diœcesano : videlicet, secluso tempore sacris exercitiis impendendo, illis non licet *sine licentia Decani ultra quatuor dies,* computatis diebus exitus et reditus, nec *sine licentia Ordinarii ultra hebdomadam,* nec *sine licentia parochi per notabilem diei partem* a parochia abesse (1).

H. M.

(1) Cf. *Statuta*, p. 77; De Brabandere-Van Coillie, n. 520, ubi præterea citantur varia decreta Congr. prosyn. huc pertinentia.

Dissertatio

De baptizandis infantibus nonnatis, abortivis et monstris.

Opportunum non paucis videbitur hac de re agere, attento gravissimo hujus quæstionis momento, et ratione habita incredibilis ignorantiæ quæ circa principia hanc materiam regentia nonnunquam occurrit penes medicos etiam catholicos, quorum scientiæ defectui suppleat oportet peritia sacerdotis in ministerio allaborantis. Nec eum tædeat vel pudeat hujusmodi scientiæ elementa addiscere, cum nullum ipsi negligendum sit adminiculum quo vel unam animam salvare et cœlo lucrari possit. Porro claritatis gratia distinctis paragraphis agemus de Baptismo conferendo 1° pueris nonnatis, 2° abortivis et 3° monstris. Sit igitur

Paragr. 1ª : DE BAPTIZANDIS NONNATIS.

Sub hoc nomine intelligimus fœtus in utero materno adhuc reconditos vel saltem nondum perfecte editos. Possunt autem hujusmodi infantes periclitari sive *in ipso partu jam inchoato*, sive *instante partu maturo*, sive *ante partum maturum*, puta ob gravem infirmitatem matris prægnantis. Jamvero

I/ Si *periclitatur proles* **in ipso partu inchoato**, *seu partim jam in lucem edita, sufficit applicare præscriptum* Rit. Rom., *Tit. II, cap. 1m, n. 16: « Si infans caput emiserit et periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec postea, si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo si periculum impendeat, baptizetur: et tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus* ». Cf. Benedictum XIV, *De Synodo diœces.*, l. VII, c. V, n. 7-10.

Quam doctrinam jam docebat S. Thomas, P. III, qu. LXVIII, art. 11: « Ad quartum dicendum, quod

exspectanda est totalis egressio pueri ex utero ad Baptismum, nisi mors immineat : si tamen primò caput egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari, periculo imminente, et non est postea rebaptizandus, si eum perfecte nasci contigerit. Et videtur idem faciendum quæcumque alia pars egrediatur, periculo imminente. Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita consistit sicut in capite, videtur quibusdam quod, propter dubium, quacumque alia parte corporis abluta, puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma : si non es baptizatus, ego te baptizo ».

Sufficit autem infantem baptizare in primo membro apparente, quodcumque sit, et deinde ablutionem conditionaliter iterare in capite ; nec probanda videtur a nonnullis (1) proposita praxis fœtum in manu vel pede baptizandi, si hoc membrum prius emiserit, dein in alio membro nobiliori successive ex utero erumpente, puta in pectore vel in scapulis, donec tandem caput emittens in vertice abluatur ; ratio est quia Rituale non distinguit inter varia membra a capite distincta, et quia Baptismus manet æque dubius quousque caput aqua non fuerit perfusum.

II. *Si periclitatur infans* instante partu, qui prævidetur difficilis vel impossibilis, v. gr. ob arctitudinem matris. Tunc

A. *Si potest* in utero *materno aquis baptismalibus tingi, curet sacerdos ut baptizetur a medico vel obstetrice, idque, in quantum fieri potest,* immediate *in* capite.

Explicatur.

1°. Obsoleta est doctrina, quam olim tenuit Cajeta-

(1) Ita Hubert, *Cours d'accouchements*, p. 603 : « Si l'enfant, au lieu, de la tête, produit au dehors un pied ou un bras, on doit le baptizer sur cette partie. Après cela, si le tronc vient à se dégager lentement et que le danger persiste, il faut renouveler le baptême d'abord sur la poitrine, puis sur la tête, dès qu'on le peut, en ayant soin d'ajouter la condition : *si tu n'es pas baptisé, je te baptise etc.* ».

nus, nimirum « parvulos in maternis uteris periclitantes posse salvari per sacramentum Baptismi, non in re sed in voto susceptum (mediante scil. fide matris ipsis quasi applicata), cum aliqua benedictione prolis, seu oblatione ipsius ad Deum cum invocatione SS. Trinitatis ». Cf. Eschbach, *Disputationes physiologico-theologicæ*, 1901, pp. 287-295.

2°/ Baptismum posse administrari infanti in utero matris recondito jam inficiatur nemo. Olim id passim negabant Auctores quia ex una parte putabant corpus infantis, antequam nascatur ex utero, non posse aliquo modo ablui aqua, et ex alia parte meritò contendebant hujusmodi fœtui non prodesse ablutionem baptismalem qua lavaretur corpus matris prægnantis : « Respondeo dicendum, ait S. Thomas, P. IIIª, qu. LXVIII, art. 11, quod de necessitate Baptismi est quod corpus baptizandi aliquo modo aqua abluatur... Corpus autem infantis, antequam nascatur ex utero, non potest aliquo modo ablui aqua ; nisi forte dicatur quod ablutio baptismalis, qua corpus matris lavatur, ad filium in ventre existentem perveniat : sed hoc esse non potest : tum quia anima pueri, ad cujus sanctificationem ordinatur Baptismus, distincta est ab anima matris ; tum quia corpus pueri animati jam est formatum, et per consequens a corpore matris distinctum, et ideo Baptismus, quo mater baptizatur, non redundat in prolem in utero matris existentem ».

Cujus antiquiorum doctrinæ vestigium videtur relinqui in Rit. Rom., l. c., ubi monet : « nemo in utero matris clausus baptizari debet » ; quod monitum, contra hæreticam praxim matrem pro filio baptizandi directum, nititur in eadem quam olim admittebant hypothesi, quod attingi nequeat proles nondum nata (1).

---

(1) Aptior est formula *Pastoralis Brugensis*, p. 24 : « Nullus in utero matris ita inclusus ut corpus ejus tingi nullatenus possit baptizari debet, nec mater gravida pro infante ».

Quam hypothesim, juxta medicorum et obstetricum sui temporis testimonia, falsam esse jam docebat Benedictus XIV, op. cit., l. VII, cap. V, n. 3, et falsam in dies altius proclamant scientia et experientia modernæ (1). Nimirum

3° Potest, instante partu, uterus matris penetrari et infans in eo latitans non raro valet attingi, idque *tactu immediato*. Dicitur « *tactu immediato* » : notum est enim fœtum in utero tribus membranis esse obvolutum, quarum interior vocatur *amnion*, liquorem continens amnioticum, media *chorion*, et tertia exterior *decidua* (caduque); porro si duæ priores nascuntur ex ipso ovo fœcundato, adeoque ad ipsum fœtum pertinere censentur quasi pars ipsius, decidua est membrana indubitanter ad matrem pertinens (2); adeoque baptismalis aqua super exteriori involucro effusa non potest dici fœtum attigisse; unde ad minus dubium foret sacramentum hac ratione administratum.

Ad hoc igitur ut *immediate* attingatur proles, perforandæ sunt secundinæ (3), quæ perforatio passim

---

(1) Cf. Cangiamilla, *Sacra Embryologia*, pp. 276-279, cum AA. ibidem citatis; in quo opere, pp. 280-300, invenies solutam objectionem desumptam ex verbis Christi Domini ad Nicodemum (Jo. III, 3), quatenus non natus renasci nequeat: ut quis enim ad gratiam renasci valeat, sufficit ut generatione naturam humanam acceperit et per eam peccatum originale contraxerit, quæ generatio, non secus ac parturitio, nativitas dicitur, juxta verbum Angeli ad S. Josephum : « quod enim in ea *natum est*, de Spiritu sancto est ».

(2) Ex quibus apparet minus accurate dici a Bened. XIV, l. c., n. 3, quod secundinæ absque restrictione « censentur quodammodo pars infantilis corporis »; item immeritò doceri in *Institutione ad clerum de erudiendis obstetricibus*, quam approbaverunt et publicaverunt Episcopi Austriaci 19 Jan. 1897 (*Revue théol. franç.*, 1900, p. 95 et seq.), quod dictæ secundinæ « hodie a doctis censentur esse de corpore matris, non vero fœtus ». Ad art. 11.

(3) Juxta notiones datas posset forsan sustineri quod ad immediatum infantis tactum sufficiat laceratio deciduæ, cum membrana, chorion dicta, jam pertineat ad fœtum; sed tutius sane est ut etiam reliquæ membranæ disrumpantur, eo vel magis quod fœtus liquore amniotico undique circummeatur; cæterum, uti modò notabitur, non sufficit corporis ablutio immediata sed oportet ut in capite perficiatur.

absque periculo fieri potest, imo naturalem partum præcedere debet. Laceratis autem secundinis Baptismus conferatur, in quantum fieri potest, per veram aquæ affusionem manu factam, vel, si opus sit, ope instrumenti, puta irrogatorii, vel saltem digito in aqua intincto (1).

Huc spectat monitum quod sub art. 6°/ invenimus in prælaudata *Instructione Austriaca*. « Quotiescumque.... contingit ut infanti in utero matris manenti ex necessitate Baptismus conferatur, fideliter providendum erit ut nonnisi omnino pura aqua adhibeatur, ne parturienti morbi inserantur, cum mulieris fortasse vitæ discrimine. Quapropter ad Baptismum intra matris uterum proli conferendum aqua prorsus e fontibus... vel aqua distillata sumatur. Quum vero ejusmodi aqua pura raro tantum adfuerit, aqua prius bene decocta et refrigerata adhuc tepida (2), quæ obstetricibus semper præsto esse debet, adhibeatur ». (3).

Quinimo, si adhuc timetur ne matris uterus morbo afficiatur, pro majori rei gravissimæ securitate, permittit C. S. O., in decreto 21 Aug. 1901, ut aqua adhibeatur cum hydrargyro bichlorato corosivo (chloride de mercure) ita permixta ut componatur solutione unius partis hujus chloreti hydrargyrici in mille partibus aquæ. Cf. *Nouv. Rev. théol.*, 1901, p. 654.

Notat etiam *Instructio Austriaca* monendam esse obstetricem « hoc in casu hoc unum sufficere (verba proferre simul cum aquæ infusione) et omnino non

---

(1) Attende nonnisi *dubie* valere Baptismum peractum per modum unctionis cum pollice in aqua madefacto, uti docet C. S. O., in decreto 14 Dec. 1898, apud *Collat.*, IV, p. 312.

(2) Jam interpretata est Congregatio Prosyn. 1878 verba *Pastor. Brug.*, p. 21, statuens ut « omni tempore aqua in Baptismo tepefacta adhibeatur ». Cf. *Collect. Epist. Pastor.*, XIII, p. 105.

(3) Maximi etiam momenti est ut uterus non penetretur nisi lotis omnino manibus, cum vel mininæ sordes gravissimum morbi periculum creare possint. — Quod cæterum ad medicos et obstetrices spectat.

requiri ut trina aquæ fiat infusio aut per modum crucis ». Art. 11.

4°/ Ad certum valorem sacramenti non sufficit ut ipsum corpus infantis immediate aqua tingatur, sed insuper oportet ut *in capite* peragatur infusio; imo etiam tunc, licet *theoretice* nulla dubitandi subsit ratio, *practice* tamen Baptismus censendus est dubius, eumque S. Congreg. Concilii decernit esse sub conditione repetendum post ortum, etiam « si in aliquo casu particulari medicus vere peritus et probus testetur... aquam sine dubio caput infantis in utero attigisse ». *Collat. Brug.*, II, p. 353. Videtur scilicet S. Congregatio intendere dubium *facti* non vero dubium juris, ita ut non dubitet de valore Baptismi in utero super vertice *certo* collati, sed potius non admittat qua possibilem hypothesim, qua practice *citra omne dubium* constet sacramentum hujusmodi ratione fuisse administratum.

5°/ Quomodocumque igitur Baptismus fuerit in utero collatus, proles, si postea edi contingat, est *sub conditione rebaptizanda* (1); ad quam sacramenti conditionatam iterationem est procedendum quousque moraliter *certò* non constat de *morte prolis*. (2). Quocirca attentione dignum est monitum Auctorum, v. gr. Cangiamilla, op. cit., pp. 324-384 et Ribemont-Dessaignes, *Précis d'obstétrique*, p. 554 et seq., infantem scilicet non raro, signanter post laboriosum puerperium, externam induere apparentiam mortis, quum tamen vivus existat (3); variæ etiam indicantur methodi, quarum ope

---

(1) « Si casus occurrat ut post Baptismum in utero collatum non unus sed duo infantuli aut tergemini edantur, cum ignoratur quisnam eorum in alvo materno ablutus fuerit, singuli baptizentur... adhibita super singulis forma: *si non es baptizatus....* » *Instr. Austriaca*, art. 13.

(2) Monet *Instructio Austriaca*, l. c., art. 12: « Si infantulus in lucem proditus satis sanus validusque appareat, obstetrix a rebaptizando sub conditione abstineat, sed opportune ad sacerdotem deferat, cui Baptismum in utero collatum fuisse indicabit ».

(3) « Le fœtus, né en état de mort apparente, présente deux aspects differents, qu'on décrit habituellement sous les noms assez impropres

recens nati, speciem mortis imitantes, solent ad vitam revocare (1). Unde sedulò notat *Instructio Austriaca*, l. c., art. 10: « Tunc tantum Baptisma plane omittendum est, quum de morte infantuli certo constat; obstetrix autem enixe monenda est tunc tantum de morte constare nullumque locum esse Baptismo cum editus fœtus signa putrefactionis dederit. Contra vero, ex eo quod natus infantulus nulla indicia vitæ præbeat, non

---

d'*asphyxie bleue* et d'*asphyxie blanche*. Le premier seul mérite le nom d'*état asphyxique*, le second celui d'*état syncopal*.

a/ *Etat asphyxique*. Les membres présentent une coloration violacée, quasi bleuâtre; la face est tuméfiée; les paupières sont entr'ouvertes, les globes oculaires paraissent saillants, on note une injection très accusée de la conjonctive. La résolution musculaire est complète....

b/ *Etat syncopal*. La mort (apparente) est souvent observée dans l'état syncopal (asphyxie blanche des Auteurs): les téguments sont ici d'emblée décolorés: les muqueuses sont pâles: les battements du cœur, quand ils existent, ont plutôt de la tendance à s'èspacer qu'à se rapprocher ... Comment expliquer ces différences dans l'asphyxie? Il est probable que dans le premier cas (asphyxie), il y a simplement défaut d'oxygénation du sang, qui le rend temporairement impropre à la circulation; dans le second cas (état syncopal), l'état de paleur des téguments traduit la congestion qui existe du côté des viscères et surtout du côté du cerveau ». Ribemont-Dessaignes, l. c.

(1) Proponuntur signanter insufflatio artificialis ope instrumenti insufflatoris vocati, necnon la méthode de la traction rythmée de la langue, recenter introducta a Dre Laborde, quæ methodus facilior est et magis obvia: « Ce procedé, ait Laborde, consiste à attirer fortement la langue en dehors et à faire exécuter à cette langue des mouvements énergiques d'avant en arrière. L'effet et l'importance de cette manœuvre résident principalement dans l'action puissante que l'excitation de la base de la langue et surtout sa traction exercent sur le réflexe respiratoire; cette traction peut, d'ailleurs, être réalisée d'une façon rythmique, en s'appropriant en quelque sorte, au rythme de la fonction qu'il s'agit de réveiller....

Pour saisir et bien tenir la langue, qui glisse, on le sait, avec grande facilité, dans les conditions accidentelles, imprévues et extemporanées dont il s'agit ici, la préhension avec la main est la seule ressource: le moyen le meilleur et le plus sûr de la réaliser c'est... d'entourer ses doigts d'un mouchoir, afin d'éviter, autant que possible, le glissement et l'échappement de la langue, qu'il ne faut pas craindre de tenir avec force et sur laquelle il faut tirer hardiment ». Cf. Ribemont Dessaignes, op. cit., p. 563.

existimet eum decessisse: potest enim syncope occupari.

Quoties ergo non plane constat exanimem esse, quantumvis de vita dubitetur, Baptismus sub conditione juxta prædicta illico est conferendus. Ideo obstetrix docenda est non primo conamina ineat et adminicula adhibeat ad infantem suscitandum, vel ad signa vitæ educenda et provocanda, Baptismum interea differens, sed imprimis a Baptismate exordiatur et reliqua postea impleat. Ritus enim sacramentalis brevissimo instanti perficitur, et reviviscentiæ conamina ea mora levissima non impediuntur, dum contra, dilato Baptismate, animæ damnum irreparabile causari potest; deinde, ut per se patet, sacramento confecto, ab obstetrice omnia adminicula illicò et constanter adhibenda sunt ut infans foveatur aut eripiatur a vitæ discrimine ».

6°/ Juvat notare quod in sacramenti administratione conditionata, præstat conditionem verbis ore prolatis exprimere; per se tamen, salva speciali Ritualis præscriptione, sufficit eam mente concipere, imo si conditio, ubi apponenda docetur, penitus omittatur, nullatenus est exinde repetenda formula sacramentalis. Unde nonnisi cum grano salis interpretanda sunt verba Prof. Hubert, op. cit., p. 693: « Quand on baptise sous une condition: *si tu es vivant, si tu n'es pas baptisé* etc., il est nécessaire *d'articuler* la condition; il ne suffit donc pas de la sous-entendre. Telle est la loi canonique ».

B/ Si *nequit infans in utero baptizari,* v. gr. ob irreductibilem uteri retroversionem, tunc

1°/ *Licet per operationem chirurgicam artificialiter provocare nativitatem et prolem ita natam baptizare, modò dicta operatio non sit hic et nunc adeo mortifera pro matre ut moraliter æquivaleat trucidationi. Imo potest adesse pro matre obligatio gravis charitatis hujusmodi operationem subeundi, quæ tamen obligatio, ubi adest, non est nisi cautissime urgenda.*

2° *Si nulla operatio potest tentari in matre vivente, hujus mors est expectanda et fœtus est exsecandus e sinu matris defunctæ.*

Explicatur.

Ad 1m.

a) Variæ præsto sunt operationes chirurgicæ pro varia causa partui naturali obstante. Ita si partus impossibilitas oritur ex angustia ossei pelvis, apte recurritur ad symphyseotomiam (1), modò tamen nimia non sit pelvis arctitudo (2), quo casu sola proderit operatio cæsarea.

b) Omnino requiritur ut descriptæ operationes non judicentur hic et nunc occisivæ matris, quia non licet occidere matrem nequidem ad animam pueri salvandam. Equidem de se et abstracte loquendo non sunt mortiferæ, sed tantùm important periculum plus minusve remotum mortis inferendæ (3), cui periculo potest sese exponere mater ex charitate erga prolem; sed natum est contingere quod in concreto et per accidens tales concurrant circumstantiæ ut operatio evadat æquivalenter occisiva, sive propter peculiarem debilitatem matris, ex laborioso partu defatigatæ, sive propter imperitiam chirurgi præsentis, aut propter impossibilitatem necessarias cautelas adhibendi aseptiæ et antiseptiæ (4).

---

1) « Consistit in divisione symphyseos pubianæ, i. e. du fibro-cartilage et des ligaments qui unissent les os pubis entr'eux ». Ill. ac Revermus Waffelaert, *De Justitia*, II. n. 96.

2) « Au dessous de 7 centimètres, l'opération césarienne est seule capable de sauver l'enfant ». Idem.

3) Quod spectat *Symphyseotomiam*, « Morisani a eu une mortalité de 11. 6 °/₀ pour les mères et de 13. 97 °/₀ pour les enfants; à la clinique de Baudelocque, la mortalité a été de 12 °/₀ pour les mères et de 13 °/₀ pour les enfants, dans une première série de 100 opérations ». *Annales de la société obstétricale de France*. Paris, 1902. Quoad *operationem cæsaream*, refert Eschbach, op. cit., p. 343, elenchum anni 1900, juxta quem ex 346 operationibus 23 tantum infelicem habuerunt exitum.

4) Ex quibus apparet periculum operationis cæsareæ v. gr. ruri peragendæ imprudenter æstimari juxta hujusmodi computus qui conficiuntur ex experientiis factis in nosocomiis et clinicis, summis adhibitis cautelis et a peritissimis chirurgis.

c) Ubi, omnibus attentis, licita judicatur operatio cæsarea, regulariter ad eam subeundam objective et a parte rei tenetur mater, ad hoc urgente virtute charitatis, ut etiam cum periculo propriæ vitæ corporalis succurrat infanti in extrema necessitate spirituali constituto; supponitur autem alio modo Baptismum administrari non esse possibile, quia non remanet seria spes vitam in prole post obitum matris conservandi (1).

Attamen sedulò attendat parochus vel confessarius ne hujusmodi obligationem gravem manifestet matri prægnanti, obligationis inconsciæ, antequam, prudenti facta inquisitione, illam ad obtemperandum paratam invenerit, ne imprudenti et incauta ratione agendi et matris et infantis saluti æternæ obstaculum ponat. Interdum poterit providus sacerdos mulierem, ab operatione subeunda reluctantem, ad hanc subeundam adducere, intermedio usus medici, qui ipsi operationem instanter suadeat ex motivo propriæ saluti corporali consulendi.

Ad 2m:

a) Obligatio extrahendi fœtum e sinu matris defunctæ, quam obligationem inculcat Rit. Rom. (2), incipit inde a morte matris moraliter certo cognita, et perseverat usque ad mortem moraliter certam prolis.

Porro de morte matris passim haud difficulter constat non tantum medico sed etiam aliis adstantibus, idque ex signis ordinariis quæ regulariter ansam non præbent

---

(1) Circa obligationem matri incumbentem ubi agitur de sola vita temporali conservanda, confer Ill. ac Revermum Waffelaert, op. cit., n. 97.

(2) « Si mater prægnans mortua fuerit, fœtus quamprimum caute extrahatur, ac, si vivus fuerit, baptizetur ». Tit. II, cap. I, n. 17. Similia decreverunt Concilia et Synodi antiquiora non pauca, quæ rencensentur apud Cangiamilla, op. cit., p. 104, ubi refert in hunc sensum latas fuisse jam in Jure Romano leges civiles, in quibus legitur: « Negat lex regia mulierem, quæ prægnans mortua fuerit, humari, antequam partus ei excidatur; qui contra fecerit spem animantis cum gravida peremisse videtur ».

serio dubio (1). Circa mortem autem fœtus in utero inclusi judicium est expostulandum medici vel peritoris obstetricis, quorum tamen testimonio non levius quam par est fides adhibeatur (2), signanter si dicta attestatio sola nititur absentia pulsationis cordis, quæ pulsatio vel potest reddi imperceptibilis vel per aliquot momenta penitus deficere etiam in fœtu vivente, sed syncope vel asphyxia occupato. Cf. supra.

Possibilitatem vitæ in fœtu præsertim maturo conservandæ post obitum matris in cujus utero reconditur, ad evidentiam usque demonstrat experientia, eamque confirmant ipsa physiologiæ principia.

Et sane infans in utero materno dilitescens nutritur ex sanguine matris, non quod sanguis matris per umbelicum in venas fœtus directe diffundatur et cum sanguine fœtali misceatur, uti olim docebatur, sed quatenus elementa nutritiva sanguinis materni, et signanter oxygenium, a fœtu assumuntur in venas umbelicales, quarum membranas pervadunt, uti dicitur, « par endosmose » ; unde nullatenus opus habet fœtus ut respiret, cum sanguis purificetur per oxygenium ex sanguine materno haustum, rejectis pari modo per arterias umbelicales elementis corruptis et nocivis, uti v. gr. l'acide carbonique. (3).

---

(1) Signa mortis præcipua enumerantur apud De Breyne, *Mæchialogie*, suivie d'un abrégé *d'Embryologie sacrée*, p. 399 et seq. ; collato Capellmann, op. cit., p. 187 et seq. Cf. etiam Brouardel, *Précis de médicine légale*, Paris, 1896, pp. 39 et seq. ; collato Ill. Mercier, *La Psychologie*, 5e ed., 1899, p. 515.

(2) Attendat sacerdos sapienter monitum Haldani apud Cangiamilla, op. cit., p. 196 : « Præstat centum cadavera prægnantium frustra incidere, quam semel permittere fœtum vivum in utero materno tam misere perire atque suffocari : hoc profecto esset crudelem atque inhumanum sese erga proximum exhibere : imo et justissimam iram divinam in genus humanum provocare ».

(3) Ideo non juvat, uti olim plures faciendum monebant et synodi jubebant, mortuæ prægnantis os, mediante tubo vel fistula, apertum servare, (Cangiamilla, op. cit., p. 115), at « consulitur, notat Theol. Mechl., op. cit., p. 173. ut calor in utero intertineatur, quoadusque sectio inchoetur ».

Quibus attentis intelligitur infantem non necessario interimi cum matre in cujus alvo reconditur; remanet enim in placenta sat magna copia sanguinis ut ex eo necessaria vitæ subsidia sibi assimilare valeat, eo vel magis quod paucissima sufficiant ad tenellam illam vitam vix non inertem sustentandam, ejusque usuram reparandam.

Non potest tamen determinari quousque infantilis vita in utero defunctæ matris conservari queat; cæteroquin id multum pendebit ab indole morbi ex quo absumpta est mater prægnans (1). Porro non est dubium quod fœtus per horam et ultra possit matri supervivere, idque multiplici experientia omnibus est compertum. Imo referuntur apud Auctores facta, licet minus authentice attestata, juxta quæ fœtus fuerit vivus exsectus pluribus diebus post obitum matris (2).

---

(1) « Le genre de maladie qui aura enlevé la mère aura sans doute beaucoup d'influence sur le résultat heureux ou malheureux de l'opération. Si la mort est causée par un de ces accidents imprévus qui frappent la femme en pleine santé, l'enfant a plus de chance d'être extrait vivant que si la mère a eu à supporter les douleurs et les fatigues d'une longue maladie, qui a pour conséquence de réagir d'une manière fatale sur le fœtus ». Cf. Eschbach, op. cit., p. 358. in nota, juxta D. Brillaud.

(2) Ita Cangiamilla, op. cit., pp. 114-145 et pp. 158-163, integram seriem congerit hujusmodi sectionum peractarum in matre ante plures horas imo et dies defuncta. Alibi, p. 195 mirabilem refert ortum S. Raymondi Nonnati : « Raymondi mater post infelicissimam graviditatem cum partui proxima in mortale deliquium ex morbo incidisset, a medicis per horas 24 acerrimis remediis divexata, et demum expergefacta, suprema sacramenta recepit, mandavitque sui corporis, postquam decederet, incisionem, ut fœtus liberaretur. Ea igitur mortua, necessarii pro partu cæsareo institerunt sed incassum; nam chirurgi atque medici obstinatissime sunt reluctati; statuebant enim matris morbum fœtui communicatum utrumque certo extinguere debuisse... magnisque clamoribus jactabant crudele et impium esse mortuam trucidare cum conservatio vitæ in ejus fœtu, juxta omnem artis medicæ rationem, omnino impossibilis videretur... Tribus itaque diebus integris hæc eorum resistentia perduravit, cum totidem diebus defuncta insepulta jacuerit; expectabatur enim Cardonæ vicecomes, illi sanguine conjunctus... Hic cum venisset et rem didicisset... ad cadaver accedit et lateri vulnus infligit, ex quo infantulus vivus brachium actutum emittit : cum igitur educunt incolu-

b) Ad præfatam exsectionem gravissima lege tenetur medicus, et, eo deficiente, obstetrix, imo quæcumque persona ad hanc operationem idonea (1). Quod officium ut executioni mandetur totis viribus adlaborare debet parochus assertam obligationem inculcando et urgendo, nisi ob specialissimas circumstantias et gravissima incommoda satius ducat a monitione, quam inutilem vel et nocivam prævideat, abstinendum; caveat etiam, in quantum potest, ne ipse directe jubeat incisionem peragendam, sed maritum potius vel familiares adducat ut illam medico vel obstetrici demandent: secus namque posset exponi vexationibus fori civilis. Ita, anno 1868, sacerdos L., vicepastor in A., diœceseos Brugensis, fuit in judicium actus, proptereaquod obstetricem induxerat ad operationem cæsaream peragendam in defuncta matre prægnante, et die 6ª Martii absolutus coram Tribunali Brugensi, damnatus est Gandavi (cour d'appel, 2ᵉ chambre) die 4 Aug. 1868, ad incarcerationem unius mensis et mulctam 26 francorum, idque

---

mem atque jucundum, stupentibus omnibus, patre tamen præ gaudio vix credente ».

« Celeberrimum etiam factum aliud est, quod refert Eschbach, op. cit., p. 357, quod sæculo ultimo ineunte Parisiis obtinuit, Paulinæ nempe de Schwartzenberg, legati Austriaci fratris uxoris, quæ inter festa, occasione nuptiarum Napoleonis celebrata, die 10 Decembris anni 1810, incendio interempta, et nonnisi crastina post mortem die secata, reconditum in utero infantem vivum exhibuit ».

« Ulterius, addit ibidem, prouti ex publicis documentis constat, postquam, die 27 Martii 1846, quadraginta circiter in flumine Sarra (in Lorena) navigantes naufragati fuere, quatuor post diebus, die scilicet 31 dicti mensis, ex aquis eductum est mulieris gravidæ cadaver, quo exsecto infans inveniebatur adhuc vivens ».

(1) Ita legimus apud Cangiamilla, op. cit., p. 105, quod olim Synodus Lingoniensis « quadraginta dierum indulgentiam omnibus partum cæsareum suadentibus, vel ad illum quoquo modo cooperantibus est elargita; quod etiam plerique e Siculis Episcopis præstiterunt », Perro Capellmann, *Medecina Pastoralis*, editio latina 4ª, 1898, p. 30-31, exaggerat difficultates operationis, ratione quarum nimis absolute loqui videtur Genicot, *Theol. Moralis*, II, n. 146, ubi docet ad sectionem non teneri nisi rerum chirurgicarum peritos.

ex capite violatæ sepulturæ (art. 453 Cod. Pœn.) (1); quod tamen judicium annullavit et cassavit supremum Tribunal Bruxellense, die 2 Nov. ejusdem anni 1868 (2).

---

(1) Voici les principaux considérants de cet étrange arrêt :

« Attendu que d'après la doctrine, le mot *sépulture*, dans le langage juridique, sert à désigner tout à la fois le lieu consacré à l'inhumation des morts et les derniers devoirs qui leur sont rendus, soit qu'on enterre les corps, soit qu'on les brûle ;

Attendu que la sépulture, dans cette seconde acception, s'étend à toutes les phases qui suivent le décès, y compris l'exposition du corps sur la couche funèbre, et que si l'art. 77 du code civil ordonne de surseoir à la cérémonie suprême de l'inhumation pendant 24 heures, à raison de l'incertitude des signes de la mort, il n'en est pas moins constant que les restes de l'homme appartiennent à la sépulture dès que la vie l'a abandonné ;....

Attendu qu'il ressort clairement de cette interprétation et de l'esprit général des lois qui régissent la matière, que toute lésion ou mutilation non autorisée, sur un cadavre, c'est à dire tout attentat commis contre l'intégrité de la dépouille humaine en voie de sépulture, constitue au premier chef, l'outrage et la violation que la loi pénale a voulu atteindre, sans qu'il y ait à distinguer si l'envelissement était ou non commencé ;

Qu'il serait, en effet, contraire à la tradition et aux idées reçues, comme au sentiment exprimé par le législateur lui-même, de croire à l'impunité légale d'une semblable profanation, et de supposer que la protection de la loi abandonne l'homme pendant l'intervalle qui s'écoule entre son décès et l'ensevelissement de la dépouille;

Attendu, d'autre part, qu'il est de jurisprudence et de doctrine incontestable que le délit de violation de sépulture ne peut être excusé ni en considération du but, ni à cause de l'intention qui auraient inspiré le coupable....

Par ces motifs :

La cour reçoit l'appel du ministère public et y faisant droit met à néant le jugement dont est appel, émendant, déclare Louise X (sage-femme) coupable de la violation de sépulture ci-dessus spécifiée, et Ch. L., de participation à ce délit, comme complice, pour avoir procuré les instruments qui ont servi à le commettre, sachant qu'ils devaient y servir, et pour avoir, avec connaissance, aidé ou assisté l'auteur du délit dans les faits qui l'ont facilité et consommé....

Condamne la citée Louise X à 8 jours d'emprisonnement, et le sieur Ch. L., à un mois de la même peine; les condamne de plus à 26 francs d'amende chacun et solidairement aux frais des deux instances ... ».

(2) « Attendu que les lois pénales sont de stricte interprétation; que d'autre part elles emploient dans le sens usuel les termes qu'elles ne définissent pas;

Attendu que, d'après le sens usuel, le terme sépulture signifie inhumation et, quelquefois, le lieu où l'on enterre un corps mort;

Meritò autem hic quæritur utrum, deficiente quavis persona ad operationem apta vel parata, ad illam propria manu peragendam obligetur ipse parochus vel confessarius præsens. Quam quæstionem in partem affimativam solverunt Auctores non pauci, apud Eschbach, op. cit., p. 364 citati; contra quos insurgunt plures recentiores et præprimis sæpe laudatus Eschbach, qui dictum onus sacerdoti non tantum non imponendum censet, sed ne licitum quidem illud reputat. Qua in controversia mediam viam tenendam ducimus.

Nimirum *regulariter* non deberet nec etiam posset parochus ad incisionem matris procedere, non quidem ratione incommodi quantumvis gravissimi summæque repugnantiæ hujusmodi operationi inhærentis, neque ratione persecutionum quibus juxta dicta obnoxius esse posset sacerdos (1), sed propter salvandum bonum

---

Attendu qu'il résulte, tant de la rubrique sous laquelle se trouvait placé l'art. 360, que du rapprochement des mots tombeaux et sépulture, que le législateur s'est servi du terme sépulture dans cette dernière acception;

Que la loi, de même qu'elle assure au vivant l'inviolabilité du domicile, assure au mort l'inviolabilité du lieu où il est inhumé;

Attendu, dès lors, que violer la sépulture c'est... commettre un acte qui, sans respect pour le dernier asile, trouble la cendre des morts;

Attendu que le fait constaté à charge des demandeurs consiste à avoir, en vue d'administrer le baptême à un fœtus, pratiqué une double incision au bas ventre et à la paroi extérieure de la matrice sur le corps de l'épouse R.. peu de temps après que l'épouse R. eût rendu le dernier soupir;

Attendu que ce fait caractérisse non la violation d'une sépulture, mais la violation d'un cadavre;

Attendu qu'en appliquant aux demandeurs la peine statuée par les articles 360 du code pénal de 1810 et 453 du code pénal actuel, l'arrêt attaqué a donné aux dits articles une extension qu'ils ne comportent pas et y a expressément contrevenu;

Attendu qu'il n'appartient qu'au pouvoir législatif de combler les lacunes de la législation; Par ces motifs, casse et annule l'arrêt rendu par la cour d'appel de Gand... ».

Pasicrisie, 1869, I, p. 7.

(1) Seposito delicto violatæ sepulturæ, cujus posset, uti vidimus, licet injuriose, reus agi hujusmodi sacerdos, ulterius reatum posset incurrere, coram foro civili, indebiti exercitii artis chirurgicalis seu obstetricalis,

publicum Religionis et Ecclesiæ, in quam passim odium provocaret necnon calumnias dirissimas praxis illa sacerdotalis.

Exceptionaliter tamen fieri posse videtur ut, si ad id non teneatur parochus, ad minus licite ad hoc charitatis opus sese accingat, nempe ubi, in casu particulari, contingit dicto detrimento pro Religione et Ecclesia non esse locum, puta si ipsi familiares, religiosissimi et Ecclesiæ addictissimi atque notissimæ discretionis, instanter petant a sacerdote solo præsente, fama cæteroquin integerrimo, ut prolem certo viventem e matris indubie mortuæ alvo liberet et sacro Baptismate regeneret. Profectò durum foret sacerdotem damnare qui in talibus adjunctis ad gloriosum hoc facinus sese accin-

---

casu quo fœtum ex utero extraheret, quod sane non foret omittendum, quotiescumque vivus repireretur. Revera in ipso tenore jam memoratæ sententiæ a Supremo Tribunali latæ, innuitur locum fore, in casu, dictæ accusationi. Et sane en quomodo prosequuntur Judices supremi :

« Attendu qu'il est reconnu par la Cour d'Appel que l'incision pratiquée par la demanderesse n'était pas assez grande pour permettre l'extraction du fœtus; que, d'ailleurs, rien n'a été tenté pour délivrer celui-ci;

Attendu que, dans ces circonstances, le fait ne saurait constituer l'exercice illégal de l'art des accouchements ou de la chirurgie, et qu'ainsi il se trouve, tant à l'égard de la demanderesse qu'à l'égard du demandeur, n'être pas une infraction punie par la loi ; dit n'y avoir lieu a renvoi ».

Porro lex ad quam alluditur et quæ innuitur violanda in casu de quo suprà, est lex circa artem medendi, lata die 12 Martii 1818, quæ, art. 18, statuit : « Toutes personnes non qualifiées qui exerceront quelque branche que ce soit de l'art de guérir, encourront pour la première fois une amende de 25 à 100 florins, avec confiscation de leurs médicaments; l'amende sera double en cas de récidive; pour une troisième contravention, le délinquant sera puni d'un emprisonnement de quinze jours à six mois ». *Complément des Codes Belges*, V° *Art de Guérir*.

Quocirca tamen notari juvat hanc legem, juxta interpretationem legis latæ die 27 Martii 1853, non esse applicandam nisi agatur de illegali hujusmodi artis exercitio *habituali*, adeoque pluries repetito, i. e. ad minus ter infra determinatum tempus, putá trium annorum. Cf. *Pandectes Belges*, V° *Art de guérir*, n. 82 : « L'exercice illégal de l'art de guérir ne prend le caractère de délit que par l'habitude. Le mot *exercice* implique l'idée d'une pratique habituelle. — (Cour de Cassation 6 Oct. 1882, *Belg judic.*, XL, p. 1374).

gere non dubitat, sed potius laudandus censetur, et, uti addit Cangiamilla, op. cit., p. 212, « duplici mercede pro duplici labore, et extracti et baptizati infantis a Deo remunerandus: pater vere spiritualis, quia illum Christo regenerat, et corporalis quodammodo mater, quia videlicet eumdem artificioso partu edit in lucem: quem etiam brevi, si mox ille, uti contingere solet, obierit, acerrimum in cœlis habebit advocatum ».

Cum qua doctrina conciliari videtur decretum C. S. O., 15 Febr. 1780 (1), ad quod provocat eadem S. Congregatio, in decreto 13 Dec. 1899, prohibens scilicet Missionariis Vicariatus Apostolici Sutchuensis

---

(1) « Ubi de rebaptizandis parvulis Rituale Romanum hoc præscribit, scilicet: *Si mater prægnans mortua fuerit, fœtus quamprimum cante extrahatur*, hucusque inter christianos casus occurrit, sed regula præscripta nunquam observata est neque unquam promulgata. Rationes sunt: summa repugnantia quam Sinenses habent ad ejusmodi sectionem, absoluta apud ipsos artis anatomicæ imperitia, gravissimum periculum atroces calumnias contra Religionem excitandi, gravesque persecutiones sustinendi cum discrimine salutis et vitæ saltem pro iis qui sectionem tentare auderent, si factum ad notitiam gentilium perveniret, quod admodum facile est. Causæ prædictæ possuntne silentium excusare? »

Resp. « Etsi caute prudenterque agendum sit, ne, cum paucos quærimus, multos amittamus, agendum esse tamen, et sectionis a Rituali præscriptæ notitia ingerenda, ne oblivisci videamur eos, quos abundantiori charitate manifestum est indigere. Erit proinde e missionariorum debito, paulatim et opportune commonere Sutchuenses de misserrima parvulorum perditione in uteris matrum decedentium, quibus opitulari nihilominus, quoad humanæ possunt vires, postulat christiana charitas, postulat ecclesiastica sollicitudo. Neque improbum videri debere Sutchuensibus ut ullis fidelibus secare matrem mortuam, cum et Dominicum latus dissectum sit pro nostra redemptione. Illud potius rationi absonum atque ab omni pietate remotum, pro inani integritate pudoreque servando defunctæ genetrici, viventem natum æternæ morti addicere. Certe non modestia, non virtus, unde tantum profluit malum. Hæc autem fœtus extractio de prægnantis defunctæque alvo matris, quamvis patefacienda, ut dicimus, ac persuadenda sit, expresse tamen cavet, prohibetque Sanctitas sua, ne missionarii in casibus particularibus se ingerant in demandanda sectione, multoque minus in ea peragenda. Sat proinde missionariis fuerit illius notitiam edidisse, curasseque ut ejus perficiendæ rationem perdiscant qui chirurgicis intendunt, laici homines, tum vero, cum casus tulerit, ejusdem praxim ipsorum oneri ac muneri reliquisse ». Cf. *Canoniste Contemporain*, 1900, p. 230 et seq.

quominus « in casibus particularibus se ingerant in demandanda sectione, multo minus in ea peragenda »; supponit namque prohibitio veritatem expositorum, existentiam namque gravissimi periculi « atroces calumnias contra Religionem excitandi ».

A. D. S.

(Sequetur).

Animadversiones

circa Indultum cumulative dispensandi super impedimentis matrimonii.

Juvat tenorem referre indulti cumulandi recenter ad annum prorogati in gratiam Ordinarii (1) Brugensis, paucis subjunctis adnotationibus ad praxim nonnihil spectantibus:

Beatissime Pater,

Episcopus Brugensis devote exposuit se, die 17 Aprilis 1902, a S. Pœnitentiaria, ad annum, obtinuisse ut ipse, facultatibus sibi jam concessis ab Apostolica Sede circa dispensationes matrimoniales, sive per se sive per suos Vicarios in spiritualibus generales, uti valeat etiam cumulative, in casibus in quibus gradus aut impedimenta multiplicari contigerit, servatis tamen conditionibus in unaquaque concessione respective præscriptis. Cum autem concessionis tempus ad finem vergat, supplicat Episcopus Orator ut S. V. indultum præfatum ad alium annum prorogare dignetur. Et Deus.

---

(1) Dicitur « *Ordinarii* », quia facultas de qua agitur non est propria nec personalis Episcopo, sed competit ipso jure Vicariis Generalibus et omnibus illis qui, ad normam decreti C. S. O. 20 Febr. 1888, appellatione veniunt Ordinarii. Quod cæteroquin valet pro omnibus facultatibus *habitualiter*, et non pro casu particulari, Episcopo concedendis vel antecedenter concessis; quæ omnes et singulæ censentur Ordinario impertitæ, licet nominatim ad Episcopum fuerint directæ. Cf. decreta C. S. O. 20 Apr. et 22 Junii 1898, ac 5 Sept. 1900.

S. Pœnitentiaria de speciali et expressa Apostolica auctoritate Ordinario Brugen. facultatem, de qua in precibus, aliàs eidem jam impertitam, servata in omnibus illius forma ac tenore, ad alium annum benigne in Domino prorogat atque confirmat, pro casibus urgentibus, in quibus, absque gravis mali periculo, ad Apostolicam Sedem recursus haberi nequeat. Datum Romæ, ex S. Pœnitentiaria, die 26 Martii 1903.

Quocirca **nota:**

1°/ Restringitur concessio ad impedimenta super quibus dispensandis respective apostolica facultate gaudet Episcopus; adeoque statim ac intervenit impedimentum, cujus dispensatio reservatur S. Sedi, jam integrum negotium est S. Pontifici committendum.

2°/ Præsenti indulto utendum non habet Episcopus nisi pro solo casu quo multiplicantur *impedimenta*, eaque *fori externi* dumtaxat, seu quando concurrunt consanguinitas et affinitas legitima in 3° vel 4° gradu, vel quodvis aliud impedimentum super quo dispensare valet vi quinquennalium S. C. de Prop. Fide. Et revera

a/ pro relaxandis impedimentis *fori interni,* in *Pagella* S. Pœnitentiariæ memoratis, ubi duo vel plura concurrunt, providetur per notam ad calcem Pagellæ addi solitam, quatenus scilicet mens S. Sedis sit « ut his facultatibus non solum singillatim sed etiam cumulatim in uno eodemque casu uti » possit Episcopus indultarius;

b/ in concursu impedimenti *fori externi* cum impedimento *fori interni,* ab ipso jure agnoscitur Episcopo potestas cumulandi, ad tramites non semel relati decreti C. S. O. 18 Aug. 1897. Cf. *Collat.,* tom. V, p. 608, coll. tom. VIII, pp. 190 et 200; tandem

c/ sola multiplicatio *graduum* in consanguinitate vel affinitate non postulat, penes Episcopum dispensantem, specialem cumulandi facultatem, quemadmodum, invocatis documentis, vindicavimus apud *Collat.* V, p. 482-

483, interpretando indultum S. C. de Prop. Fide pro Episcopis Belgii (1).

3°/ Inseritur in tenore clausula, nunc primum inserta, usum facultatis limitans ad casus « *in quibus absque gravis mali periculo ad Apostolicam Sedem recursus haberi nequeat* ». Quæ clausula est sedulò attendenda non tantum a dispensationem exequente sed etiam a parocho eam impetrante; non afficit tamen, uti ex dictis sub 2° liquet, nisi solam hypothesim qua Episcopus cumulative dispensat super duobus pluribusve simul impedimentis *fori externi*, puta super consanguinitate in 3° vel 4° gradu concurrente cum affinitate legitima in iisdem gradibus et ita porro: super hisce nimirum impedimentis non potest ad dispensationem procedere Episcopus *nisi noverit casum esse urgentem*, extra quem adeunda foret S. Sedes.

Partes igitur sunt *parochi*, casu occurrente, Ordinarium, in supplica ad ipsum directa, monere de temporis mora ante nuptias celebrandas relicta, adeo ut sciat Officialis utrum causa deferenda sit Romam, utrum vero memorato indulto uti queat.

A. D. S.

Consultatio

Quæritur. Titio confessario occurrit sponsus in confessione, in ordine ad matrimonium instituta, exponens sese olim carnaliter cognovisse sororem sponsæ, illique, ut facilius in copulam consentiret, matrimonium seriò promisisse, ipsa repromittente et sponsionem accep-

(1) Attento igitur tenore facultatem quinquennalium, quales hodiedum Episcopis Belgii concedi solent, ad abundantiam extenditur in indulto facultas cumulative dispensandi ad casum, quo « *gradus* multiplicari contigerit ».

tante. Anxius quærit Titius quo recurrere et quomodo rem componere oporteat.

Respondetur.

A. Duplex matrimonio obstat impedimentum dirimens: alterum *affinitatis illicitæ* in 1° gradu lineæ collateralis æqualis, ex copula illegitima a sponso habita cum sorore sponsæ; alterum *publicæ honestatis,* exurgens ex sponsalibus validis et absolutis initis sponsum inter et eamdem sponsæ sororem.

B. Ab hoc duplici impedimento dispensare potest Episcopus Brugensis, idque vi duplicis potestatis:

1° *delegatæ.* Nimirum a) vi quinquennalium S. C. de Prop. Fide (Formula III, n. 2), dispensare valet Episcopus « super impedimento publicæ honestatis justis ex sponsalibus proveniente »; non aliter tamen ac juxta formam *foro externo* propriam, uti ostendimus apud *Collat.*, hoc tomo VIII, p. 133, collatis pp. 195-199;

b) affinitatem illicitam relaxare potest etiam in 1° gradu, cum supponatur impedimentum esse occultum et casum esse urgentem; in *Pagella* namque S. Pœnitentiariæ facultatem accepit Episcopus dispensandi *pro foro conscientiæ* super dicto impedimento occulto, etiam in ordine ad matrimonium contrahendum, quando, quod hic supponimus, « omnia parata sint ad nuptias, nec matrimonium usquedum ab Apostolica Sede obtineri possit dispensatio absque periculo gravis scandali differri queat »; tandem

c) vi dispositionis juris, jam non semel invocatæ, signanter hoc tomo VIII, pp. 190 et 200, potest Episcopus, absque speciali cumulandi facultate (1), dispensare in concursu impedimenti *fori externi* cum impedimento *fori interni,* modò, quod hic verificari vidimus, super utroque impedimento respective dispensandi habeat facultatem.

---

1) In casu ergo non deberet recurrere Episcopus Brugensis ad speciale cumulandi indultum, supra memoratum, p. 509 et seq., uti cæteroquin ibidem latius exponitur.

2°/ *quasi-ordinariæ*. Et sane notum est ex principiis olim positis, *Collat.*, V, pp. 539-541, Episcopum posse, ex potestate quasi-ordinaria, in casibus urgentioribus, dispensare pro foro interno super omnibus impedimentis dispensari solitis, quæ natura et facto occulta sunt, qualis hic est affinitas, vel etiam solo facto occulta, saltem intra limites facultatum quæ Majori Pœnitentiario concèduntur, intra quos limites continetur publica honestas ex sponsalibus occultis; huic autem potestatis quasi-ordinariæ exercitio nullatenus obstare, ibidem, p. 544, vidimus plurium impedimentorum concursum.

C/ Integrum non est Episcopo alterutra exposita potestate pro arbitrio uti, quemadmodum rursus apud *Collat.*, tom. V, pp. 544-545, jam notavimus, ibidem monentes Episcopum, cui præsto est potestas delegata, ad postestatem quasi-ordinariam non posse recurrere, nisi casu quo, ob gravia quæ obstant incommoda, facultatis delegatæ exercitium evaserit moraliter impossibile.

Regulariter proinde, in casu de quo quæritur, debet Episcopus ad dispensationem procedere ex potestate delegata, adeoque duplici adhibito distincto instrumento: uno *pro foro externo* ac in forma huic foro propria, super publica honestate, altero autem *pro foro conscientiæ* confecto, in quo dispenset super affinitate occulta et simul pro eodem foro interno convalidet dispensationem pro foro externo invalidè impertitam.

Ex quibus sponte sequitur officium esse Titii confessarii ut pœnitentem dirigat ad parochum, cui extrasacramentaliter declaret sponsalia olim cum sponsæ sorore habita, quique parochus ad Ordinarium recurrat pro dispensatione fori externi super publica honestate, insertis oratorum nomine et prænomine; ipse vero confessarius supplicem conficiat libellum in quo, sub fictis nominibus, dispensationem petat super affinitate simul ac convalidationem necessariam: sedulò attentis cautelis propositis apud *Collat.*, V, p. 614, atque iterum in memoriam revocatis tom. VIII, p. 190.

Dictum est « *regulariter* », quia natum est fieri quod confessarius non possit, absque gravioris incommodi periculo, a pœnitente exigere ut sponsalia quondam contracta parocho declaret vel ipsi confessario sacramentalis notitiæ usum permittat : eo ipso tunc impossibile evadit Episcopo potestatis delegatæ exercitium, ac nihil obstare censemus quominus, in hujusmodi adjunctis, procedat vi potestatis quasi-ordinariæ, ac adeo *utrumque* impedimentum relaxet *fro foro conscientiæ*; quo casu satis erit ut confessarius, sub fictis nominibus, in una eademque supplica utrumque impedimentum coram Ordinario exponat, ac postea impetratam et ab Episcopo fulminatam dispensationem, injunctis injungendis, pœnitenti communicandam curet.

A. D. S.

Libri dijudicantur.

De Christelijke deugden, uitgeleid in twee en vijftig verhandelingen door L.-H. Krick, Kanunnik der hoofdkerk van Passau, uit het hoogduitsch in 't vlaamsch vertaald door C. De Jonghe, leeraar in 't klein Seminarie te Rousselare. Twee deelen VIII, 346 en 366 blz. in 8°. — Rousselare, J. De Meester. Prijs 4 fr.

Egregium sane opus fidelibus, personis religiosis ac maxime sacerdotibus perutile « de virtutibus christianis » conscripsit Rev. adm. D. Krick. Quod opus denuò germanice edendum, Auctor quatuor concionibus, jam flandrice translatis adaugendum curavit. Sane, haud exiguam concionator operam in prædicandis virtutibus collocare debet. Falluntur profectò et jucundissimo utilissimæ cognitionis fructu fideles

privant concionatores isti qui virtutes explicandas ac commendandas negligunt, et vitiis describendis et insectandis ordinarie incumbunt, prorsus ac si ista prædicatio plane sterilis, hæc sola utilis ac fœcunda foret in christianorum utilitatem! Absque dubio contrà ad vitam pie sanctamque instituendam plurimùm conducit necessaria cognitio essentiæ variarum virtutum christianarum, necnon clara notitia earum proprietatum, necessitatis ac præstantiæ, ac demum mediorum ad illas acquirendas.

Hæc autem omnia generatim accurate (1), clara

---

(1) Quædam tamen minus accurate proponuntur. Ità admittere non possumus quod Auctor scribit Tom. I, p. 58: « Verwaarloozen het woord Gods te aanhooren is dan niet alleenlijk eene zonde tegen God, maar ook eene zonde tegen de christelijke Liefde tot ons zelven, omdat wij ons alzoo in het nakend gevaar stellen, het kostelijk goed van het levendig Geloof en meteen onze eeuwige zaligheid te verliezen ». Non quidem negamus dicta negligentia in audiendo Dei verbo prædicatione proposito, committi posse peccatum contra præceptum negativum fidem non deserendi: hujusmodi peccatum nempe committeret qui tali negligentia se periculo amittendæ fidei exponeret. Verùm minime admittimus quod clar. Auctor asserit: huic speciei contra virtutem fidei addi proprie dictam speciem contra charitatem sui. Debet quidem homo ex charitate erga seipsum bona supernaturalia prosequi et custodire. Attamen de variis hujusmodi bonis supernaturalibus prosequendis ac custodiendis dantur specialia præcepta, ità ut peccatum contra charitatem sui non committatur quoties hæc præcepta negliguntur. Ratio est quia prædicta bonorum supernaturalium prosecutio et custodia non imponitur *præcepto speciali charitatis*. In omni peccato utique offenditur Deus, malumque sibi infert peccans, et tamen in omni peccato non est species contra charitatem Dei et sui ipsius. Etenim oppositio illa duplex ad charitatem quæ in omni actu peccaminoso reperitur non est oppositio formalis et specialis, quia charitas, finis cujuscumque præcepti, non cadit sub præcepto; sed est oppositio materialis tantum et communis quæ non sufficit ad constituendam peccati speciem. Cfr. Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *Annot. in Tract. de Virt. theol.*, Brugis 1900, n. 451 et 504; *Etude de théol. mor. sur la Coopération* etc. 1^a ed., p. 112 ss., 2^a ed., p. 102 ss.

In concione XIX (Tom. I, p. 228 ss.) haud satis accurate A. virtutem generalem justitiæ secernere videtur a justitia virtute speciali: hæc enim virtus specialis (inclinans ad debitum strictum alteri ad strictam æqualitatem reddendum) sola nomine *virtutis justitiæ* condecoratur, et sola proprie dictam justitiæ obligationem imponit. — Præterea p. 235 A. de obligatione eleemosynæ ait: « De rechtveerdige Christen, dien God

semper facilique methodo ac pulchra dicendi ratione exponit Auctor. Doctum ejus opus verum oratori sacro præstat adjumentum, in quo ille totam de virtutibus theologicis et moralibus materiam dilucide tractatam inveniet, eaque seligere poterit quæ, pro necessitatibus ac modulo audientium in concionibus, conferentiis ad personas religiosas, congregationum sodales habitis, proponenda atque evolvenda videbuntur.

In fine operis duo conspiciuntur indices, quibus varia de virtutibus argumenta, tùm juxta ordinem virtutum, tùm juxta ordinem Dominicarum anni liturgici, Epistolis ac Evangeliis accommodata distribuuntur.

Perutilem sane laborem præstitit translator, qui cæteroquin idoneo, claro et selecto sermone mentem auctoris est interpretatus.

A. C.

---

met rijkdommen gezegend heeft, beschouwt het eindelijk als zijnen plicht, van zijnen overvloed zijne noodlijdende medemenschen mede te deelen ». Qui loquendi modus (in iis quæ sequuntur etiam parum accuratus) ansam præbere posset falsæ opinioni, quod scil. præceptum elemosynæ ex justitia obligare possit jurique proprietatis limitationem juridicam apponat. Est enim præceptum charitatis et nequidem in casu necessitatis extremæ ex justitia obligat, ità ut juri possidendi constituat limitationem tantùm moralem. Cfr. *Coll. Brug.*, tom. II, p. 24 ss.

Collationes Brugenses

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. VIII, pag. 461.)

ARTICULUS II.

De hominis creatione, elevatione atque lapsu, et de promissione Redemptoris.

331. En igitur doctrina primi capitis Geneseos de mundi exordio sufficienter pro scopo nostro explicata. Prosequamur jam narrationem ejusdem libri Geneseos usque ad lapsum hominis et promissionem Redemptoris, intuitu ejusdem scopi, videlicet ut deinde demonstremus omnem in hac prima ætate operationem Dei ad extra reipsa, ut diximus, convergere ad Christum ejusque regnum ac hujus civium beatitudinem, atque per ipsum Christum tandem ad Dei gloriam.

Et primo quidem de productione hominis atque formatione primæ mulieris, prout in cap. 2 exponuntur, quædam sunt addenda, deinde vero exponenda sunt quæ ex tribus prioribus capitibus colliguntur de elevatione hominis ad ordinem supernaturalem necnon de lapsu hominis et promissione Redemptoris.

Ad primum, quidquid sit de sensu litterali, seu, ut ita dicam, materiali narrationis productionis Adami et formationis Evæ, certe non potuit melius ad captum neque expressius exponi doctrina hæc summi momenti: hominem constare duplici parte, alia materiali, quam Deus in primo homine e præjacente materia a se creata formavit, quamque merito pulverem terræ dixit Auctor sacer, in quem videmus corpora humana tandem resolvi; alia spirituali, quam Deus immediate creando infudit, tamquam vitæ principium. In specie mulierem esse

formatam propter virum, ut sit vere socia a latere, esse eorumdem ossium et carnis ejusdem, imo factam ut fiat una cum viro caro, proinde esse adjutorium viri vere simile sibi, ad vitæ societatem et propagationem speciei, nequaquam inferioris cujusdam naturæ. Mulierem, sicut et virum, esse cunctis hisce visibilibus creatis superiorem, eosque hisce omnibus vere dominari.

Præterea, in prima hac institutione matrimonii, præter significationem doctrinæ modo expositæ, continetur significatio mystica altior, de qua statim dicemus agendo de elevatione hominis ad ordinem supernaturalem.

332. Itaque ad secundum, Deus creando hominem natura religiosum, qua ratione præditum, sed et sociabilem, masculum et fœminam, natura propagabilem, ipso facto instituit societatem religiosam, tum domesticam, tum publicam, hanc in ista germine contentam. Sed hominem non reliquit in statu naturæ, sed ab ipso statim exordio, ut videtur, altius extulit ad ordinem supernaturalem ac divinum, adeoque et societatem religiosam supernaturalem seu ecclesiam latiore sensu acceptam eo ipso condidit. Revera, jam ante formationem Evæ, præceptum narrat Auctor Genesis (II, 17) datum Adamo, a cujus observatione pendebit supernaturalis felicitas, tum primorum parentum, tum posterorum, siquidem eo violato dona præternaturalia immortalitatis et reliqua ex ea consequentia, integritatis, etc., amittuntur (Gen. III, 10, 11, 16-19), quibus elevatio hominis sensibilis reddebatur; adeoque et a fortiori stricte supernaturalia ac divina amissa censenda sunt; et siquidem, eodem præcepto violato, prænuntiatur Redemptor, qui genus humanum universum priori destinationi ac supernaturali perfectioni restituet (III, 15).

Præterea, dando homini prædictum præceptum absque dubio manifestavit Deus homini religionem ac cultum, quales ab ipso exigebat, idque non solum ut a privata persona sed tamquam a capite et principio generis humani. Et satis indicat Auctor Genesis Deum

familiariter usum esse primis parentibus in paradiso (III, 8; II, 19); ipseque Christus Dominus (*Matth.*, XIX, 4, 5) insinuat Adamum ex divina inspiratione locutum. Eximiam quoque scientiam Adamo tribuit liber Genesis, quam rerum non modo naturalium sed et supernaturalium fuisse merito asseritur.

333. Ex prædictis habemus quæ de significatione mystica formationis Evæ addenda sunt. Et primo quidem adverte matrimonium suapte natura et essentia esse contractum religiosum. Etenim, etiam abstrahendo ab origine historica, tum fine primario religiosum apparet, cum ad hoc præprimis instituatur ut societati, quæ essentialiter religiosa est, membra accrescant, tum aliis finibus, qui ad hunc tandem reducuntur ut sit mutuum juvamen ad finem ultimum consequendum. Reapse matrimonium virtute continet societatem, non modo domesticam sed et publicam, adeoque et realiter ac implicite significat societatem hominum Deum colentium.

Si vero historicam originem matrimonii attendamus, in ordine supernaturali a Deo constituto, significatio realis et implicita, Dei voluntate positiva, facta est altior, eaque formalis et expressa: vere enim signum sacrum seu sacramentum latius dictum illud effecit Deus, quo significaret incarnationem Verbi prævisam ac prædestinatam, qua nempe Filius Dei sibi conjungeret naturam humanam, futurus Redemptor, novus Adam et caput ecclesiæ Dei; cui in fine temporum ipse Salvator daret suam ultimam perfectissimamque formam, quam suam sponsam et corpus mysticum efficeret, ita ut matrimonium in nova lege proprie dictum sacramentum constitueretur, et vere significaret unionem Christi cum Ecclesia: « Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia (*Eph.*, V, 32) »: quam quidem doctrinam evolvere S. Paulum delectat (*ibid.*, 22, sqq.); et sancti Patres non pauci hoc mysterium declarant, scilicet ex latere Christi dor-

mientis in cruce natam esse Ecclesiam, defluente aqua baptismatis et sanguine Eucharistico, sicut e latere Adami dormientis effecta est Eva, mater viventium.

334. Itaque constituit Deus hominem in ordine supernaturali, eoque ipso Ecclesiam supernaturalem instituit, cum homo non modo ut privata persona cultum internum et externum, pro natura sua propria, sed utpote sociabilis cultum domesticum sed et socialem, multiplicatis familiis, Deo deberet, eumque ordini supernaturali congruum. Hominem vero ita extollens Deus, ejus fidelitatem præcepti positivi observatione experiri voluit, ut jam vidimus. Porro, instigante diabolo, decepta est Eva et morem huic gessit similiter prævaricando Adam. Peccato consummato, statim plectuntur pœna, etiam ante pronuntiatam divinam sententiam, et sensibiliter quidem: vident enim se esse nudos, amisso nempe integritatis dono, adeoque et pessumdatis cæteris donis connexis, ipsaque immortalitate, ad quam integritas consequitur. Pronuntiatur dein aperte pœna, a Deo præfixa, mortis aliarumque ærumnarum eam circumstantium. His autem donis præternaturalibus amissis, a fortiori stricte supernaturalia ac divina dona amittuntur, everso ordine ad finem sublimem homini præstitutum.

Cum tamen non pura ac sola malitia, ut diabolus peccaverat, deliquerint, et instigante infensissimo Dei ejusque creaturarum hoste lapsi sint, Deus misericordia motus erga ipsos, et ne summe sapiens ac bonus atque omnipotens vinci videretur a diabolo, illico illis promittit, secundum prævisum ac præfinitum consilium, Redemptorem futurum. Sic, post primum sacramentum seu mysticam significationem ac præfigurationem incarnationis Verbi, et Ecclesiæ, regni ac corporis mystici Christi, in formatione Evæ, jam habemus primam verbalem prophetiam, prænuntiantem Christum Redemptorem, devictorem diaboli et regni ejus, semen mulieris immaculatæ, in hisce verbis Dei, quæ merito

Protoevangelium vocaverunt theologi: « Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa (per semen suum, seu hebraïce: ipsum, nempe semen mulieris) conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus (Gen., III, 15). »

Hæc omnia e textu sacro sine dubio erui, quidquid de interpretanda forma narrandi sentiant, agnoscere debent omnes, saltem catholici.

335. Quibus expositis, jam pro scopo nostro divinum consilium, quantum licet, cum omni solertia sed et summa animi modestia, scrutari conemur.

Creavit Deus omnia visibilia propter creaturas rationales ac præprimis propter hominem, has vero et hominem propter Christum, omnia proin mediate vel immediate propter Christum, ut mox elucebit. Et rursum invisibilia seu spirituales creaturas, ut infra latius exponetur, creavit tamquam ministros regni Christi, imo et quos prævidit lapsuros spiritus, in instrumenta secretorum consiliorum suorum de redemptione generis humani lapsi, et majoris gloriæ Christi Redemptoris.

Nunc de creatione visibili et de homine præprimis agimus. Creavit Deus hominem, masculum et fœminam, natura propagabilem, utpote cujus ex genere suscitare volebat Christum, Deum et hominem, Filium suum unigenitum, non adoptione sed natura, qui hanc eamdem naturam humanam, corpore materiali et anima spirituali constantem, tamquam nexum utriusque creaturæ et quasi compendio universam creationem repræsentantem, assumeret, ipse adeo effectus quasi supremus nexus Deum inter et creaturas suas, quique hanc eamdem carnem, non aliunde sed ex genere humano assumptam sibi copularet, in qua genus lapsum redimeret, novus Adam, sicut Eva ex viro assumpta est in connubium et principium naturale generis humani; porro nasciturus homo, non ex patre homine, qui Deum habet Patrem, sed ex sola matre virgine (1).

(1) Supra jam n. 290 et alias rationes attulimus cur *Verbum* sit incarnatum.

Igitur Deus hominem, rursum cum relatione ad Filium suum seu intuitu Filii sui unigeniti, constituit admirabili amore filium suum adoptivum, per unionem cum Spiritu sancto et dona supernaturalia ac divina, hanc consequentia ac vicissim hominem dignum reddentia hac unione eamque per se expostulantia; et hæc quidem dona concessit in primis parentibus naturæ humanæ, cum natura ad posteros transmittenda, ita ut omnes statim ac existerent naturæ humanæ participes, personaliter (1) uniti essent cum Spiritu sancto. Hominem vero, ad altiores fines permisit Deus misere labi, rursum scilicet intuitu Christi Redemptoris, per quem eum misericorditer erigere volebat. Non ita tamen reparare eum voluit, ut naturæ iterum qua tali redderet divina dona, ne videlicet videretur reficere opus, quasi non prævidisset summe sapiens, sed ita ut singulis personaliter, prius privatis ac spoliatis, postea rite dispositis, et superabundanter quidem, omnia restitueret, ne scilicet videretur a diabolo victus quasi non esset omnipotens. Inter dona tamen gratuita, ea quæ præternaturalia dicuntur non esse in statu viæ restituenda sapientissime statuit, tum ut sentiretur culpa necessitasque redemptionis ac singulæ proin personæ sibi applicare merita Redemptoris diligentius satagerent, tum quia hæc dona hinc quidem non sunt necessaria ad finem attingendum, inde vero earum ablatio necessaria erat ad modum redemptionis, et ipsi homini proficua. Etenim, ad plures fines altissimos, manifestationis nempe divinarum perfectionum, exemplum eximium virtutum, ostensionis summi amoris, devictionis perfectæ peccati, mortis et diaboli seipsum decepturi et proprium regnum propria vi sua eversuri, etc., ut infra latius, statutum erat Christum per passionem summe dolorosam mortemque ignominiosissimam, actu vere omnium summo (2), salvaturum esse genus huma-

(1) Vid. supra, n. 313 et sqq.
(2) Cf. supra n. 291.

num. Quo statuto, cum ipse Redemptor esset passibilis, fieri non poterat ut homines viatores impassibiles essent et immortales, sed et oportebat ut pœnalitas integritatis amissæ remaneret in probationem et meritum, ut diximus; ex qua præterea inordinatione affectuum diabolo sibi instrumentum assumere permitteretur, quo Christum morti addiceret seque ipsum inconscius perimeret. Ideo Deus promittendo Redemptorem, tacuit redemptionis modum, sed et postea ad finem usque eumdem celavit diabolo et asseclis ejus.

336. Deinde vero et homini maxime proficua futura erat mortalitas ac passibilitas omnimoda, tamquam medium ad finem attingendum. Neque enim dolores et passionem nisi tamquam medium homini destinavit Deus, sicut nec Christus assumpsit ea nisi in medium majoris beatitudinis et gloriæ suæ ac Patris sui. Ipsa rerum natura, habere nequit passio rationem finis, nec propter se amari valet, ut patet. Imo, nedum finis sit, potius eorum pœna est qui fine exciderunt, quorum afflictio permanens et æterna intelligitur, nec jam medii ulterius rationem habens sed desperatione plena est. Ast in statu viæ, ubi temporanea ac transitoria intelligitur passio, multiplici modo utilis esse potest ad finem efficacius et securius attingendum.

Ex eadem ratione medii, quam natura sua habet passio, aliquatenus intelligi potest mirabile mysterium, quo Christus in vita mortali conjungere potuerit summos dolores cum fruitione summi boni: videlicet, passio, si finis esset aut si tamquam ineluctabilis ac desperabunda, ut in damnatis, consideretur, profecto contraria esset fruitioni beatificæ nec cum ea consistere posset; si vero medium est ad majorem gloriam et beatitudinem, jam non apparet oppositio prædicta, imo vero apparet subordinatio passionis temporaneæ et transitoriæ ad finem majoris beatitudinis æternæ accidentalis.

Dedit ergo Deus homini lapso passionem in medium

salutis efficax atque tutum : si enim homo integer abusus est creatura delectabili ad inobedientiam et ruinam suam, insigni misericordia Deus homini lapso reliquit, præter usum creaturarum delectabilium, qui longe difficilior est ut rectus ac legitimus sit, usum passionis, qua concupiscentia abuti nequit, ut tutius prosequeretur finem suum. Sic, ut medium videlicet, passionem et dolores Redemptor assumpsit, sanctificavit et exemplo suo consecravit. Sic, ejus vestigiis inhærentes, Sancti omnes patienter adversa pertulerunt, imo et amarunt ac quæsierunt pati, quoniam tutius est et facilius pati quam delectatione non abuti, imo et usum delectabilium patiendo moderari oportet.

337. Ex prædictis jam lucide apparet totam ab initio creationem visibilem, omnesque eventus a Deo fuisse directa sive efficiendo, sive permittendo, ad Christum Redemptorem, ejusque regnum prænuntiandum ac præparandum. Quod autem invisibiles creaturas seu Spiritus attinet, hos pariter propter Christum ejusque regnum condidit Deus. Scilicet, eos simul ac creavit, et filios suos adoptivos ad similitudinem Filii sui constituit; præsciens quosdam e statu hoc sublimi pura malitia adeoque irreparabiliter excisuros, qui, si non impedirentur, detracturi essent hominem in peccatum, remissibile tamen; quod et permisit Deus intuitu Redemptoris futuri, diabolo usurus, mirabili secreto sapientiæ ac omnipotentiæ suæ, in instrumentum, sicut lapsus, ita et redemptionis, et in exercitium ac probationem redemptorum. Qui vero spiritus fideles manerent Deo, ad gloriam assumpti perfecto ordine ac numero, constituendi erant ministri Christi, ejusque operis redemptionis, defensores et adjutores hominum, ita ut haberent honorem cum Christo et sub Christo debellandi hostem in terra, quem adversarium habuerant in cœlo, et tandem regnarent cum Christo et redemptis in civitate cœlesti.

(Continuabitur).

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Novembris

—

I

Explica Sap. X, 10-14.

II

Expone utrum et quare Deus *ab æternò* et *æqualiter* diligat omnia creata.

III

Explica notionem contractus.

IV

Expone differentiam quæ sub jure nostro viget inter actum sive contractum inexistentem — et nullum.

V

Ostende quænam sit in conscientia efficacitas contractus sive actus a/ nullius, b/ inexistentis.

VI

Dans quel cimetière faut-il enterrer les morts d'après nos lois civiles?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Julii propositas.

—

I

Q. *Explica Canticum Annæ (I Reg. II, 1-10).*

R. Canticum complectitur quatuor partes:

1° Cum animi exultatione celebrantur attributa Dei (vv. 1, 2).

Verba quæ in Vulgata in præterito leguntur, melius ponerentur in tempore præsenti: *Exsultat* etc. Exaltatio cornu est symbolum roboris (cf. Ps. XCI, 11), dilatatio vero oris est symbolum audaciæ (cf. Is. LVII, 4). In textu hebræo: *non est extra te* videtur aliquid deficere; LXX servaverunt textum primitivum: *non est justus sicut Deus noster.* Loco adjectivi *fortis* legitur in hebr. *petrâ.*

2° Admonitio adversariis directa (vv. 3-5).

In hac parte interdum textus latinus inaccurate exprimit sententiam textus originalis, interdum ipse textus hebræus corruptus videtur (1).

Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes: hic versiculus est reliquis multo longior; pro *sublimia gloriantes* in hebræo bis ponitur idem vocabulum, quod probabiliter ex errore cujusdam amanuensis duplicatum fuit; vox autem *multiplicare* simili modo irrepsisse videtur et apud LXX abest. *Recedant vetera,* hebraice *áthaq*, ordinarie et hic etiam valet *insolens* (cf. Ps. XXX, 19 ubi vertitur *iniquitatem*); ergo *recedant insolentes sermones de ore vestro.* Duplex affertur ratio hujus admonitionis:

a/ Jehova cognoscit omnia: *Dominus* seu Jahve *est Deus scientiarum*; hebræi frequenter adhibent nomen

(1) Cf. *Coll. Brug.* VI (1901) p. 649, ubi quædam diximus de causis hujusmodi corruptionis, necnon de medio corruptionem deprehendendi atque sanandi.

loco adjectivi, nomen autem hic propter emphasim in plurali ponitur, unde sensus est *Deus omniscius*. In membro sequenti duplex invenitur textus hebræus: ketib habet: *et non subsistent actiones,* quod debet significare: malæ hominum actiones non relinquentur impunitæ; keri autem meliorem textum habet: *et ipsi* (i. e. apud ipsum) *ponderantur* (i. e. dijudicantur) *actiones;* optimam denique lectionem præbent LXX: *et* (est) *Deus ponderans actiones.*

b/ Jehova punit crimina; triplici antithesi ostenditur quomodo humiliet superbos, humiles vero exaltet. In prima dictum principium applicatur fortitudini; in altera vero divitiis: *repleti prius pro panibus se locaverunt, et famelici saturati sunt* (juxta hebr.: *otiantur*). Qui prius in saturitate vitam agebant, nunc ad sibi comparandum cibum maxime necessarium operam locare coguntur; dum, qui prius inedia conficiebantur, nunc ob annonæ copiam a labore abstinent. In ultima antithesi quæ de fœcunditate agit, aliquid mirabilius affirmatur; vox hebr. *ad* gradationem exprimit et immerito redditur in Vulg. per *donec; sterilis peperit plurimos* (hebr.: *septem*, erat numerus rotundus, bene ergo quoad sensum reddidit Vulgata), ideoque gaudio cumulatur *et quæ multos habebat filios infirmata est* (hebr.: *languescit* vel *tristis est*, forsan ob liberorum mortem).

Hujus alteræ partis textus juxta supra exposita sequenti modo reddi potest:

Nolite loqui superbe,
recedat arrogantia de ore vestro;
quia Jahve est Deus omniscius,
est Deus ponderans actiones.
Arcus fortium confractus est,
infirmi accincti sunt fortitudine;
qui prius repleti erant, (nunc) pro pane se locant,
et (prius) esurientes, (nunc) otiantur;
imo sterilis peperit septem,
et quæ multos habebat filios, (nunc) tristatur.

3° Carmen transit ad opera gubernationis Dei in genere (vv. 6-8).

Inferi sunt habitatio omnium defunctorum, viget proinde parallelismus synonymicus inter duo membra ejusdem distichi seu versiculi 6, quod in sequentibus etiam versiculis animadverti potest. Ultima pars v. 8 non legitur apud LXX; sensus ejus est Deum esse Dominum seu possessorem omnium: *Domini sunt cardines* (hebr.: *columnæ*) *terræ*. Terra juxta conceptus istius temporis censebatur superficies plana, extensa super oceanum (cf. Ps. XXIII, 2; CXXXV, 6), nitens autem columnis (cf. Job IX, 6; Ps. LXXIV, 4).

4° Exprimitur fidelium fiducia (vv. 9, 10).

Pedes sanctorum suorum servabit et a lapsu prohibebit, *et impii conticescent* (sec. hebr.: *peribunt*), quia *in tenebris* viam rectam non invenient, *quia non in fortitudine sua* sed in auxilio divino *roborabitur* (melius *roboratur*) *vir. Dominum formidabunt adversarii ejus*, (LXX præbent meliorem lectionem: *Dominus conteret adversarios suos*), *et super ipsos in cœlo tonabit*, tonitru eos prosternet. *Dominus judicabit* et reget universum orbem, non quidem immediate et per se, sed per regem quendam sive unctum quem ipse constituet. Ita explicit canticum per exspectationem futuri Messiæ regis a Deo electi cum dominio universali.

Pro coronide notare possumus nonnullas similitudines inter canticum *Magnificat* et canticum Annæ: ita Luc. I, 46, 47 respondet I, Reg. II, 1; pariter Luc. vv. 51-53 easdem exprimit sententias ac Reg. vv. 4, 5, 7.

A. D. B.

II

Q. *Ex notione* creationis *demonstra solum Deum posse creare.*

R. **Prænotandum.** Propositæ quæstionis scopus est ut demonstretur nullam creaturam posse creare, scilicet nulli creaturæ competere posse actionem creandi aliquid.

Nempe quæstio non est utrum aliqua natura creata habere possit potentiam creandi *quidquid sit creabile:* nimium evidens est talem virtutem esse infinitam et proinde soli Enti infinito competere.

Nec etiam inquiritur utrum creatura possit habere creandi potentiam quæ sit a Deo *independens:* sicut enim omnis creatura est a Deo dependens in suo esse, ita etiam est dependens in suo operari (1).

Quæstio igitur hæc est utrum creaturæ, quemadmodum competit ipsi potentia et actio v. gr. movendi, generandi, cognoscendi, etiam conferri possit potentia vel actio creandi, etiamsi supponeretur limitata quoad objectum et a Deo dependens (2).

Sed hîc jam duplex est distinguenda actio, nempe actio causæ *principalis* et actio causæ *instrumentalis*. *Principalis* dicitur illa causa quæ ex virtute sibi propria, hoc est, habente esse completum in ipsa, proportionatum sibi effectum operatur; *instrumentalis* vero dicitur illa quæ operatur ad effectionem rei, ut mota a principali agente, sicut calamus est causa scripturæ (3). Quapropter « instrumenti operatio est duplex: una quæ est ei connaturalis, sicut extendere attramentum est connaturalis operatio calami...; alia quæ est operatio ejus instrumentalis, sicut facere scripturam extendendo attramentum » (4). Ad hoc ut aliquid sit vere agens instrumentaliter requiritur: 1° ut instrumentum aliquid de suo operetur, hoc est sua propria virtute quæ ipsi inest: secus nihil operaretur instrumentum et frustra adhiberetur ad agendum; 2°, ut *hæc ipsa operatio propria*

---

(1) De modo quo Deus operetur in omni operante, Cf. S. Thomas. De Potentia, Q. III, a. 7; I. Q. CV, a. 5; *Compendium Theologiæ*, c. CXXX; Ills ac Revs Waffelaert, *Meditationes theologicæ* in *Collat. Brug.* T. VII, p. 58 et sqq.

(2) Cf. Kleutgen, *La philosophie antique exposée et défendue*, Traduction par le P. Sierp, Paris, 1870, T. IV, n. 1008, p. 505.

(3) Cf. Billot, *De Ecclesiæ Sacramentis*, Romæ, 1900, T. I, p. 53; De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*. Rollarii, 1900, n. 275.

(4) Billot op. c. p. 57.

entis, quod assumitur in instrumentum, *elevetur* a causa principali ad producendum effectum quem instrumentum solum efficere nequit; inde oportet ut *virtus instrumentalis subjectetur in ipsissima actione quæ instrumento propria est* (1): sic v. gr. ipsa actio extendendi attramentum, quæ est propria calamo, elevatur a causa principali, nempe a scribente, ad producendam *scripturam,* ac in ipsissima actione, quæ calamo naturalis est, subjectatur virtus instrumentalis, scilicet motus a scribente receptus, quo motu fit effectus artis, nempe scriptura; 3° ut virtus instrumentalis inveniatur « in ipsa linea naturalis operationis instrumenti, tamquam certa ejus modificatio vel elevatio; elevatio, inquam, cujus sit naturaliter capax, utputa ordo quidam in ea ab intelligentia rectrice impressus » (2).

Ergo ut alicui creaturæ competeret *actio creandi* requireretur: vel ut creatura virtute propria immediate produceret aliquid ex nihilo, et tunc esset causa *principalis;* vel ut quædam actio propria creaturæ ita a Deo elevaretur ut hac operatione efficeretur *ens* e nihilo, et tunc creatura esset causa *instrumentalis.*

In hac duplici hypothesi, creatura esset causa *perfectiva* creationis, nempe attingeret immediate ipsum effectum creationis seu *ens* productum e nihilo. — A causa perfectiva est distinguenda causa *dispositiva:* hæc solummodo in subjecto inducit *dispositionem* exigitivam alicujus formæ: semen humanum, v. gr., est causa *instrumentalis dispositiva* hominis geniti: quia per semen et in ipso inducitur dispositio exigitiva animæ rationalis qua, ut forma substantiali, constituitur homo. Genitores sunt causa *principalis dispositiva* hominis (3).

---

(1) Cf. *Collat. Brug.* T. VI, p. 446.

(2) Billot, op. c. p. 58.

(3) Hæc distinctio in causam *perfectivam* et *dispositivam* valet tum de causa *principali,* tum de causa *instrumentali.* Ipsa operatio causæ dispositivæ terminatur ad ipsam dispositionem in subjecto inducendam, et non ulterius attingit ipsam formam quæ hac dispositione exigitur. Cf. Billot, op. c. 54 et seq.; *Collat. Brug.* T. III, p. 520 et T. VI, p. 444.

Hisce positis jam demonstrabimus nullam creaturam tamquam causam *perfectivam* sive *principalem*, sive *instrumentalem* posse aliquid creare; tamen respectu animæ humanæ creaturam esse causam *dispositivam* ejus creationis: hæc asserta propugnabimus ex notione creationis (1).

Demonstratio. 1. *Nulla creatura tamquam causa* **perfectiva principalis** *aliquid creare potest.*

Creatio est productio rei ex nihilo, atqui productio rei ex nihilo exigit virtutem infinitam; atqui virtus infinita nequit inesse ulli creaturæ; ergo nulla creatura potest propria virtute producere immediate ens ex nihilo, ergo nequit esse causa perfectiva principalis creationis alicujus entis.

Probatur prima minor. Terminus formalis actus creandi est ipsum *esse* rei. « Quoties enim aliquid fit ex nihilo, propria sponte id quod primo intelligitur poni ex vi hujus actionis in effectu, est ipsum *esse* per se et absolute; quod autem esse sit *hoc* vel *tale* id non intelligimus nisi consequenter, ex necessaria specificatione et individuatione quam postulat quidquid actu in rerum natura invenitur » (2). — Et re quidem vera, si comparamus productionem rei *ex aliqua præjacente materia* cum productione rei *ex nihilo*, hoc animadvertimus quod prioris productionis terminus formalis est *hoc* vel *tale* esse, secundæ vero productionis terminus formalis est ipsum *esse*, τὸ εἶναι (3). Etenim priori operatione *transmutatur subjectum* aliquod ita ut acquirat aliquam formam (sive substantialem, sive accidentalem) quam prius non habebat actu; sic hæc *forma educitur de*

---

(1) De qua notione Cf. Palmieri, *De Deo Creante*, Romæ, 1878, p. 7; Van Hoonacker, *De Rerum Creatione ex nihilo*, Lovanii, 1886, p. 50; *Collat. Brug.* T. I. p. 528; de Dorlodot, *Quæstionum Quodlibetalium duæ priores*, Lovanii, 1903, p. 3.

(2) Schiffini, *Institutiones philosophicæ in Compendium*, Augustæ Taurinorum, 1893, p. 584, n. 820.

(3) Cf. Palmieri, op. c. p. 11.

potentia materiæ: hæc forma non existit nisi in materia et dependenter ab ipsa, ideoque non est *subsistens*, hoc est, non existit suo proprio esse sed tantum τῷ esse *compositi:* consequenter terminus formalis actionis qua forma educitur de potentia materiæ non est esse, sed *hoc* vel *tale* esse. Sed creatione producitur res *ex nihilo*, scilicet efficitur formaliter ut *sit* aliquid, ut *subsistat* aliquid: quemadmodum creationis terminus *a quo* est nihil, non esse, ita terminus *ad quem* est esse: inde ratio formalis objecti creationis est ipsum *esse* (1).

Ex hoc quod creationis terminus formalis est ipsum *esse*, concludere oportet actum creandi exigere in agente virtutem *infinitam*. Etenim ut æstimetur quanta sit efficacia virtutis agentis non solum consideranda est res facta sed etiam *modus faciendi* (2). Jamvero si consideratur modus faciendi, efficacia virtutis « proportionatur distantiæ quæ est inter id quod fit et oppositum ex quo fit. Quanto enim frigus est vehementius et sic a calore magis distans, tanto majori virtute caloris opus est ut ex frigido fiat calidum » (3). Jamvero distantia inter *esse* et *nihil* est infinita: nam « a quolibet ente determinato plus distat non esse quam quodlibet ens, quatumcumque ab alio ente distans invenitur » (4). Ergo creatio exigit virtutem producendi infinitam.

Secunda *minor*, nempe virtus infinita nequit inesse ulli creaturæ, patet: virtus enim agendi apud creaturas

(1) Cf. S. Thomas, I, Q. XLV, a. 4. — Licet terminus formalis actus creandi sit *esse*, tamen omne ens reale est hoc vel illud esse, quia est *finitum*. « Inde hic accidit quod et de materia prima. Nam sicut nulla causa secunda potest producere materiam primam, ita nulla causa secunda producere potest *esse*. Sed quemadmodum Deus nequit creare materiam *solam*, quia sit actu informata aliqua determinata forma, quia hoc repugnat; sic Deus nequit creare ens finitum quin simul illud constituat in aliqua determinata essentia; creat *esse* et simul creat illud *tale* ». Verbum ex opusculo P. Cornoldi, *La Creazione*, Roma, 1888, p. 12.

(2) Cf. S. Thomas, I, Q. XLV, a. 5 ad 3; Ill.s ac Rev.s Waffelaert, op. c. T. VI, p. 166.

(3) S. Thomas, *De Potentia*, Q. III, a. 4.

(4) Id. ibid.

recipitur in natura tamquam actus in potentia: ergo limitatur potentia.

2. *Nulla creatura ut causa* perfectiva instrumentalis *aliquid creare potest.*

Etenim, uti supra vidimus, terminus formalis actionis creandi est ipsum *esse*, præterea hic effectus attingi nequit nisi virtute infinita: ergo nulla creaturæ operatio, quum necessario sit finita, elevari potest ad hoc ut attingat ipsum *esse*.

3. *Animæ humanæ creandæ causa* dispositiva *potest esse creatura.*

Etenim quum anima humana, licet *e nihilo* producatur, tamen *in materia* infundatur, ideo creatura potest materiæ inducere hanc dispositionem quæ exigit ut anima rationalis creetur et infundatur (1). Sed virtus *disponendi* materiam ad hoc ut forma ipsi conveniens creetur et infundatur non est virtus *creandi* formam ipsam, ut patet.

4. *Nisi agatur de forma creanda in materia, nullius rei creandæ causa dispositiva esse potest ulla creatura.*

Nam creatio est productio rei *ex nihilo*: ergo ipsi creationi nullum præsupponi potest subjectum cui inducatur *dispositio* ad *ipsam creationem*, ut evidens est.

Nisi ergo agatur de forma creanda in subjecto præexistente, nulla causa dispositiva ad creationem admitti potest (2).

Adnotatio. Sicut nulla creatura, ita nec humana natura Christi potest esse causa *perfectiva*, sive principalis, sive instrumentalis, creationis: nam nulla virtus agendi *infinita* huic humanitati inesse potest. — Nec virtus creandi existere potest in humanitate Christi ut *causa instrumentali morali*, quæ nempe bonitate sua moveret Deum ad creandum: talis enim causa non est *efficiens* (3).

---

(1) Cf. S. Thomas, l. c. ad 7 et 8.
(2) Cf. S. Thomas, I, Q. XLV, a. 5.
(3) Cf. Billot, op. c. p. 55; *Collat. Brug.* T. III, p. 517.

Notemus etiam aliter judicandum esse de Christi potentia ad facienda miracula et aliter de potentia creandi: etenim humanitas Christi est causa *instrumentalis dispositiva ordinis intentionalis* miraculorum, quatenus nempe Christus, ut homo, *efficaciter designet* subjecta ad miraculosam mutationem subeundam et sic ipsis inducat dispositionem ordinis intentionalis exigitivam miraculosæ immutationis (1): sed nullum subjectum præsupponi potest cui inducatur dispositio ad hoc ut creetur: ergo humanitas Christi nequit ut *causa instrumentalis dispositiva* operari creationem.

Hoc solum posset humana Christi natura: nempe efficaciter designare aliquam materiam ad hoc ut ipsi *miraculose* a Deo inducatur *dispositio* exigitiva animæ humanæ, ad cujus dispositionem inductam infallibiliter sequeretur creatio et infusio animæ humanæ.

Conclusio. Nulli creaturæ communicari potest *virtus* aut *actio creandi* aliquid.

J. V. D. M.

III

Q. *Accurate determina et explica notionem justitiæ legalis.*

R. I. **Notio:** *Justitia legalis*, quæ etiam vocatur *generalis* et *socialis*, definitione descriptiva definiri potest: *virtus moralis specialis, ad genus justitiæ pertinens, qua membra societati perfectæ qua tali reddunt debitum propter bonum commune, i. e. actus variarum virtutum ad bonum commune requisitos, in hoc communitatis bonum ordinant.*

II. **Explicatio** (2). Cum *lex* nihil aliud sit quam « or-

---

1 Cf. Billot, *De Verbo Incarnato*, Romæ, 1900, p. 229; *Collat. Brug.* T. VI, p. 443.

2 Cum de justitia legali plures Theologi parum accurate disserere videantur, cumque in controversiis circa quæstionem socialem exagitatis haud rare Auctores justitiam legalem appellent, utile visum est hanc justitiæ legalis notionem aliquatenus evolvere.

dinatio rationis ad bonum commune et ab eo qui curam communitatis habet promulgata » (1), termini « justitia *legalis* » intimam connexionem hujus virtutis cum regimine communitatis seu vita sociali innuunt. Actus subditorum in communitate ad bonum commune præcipue per leges ordinantur, adeoque justitia, cujus munus est actus membrorum communitatis ad bonum commune ordinare, meritò justitia *legalis* appellatur. Vocatur quoque *generalis* ratione objecti materialis atque causalitatis : dirigit enim actus omnium aliarum virtutum ad commune bonum societatis. Dicitur demùm *socialis*, præsertim in usu loquendi hodierno, quia respicit bonum commune societatis, et nonnisi apud homines societate conjunctos reperitur (2).

Dicitur autem justitia legalis

1/ *Virtus moralis specialis ad genus justitiæ pertinens.* Etenim, licet virtus justitiæ legalis sit generalis quatenus actus omnium virtutum ad bonum commune imperat (ratione causalitatis), et quatenus, deficiente materia propria, materiam omnium virtutum (3) assumit (ratione materiæ), est tamen **virtus specialis**, essentialiter à reliquis virtutibus distincta, sc. ex motivo formali, quod est honestas reddendi debitum quod communitati qua tali debetur. Virtutes enim ex formali motivo distinguuntur et specificantur.

Ad genus justitiæ pertinet. Justitia proprie dicta tanquam genus dividitur, juxta diversam debiti rationem, in tres species seu virtutes specie distinctas quæ sunt justitia legalis, commutativa, distributiva (4).

---

(1) S. Thomas 2ª 2ᵃᵉ, q. 90, a. 4 in c.

(2) Cfr. Pottier, *De Jure et Just.* Leodii, 1900. p. 117.

(3) Quod etiam verificatur de speciali virtute *obedientiæ* necnon de *charitate*. Charitas tamen habet propriam sibi competentem materiam : sunt enim actus qui impellenti seu elicienti charitati immediatam suam debent honestatem uti actus amoris Dei, proximi etc. Justitia legalis contrà mediatam tantùm honestatem habet. Cfr. A. Vermeersch, S. J. *Quæst. de Just.* Brugis, 1901, p. 15 ; *Rev. Soc. Cathol.*, 1898, p. 67.

(4) Cfr. *quæst. seq.*

In singula specie, adeoque in justitia legali, verificantur quæ proxime justitiæ essentiam consequuntur: esse ad alterum et respicere debitum ad æqualitatem reddendum. Justitiæ autem legali suam propriam esse rationem debiti, statim infrà patebit.

Dicitur 2/ *qua membra societati perfectæ qua tali debitum reddunt.* **Subjectum remotum** (1) justitiæ legalis sunt *membra societatis*, quatenus ordinant actus suos ad bonum commune, sc. tùm privati qui, sub ductu principis, actus suos ad finem societatis dirigunt, tùm princeps regens communitatem. Est autem, ut notat S. Thomas (2), justitia legalis « in principe principaliter et architectonice, in subditis verò secundarie et administrative », quatenus princeps se habet ad debitam societatis ordinationem quasi architectus qui ædificium mente concipit et exstruendum dirigit; subditi autem se habent quasi executioni mandantes ea quæ architectus mente concepit. Sicut autem architectus est principaliter operans in ædificio exstruendo et executores secundarie, ità justitia legalis est in superiore principaliter, in subditis secundarie (3).

Minime ergo princeps considerari potest ut is cui redditur debitum justitiæ legalis; princeps non juris, sed, sicut cæteri cives, justitiæ est subjectum. Subjectum juris est societas (4). Membra autem societati qua tali *verum debitum reddunt*, actus suos ad bonum commune ordinando. Statim enim ac societas constituta existit, oritur pro membris obligatio ad societatis finem communi conatu tendendi, seu obligatio ad commune societatis bonum ordinandi omnes actus communi huic bono procurando necessarios. Efficacem enim procurationem boni communis intendit Deus. Unde commu-

---

(1) Subjectum enim *proximum* est voluntas.
(2) 2ª 2ᵉ, q. 58, a. 6.
(3) Cfr. Pottier, *o. c.*, p. 115.
(4) Vermeersch, *Quæst. de Just.* n. 52.

nitas habet *jus* ad dictam ordinationem actuum membrorum, cui juri apud membra *debitum* ordinationis respondet.

Oritur autem quæstio: in quanam societate existit justitia legalis? Respondendum censemus eam existere *in duplici societate perfecta, Ecclesia sc. et societate civili.* Bonum enim commune per justitiam legalem procurandum est sufficientia perfecta vitæ temporalis et vitæ æternæ: ad hanc enim perfectam sufficientiam utriusque vitæ omnia bona communia reduci videntur; prima autem in civitate et per civitatem fovetur, altera in Ecclesia et per Ecclesiam procuratur. Unde non videtur assignanda justitia legalis specialis in societatibus specialibus seu imperfectis. Ut notat Pottier (1): « cæteræ communitates seu societates particulares non respiciunt nec procurant bonum commune ab his duobus specifice distinctum, sed aliquo modo speciali vel particulari juvant ad procurandam vel vitæ æternæ vel vitæ temporalis sufficientiam ». Ecclesia regitur jure canonico, respublica jure positivo humano, in quo statuta juris internationalis eousque interveniunt, quousque bono communi variarum nationum procurando requiruntur (2). — Præterea eadem est specifice virtus justitiæ legalis quæ regit bonum commune religionis et bonum commune civile: idem enim utrobique est objectum formale sc. ratio debiti propter bonum commune (3).

Dicitur 3) *propter bonum commune.* Quibus verbis indicatur **formale objectum** et **motivum** justitiæ legalis, ratio qua præcipue a reliquis justitiæ speciebus distinguitur. Diversæ enim justitiæ species distinguuntur pro diversa ratione debiti. In justitia autem legali ratio debiti est debitum propter bonum commune (4). Hoc

(1) *o. c.* p. 118.

(2) Pottier, *o. c.*, p. 120 ss. coll. Vermeersch, *Quæst. de Just.*, n. 54.

(3) Cfr. Vermeersch, *Rev. Soc. Cath.* 1898, p. 41.

(4) « Bonum commune dicitur per oppositionem ad bonum privatum,

sc. speciale debitum respondet juri quod exigentia boni communis tribuit communitati. Unde, qui actus bono communi necessarios ponit ut communitati propter commune bonum debitos, illis actibus specialem honestatem, justitiæ legali propriam, acquirit. Formale igitur motivum hujus virtutis est honestas reddendi debitum quod communitati qua tali debetur.

Porrò, id quod communitati qua tali debetur, sunt varii actus membrorum ad commune bonum requisiti. Unde apparet honestatem justitiæ legalis esse tantum *mediatam*, ità ut violans actus ad bonum commune requisitos, peccaret contra virtutes ad quas hujusmodi actus spectant, non autem violaret specialem virtutem justitiæ legalis, nisi formaliter bonum commune contemnere vel ipsi nocere intenderet (1). Bonum enim commune unde oritur obligatio justitiæ legalis, postulat quidem ut ponantur actus ad communitatis bonum requisiti, non verò postulat ut intuitu hujus boni procurandi ponantur. Intentio igitur boni communis non est obligatoria; at, ubi adest, tribuit actibus specialem illam honestatem ex formali motivo justitiæ legali proprio derivandam.

Dicitur 4. *actus variarum virtutum ad bonum commune requisitos*, in hoc communitatis bonum ordinant. **Objectum materiale** justitiæ legalis dimetiendum est ex necessitate in qua versatur respublica: debitum ad

---

non eo sensu quod bonum commune excludat bonum privatum, nam in bonum privatum redundat bonum commune, sed eo sensu quod bonum commune est quid præstantius extensiusque quam bonum privatum, et ab eo specifice diversum ». Pottier, *o. c.*, p. 114.

(1) Cfr. Billuart, In 2am 2æ, D. VI, art. I dico I. — Idem resolvit S. Thomas quoad generalem virtutem obedientiæ (2a 2æ q. 105, a. 1, ad 1m): « Nec etiam omne peccatum mortale est in obedientia proprie et per se loquendo; sed solum tunc quando aliquis præceptum contemnit, quia ex fine morales actus speciem habent. Cùm autem facit aliquid contra præceptum, non propter præcepti contemptum, sed propter aliquid aliud, est inobedientia materialiter tantum, sed pertinet formaliter ad aliam speciem peccati ».

æqualitatem hujus necessitatis est reddendum (1). Necessarii autem sunt actus omnium virtutum, qui vel ex lege positiva communitatis, vel ex sua cum bono communi necessaria ac perspicua connexione civibus imponuntur. Duplici illa ratione actus membrorum provinciam justitiæ legalis ingrediuntur. Ut enim satis sit provisum bono istius personæ moralis quæ est communitas, necesse est ut ipsi debeatur tùm illa civium cooperatio quæ manifesto requiritur ad bonum commune, (uti v. g. exercitium juris suffragii bono communi debitum, casu quo lege non imponitur), tùm ea quam ipsa societas legibus ut ad idem commune bonum conducentem postulat (2).

Scholion. Ex dictis apparet falli auctores qui justitiam legalem cum *obedientia legibus* vel etiam cum *pietate* identicam putant. Ab utraque hac virtute essentialiter differt justitia legalis.

1/ *Differt ab obedientia*, tùm objecto materiali: obedientia solummodo versatur circa ea quæ sunt aliquo modo præcepta, objectum materiale justitiæ legalis latius patet; tùm objecto formali seu motivo: justitia legalis movetur honestate reddendi debitum propter bonum commune, obedientia prosequitur specialem honestatem quæ in conformitate voluntatis cum regula sua seu cum superiore præcipiente relucet (3).

2/ *Differt pariter a pietate*, sc. objecto formali: hæc

---

(1) Cfr. Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *Tract. de Just.*, Brugis 1885, T. I, n. 4, not.

(2) Cfr. Vermeersch, *Quæst. de Just.* n. 44 et 46. — Pottier, *o. c.*, p. 127 ss.

(3) Apposite Pottier, *o. c.*, p. 113: « Posset aliquis motus honestate illa speciali, parendi sc superiori præcipienti, ponere aliquem actum quin ad commune bonum attendat ita ut, etiamsi indirecte ejus actus in bonum commune refluat, hoc fiat per accidens et præter ejus voluntatem; item posset aliquis in agendo respicere tantum bonum commune, nec attendere ad præceptum; imo potest esse ità dispositus ut, etiamsi actus non præciperetur, idem tamen ageret ut sic bonum commune promoveret. Patet in primo casu esse actum obedientiæ, minime vero justitiæ legalis; in secundo, esse actum justitiæ legalis, minime vero obedientiæ ».

enim pietas in patriam non movetur formaliter debito boni communis procurandi, sed debito cultûs reddendi parentibus ut causæ proximæ procreationis et educationis nostræ, et consequenter patriæ, per quam potuerint parentes nobis ortum convenientem atque educationem congruam præstare (1).

*
* *

Quæ autem præcedunt hoc modo **summarie** contrahi possunt:

1/ Justitia legalis est *virtus moralis specialis*, ex objecto suo formali a reliquis virtutibus, in specie ab obedientia et pietate, distincta; *ad genus justitiæ pertinet* quia respicit speciale debitum apud membra communitatis existens, et respondens juri quod exigentia seu necessitas boni communis tribuit communitati perfectæ.

2/ *Subjectum ejus remotum* sunt *membra communitatis perfectæ tùm ecclesiasticæ, tùm civilis*, principaliter princeps seu legislator, secundarie subditi;

3/ *Objectum ejus formale* seu motivum est *honestas reddendi debitum communitati propter bonum commune;* hæc intentio non est obligatoria, ità ut solùm violetur virtus quando bonum commune formaliter contemnitur; attamen, ubi dicta intentio adest, tribuit actui specialem honestatem;

4/ *Objectum ejus materiale* sunt actus omnium aliarum virtutum ad bonum commune requisiti sive ex lege positiva, sive ex sua cum bono communi necessaria connexione.

A. C.

---

(1) Ad rem iterùm Pottier, *o. c.*, p. 114: « Potest autem aliquis moveri v. gr. ad arma gerenda ex pietate, quin attendat ad bonum commune ità ut, etiamsi ejus actus non conduceret ad bonum commune, nihilominus propter pietatem in patriam, arma gereret. Talis solius pietatis laudem mereretur. E contrario aliquis posset ex zelo boni communis idem agere pariter ac si nullo pietatis motivo induceretur, quo in casu, justitiæ legalis meritum conquireret ».

IV

Q. *Ostende quomodo inter se differant justitia legalis et commutativa, justitia commutativa et distributiva.*

R. **Prænota.** Discrimen inter justitiam legalem et commutativam, inter commutativam et distributivam ex uniuscujusque natura patet. Virtus specifica justitiæ dividitur — pro diversa ratione debiti — in tres species infimas: in justitiam generalem seu legalem, commutativam et distributivam. Bonum enim debitum est vel bonum commune reipublicæ seu publicum, vel particulare seu privatum. Prius debitum objectum est *justitiæ legalis* qua membra societati perfectæ qua tali debitum reddunt ob bonum commune, actus communi bono necessarios in hunc finem ordinando. Alterum debitum, privatum sc. objectum est justitiæ particularis quæ subdividitur in commutativam et distributivam (1). Vel enim agitur de debito inter personas particulares (2), et tunc est justitia omnino stricte dicta seu rigorosa, quæ dicitur *commutativa* quia in commutationibus et contractibus locum habet. Vel agitur de debito communitatis seu ejus vices gerentis erga singula membra, et tunc est justitia inter legalem et commutativam intermedia, et dicitur *distributiva* quia communia bona et onera inter membra communitatis justa proportione distribuit (3).

Quibus prænotatis, statuitur

I. **Discrimen inter justitiam commutativam et legalem.** Differunt autem

1/ *ratione objecti formalis seu ratione debiti:* debitum

---

(1) Non est annumeranda quarta species sc. justitia vindicativa qua debita et condigna pœna infligitur reo: hæc enim justitia partim reducitur ad justitiam commutativam, partim a ratione justitiæ proprie dictæ deficit. Cfr. Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *Tract. de Just.* Brugis 1885, T. I, n. 16; — Vermeersch, *Quæst. de Just.*, Brugis 1901, n. 25.

(2) Vel inter communitates tanquam personas particulares agentes.

(3) Cfr. Ill^s ac Rev^s Waffelaert *o. c.*, n. 16 ss.

enim ordinationis actuum membrorum ad bonum commune societatis et debitum reddendi privato quod suum est, sunt, in ipsa ratione debiti, specifice diversa. Justitia legalis igitur per se respicit directe quasi finem bonum commune, et omnia communitatis membra ad ipsam communitatem ordinat; commutativa per se respicit directe bonum privatorum ipsosque privatos qua tales ordinat inter se. Unde

2/ *ratio alteritatis*, quæ est elementum essentiale justitiæ, est diversa in legali et commutativa ; est nempe perfectior alteritas in commutativa : in hac enim sola subjectum juris et subjectum debiti sunt adæquate distincta (1), non autem in legali ; inter communitatem enim et membra seu inter totum et partes inadæquata est distinctio.

3/ *Objectum materiale* est pariter diversum : justitia legalis tanquam materiam habet actus omnium virtutum ad bonum commune requisitos ; commutativa respicit tantum commutationes bonorum inter privatos.

4/ *Sola justitia commutativa, si violetur, obligat per se ad restitutionem* : post læsionem enim solius hujus speciei, integrum manet justitiæ motivum quod est honestas debiti reddendi seu honestas æqualitatis servandæ. Posita enim tua injuria, proximus propter factum tuum manet privatus *re sua* quæ clamat domino, quæque igitur, juxta rectum rationis ordinem, ipsi in se vel in æquivalenti est restituenda. Justitia autem legalis, si violetur, per se (2) non obligat ad restitutionem. Etenim si aliquem actum « quem debebas ordinare ad bonum

---

(1) Quia ratio debiti et alteritatis sunt diversæ in tribus justitiæ speciebus, quidam Auctores (ut Pottier *o. c.*, n. 21, 30) tenent justitiam legalem, commutativam et distributivam non esse tres species proprie dictas ejusdem generis, sed esse analoga quorum analogorum princeps reperitur in justitia commutativa. Quam sententiam rejicit Vermeersch, *o. c.*, n. 23. Cfr. Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *o. c.*, n. 13.

(2) Dicitur « *per se* » : potest enim justitia legalis *per accidens* obligare ad restitutionem, ubi nempe materia ejus est actus justitiæ commutativæ.

commune, non ordinaveris, jam fit impossibile honestatem illam moralem reparare, sc. ordinationem illius actus præteriti reducere ab bonum commune; alios quidem novos actus poteris ordinare, minime autem illum; ad impossibile autem nulla virtus potest obligare » (1).

II. **Discrimen inter justitiam commutativam et distributivam.** Differunt

1° *ratione debiti*, quamvis utraque respiciat debitum erga privatos: patet ex prænotatis.

2° *ratione alteritatis*, quæ in justitia distributiva, sicut in legali, est inadæquata.

3° *ratione materiæ:* commutativa respicit commutationes bonorum privatorum, distributiva verò distributiones bonorum et onerum communium.

4° *justitia distributiva non obligat ad restitutionem*, ut clare exponit Pottier (2) « non est possibile restituere res in pristinum statum; etenim ad portionem justam nullus jus strictum habebat, siquidem res distributa non erat de bonis eorum sed de bonis communibus; propterea neque illius qui minus habuit, jus strictum fuit violatum. Aliunde, facta distributione, uterque acquirit jus strictum ad suam portionem nec potest spoliari, ne ex parte quidem, absque violatione justitiæ commutativæ. Ideo est impossibilis restitutio. Si autem in secunda distributione bonorum iniquus distributor velit compensare, violabit in hac secunda distributione justitiam distributivam et manebit iniqua prima distributio. Impossibilis igitur est restitutio, et propterea ad eam nulla potest esse obligatio moralis ».

5° Ex natura utriusque justitiæ sequitur in commutativa requiri *æqualitatem perfectissimam i. e. arithmeticam* seu rei ad rem, facta sc. simplici comparatione inter objectum operationis unius et juris alterius quivis

(1) Pottier *o. c.*, p. 73.
(2) *o. c.*, p. 76.

sit, sive dives sive pauper, sive præpositus sive subditus. Contrà in justitia distributiva requiritur *æqualitas geometrica* seu proportionis ad proportionem, quia agitur de distribuendis bonis et oneribus ipsius communitatis, non autem privatorum. Recta igitur ratio distributionis fert ut æqualitas habeatur inter duas relationes, sc. inter relationem quantitatum bonorum singulis distribuendarum et relationem meritorum aut indigentiarum; vel si agatur de oneribus, inter pondera onerum et facultates sustinendi. Ità quantitas bonorum tribuenda primo debet se habere ad quantitatem tribuendam secundo, sicut se habet meritum aut indigentia primi ad meritum aut indigentiam secundi; et si sermo sit de oneribus, onus impositum primo se habeat ad onus impositum secundo sicut se habet facultas sustinendi in primo ad facultatem eamdem in secundo (1).

A. C.

V

Q. *Explica quo sensu intelligenda sit trita definitio juris proprietatis:* **jus utendi et abutendi quatenus juris ratio patitur.**

R. *Trita definitio qua jus proprietatis dicitur esse « jus utendi et abutendi, quatenus juris ratio patitur » e jure romano desumpta est; est autem definitio dominii pleni seu perfecti, et rite intellecta omnino congruit cum definitione adæquata qua perfectum jus dominii dicitur « jus perfecte disponendi de aliqua re tanquam sua (etiam usu quo res consumitur), nisi tamen lege prohibeatur ».*

Explicatio. Perfectum jus dominii, quale hominibus competit, rite definitur sequenti definitione a multis

(1) Ità Pottier in *o. c.*, p. 77 s.

Auctoribus tùm antiquis (1) tùm modernis (2) verbotenus vel quoad sensum saltem usurpata : « Dominium est jus perfecte disponendi de re aliqua tanquam sua, nisi lege prohibeatur ». Est enim jus dominii jus in re plenum seu perfectum.

Est autem 1/ *jus* scil. strictum, nempe potestas moralis aliquid tanquam suum, id est in proprium suum commodum, exclusis cæteris, habendi (3). Est præterea 2/ *jus in re* id est, jus quod quis habet in re jam sua scil. sibi in proprium commodum *hic et nunc* moraliter connexa. Est demùm 3/ *jus in re plenum seu perfectum,* quo scil. aliquis habet ipsam proprietatem rei cum suis emolumentis et fructibus. Quæ perfectio seu plenitudo dominii in communi definitione exprimitur verbis « perfecte disponendi ». Importat scil. dominium plenum dominium directum seu rei proprietatem et dominium indirectum seu usum. Per usum autem non intelligitur solus ille usus, quo contingit uti quibusdam rebus, salva earum substantia, sed etiam usus quo ipsæ consumuntur ac esse desinunt. Continet ideo facultatem donandi, vendendi, permutendi, utendi, usufruendi, destruendi (4) etc. Additur denique 4/ *nisi lege prohibeatur.*

---

(1) Cfr. S. Thomas 2ª 2æ, q. LXVI, art. 1 « hoc esse dominium, posse uti rebus exterioribus ad suam utilitatem » — Sylvius, *Commentar.* in hunc locum S. Thomæ « Dominium est jus seu facultas propria utendi re ad quemlibet usum lege permissum, idque in commodum proprium. » — Molina, *De Justitia et Jure,* Tract. II, D. 3, n. 1. — Lessius, *De Justitia* etc. C. III, D. 2, n. 3. — De Lugo, *De Justitia et Jure,* D. 2. n. 3. — Billuart, *De Jure et Just.* Diss. II, A. 1. Ità cæteroquin jurisperiti post Bartolum dominium perfectum definire consueverunt.

(2) Marrès, *De Justitia,* Ruræmundæ, 1889, p. 22 s. — Ills ac Revds Waffelaert, *Tract. de Justitia,* Brugis 1885, Tom. I, n. 50. — Crolly, *Disputat. theol. de Just. et Jure,* Dublinii, 1877, Tom. I, n. 168. — Carrière, *De Justitia,* Parisiis, 1839, T. I, p. 24 ss. — Pottier, *De Jure et Just.* Leodii 1900, p. 48. — Vermeersch, *Quæst. de Justitia,* Brugis 1901, n. 236. — Theol. Mechl. *Tract. de Jure et Just.* 1896, p. 9, etc. etc.

(3) Cfr. *Coll. Brug.*, T. I, p. 533.

(4) Unde dominus qui rem *suam* destrueret nunquam contra justitiam peccaret; eum autem aliunde illicite agere posse nemo non videt. *Jus* ipsum utendi et abutendi est prorsus secundum legem moralem, sancitum jure naturali. Actus verò abutendi sicut et actus utendi potest esse contra legem moralem.

Perfectum enim jus dominii limitibus circumscribitur, imprimis duplici temperamento quod juri possidendi accedit ex indigentia non possidentium. Scil. ab una parte non possidentes in extrema aut quasi-extrema necessitate positi, retinent *jus strictum* sibi arripiendi vitæ necessaria; ab alia parte possidentes habent *obligationem charitatis* sive misericordiæ partem bonorum suorum indigentibus ultro conferendi (1).

Præterea, licet dominium plenum tribuat potestatem ad quemlibet usum, potest tamen hæc potestas impediri per legem ne exeat in actum. Et idcirco additur in definitione « *nisi tamen lege prohibeatur* ». Quocirca observandum est restrictiones, quæ a jurisdictione publicæ potestatis dominio apponi possunt, non esse juris ablativas sed impeditivas tantum ejus exercitii. Nullam juris partem auferunt a domino ut transferant ad alium in hujus commodum: siquidem jus dominii ipsa societate antiquius, nequit publica potestas directe limitare; sed ratione muneris procurandi bonum commune quod competit publicæ potestati, valet hæc dominii jus *indirecte* attingere, i. e. impedire dominum ne certis in adjunctis jure suo utatur, ipso jure integro remanente. Sic v. g. uxor, filiusfamilias, minor, subjectus consilio judiciario, interdictus, bona quædam non possunt alienare, quamvis in ea bona habeant verum dominium (2).

Quo in casu igitur exercitium seu usus juris erit illicitus aut etiam invalidus, jure ipso integre remanente.

His autem ultimis temporibus in acerrimis de extensione juris dominii controversiis, sæpe in crisim vocata est celebris juris proprietatis definitio ab ignoto quodam jurisperito romano proposita: *jus utendi et abutendi qua-*

---

(1) Cfr. *Coll. Brug.*, T. II, p. 24 ss.

(2) Cfr. Pottier *o. c.*, p. 49 ss. — Vermeersch *o. c.* 232-245. — Ill^{s} ac Rev^{ds} Waffelaert, *o. c.* n. 50.

tenus juris ratio patitur. Quam definitionem tanquam juri naturæ et christianæ de jure proprietatis notioni plane oppositam penitus improbarunt (1); inopportune tamen et immeritò. Dissensus exinde præsertim ortus videtur quod præpostere quidam « jus abutendi » de malo usu qui verbis gallicis « droit d'abuser » subest intellexerint. *Dicta definitio, rite intellecta, omnino congruit cum definitione suprà explicata.*

Etenim 1/ verba « *jus utendi et abutendi* » nihil aliud significant quam « jus perfecte disponendi de aliqua re tanquam suâ ». Nam sensus qui voci « *abutendi* » subjicitur non est usus irrationabilis, ordini morali oppositus, sed *usus quo res consumitur, extinguitur*.

« Il faut bien se garder d'attribuer, dans la langue du droit romain, ait Ortolan (2), à ce mot *abuti* l'idée qu'il emporte dans notre langue. *Abuti,* par sa décomposition étimologique elle-même (*ab,* particule privative, et *uti*, user) désigne un emploi de la chose qui en fait cesser, qui en détruit l'usage. Tel est l'effet de l'aliénation, de la consommation de la chose ». In hunc sensum Cicero (3) ait « non debet ea mulier, cui vir bonorum suorum usum legavit, cellis vinariis et oleariis plenis relictis putare id ad se pertinere: usus enim, non abusus legatus est ». (4)

Juri autem romano consonat jus canonicum: « *abuti* autem, dum tractatur de rebus usu consumptibilibus, *pro rei consumptione sumitur*, quod ei opponitur quod est uti: uti quidem præsupponit quod cum usu salva rei

---

(1) Ità *Ass. Cath.*, 15 Aug. 1894 cit. apud Antoine, *Cours d'Écon. Soc.* Paris 1896, p. 444. — Cfr. Capart, *La propr. indiv. et le Collect.* Namur 1898, p. 12.

(2) *Explication histor. des Instit. de l'emp. Justinien*, 8e éd. Paris 1870, T. II, p. 256.

(3) In *Topicis* l. 5, § I.

(4) Freund in *Dict. Lat.-franç.* (Theil) *abutor* recte vertit: faire disparaitre, épuiser par l'usage, employer entièrement, consumer. — Vide etiam Allègre, *Le code civil commenté à l'usage du clergé*, Paris 1899, T. I, p. 363.

substantia maneat, sed abuti exigit quod cum actu hujusmodi rei substantia consumatur » (1).

2/ Verba « *quatenus juris ratio patitur* » nihil aliud significant quam quod in definitione suprà laudata exprimitur verbis « *nisi tamen lege prohibeatur* » scil. potestatem publicam posse ob bonum commune juris dominii exercitium impedire, jure ipso integro remanente.

Unde merito concludimus jus proprietatis recte et adæquate definiri juxta jurisperitos romanos « *jus utendi et abutendi quatenus juris ratio patitur* » (2).

A. C.

VI

Q. *Indica requisita in altari tum fixo, tum portatili, ut in eo sacrificium missæ offerri possit.*

R. « Altare, in quo sacrosanctum missæ sacrificium celebrandum est, debet esse *lapideum*, et ab Episcopo, sive ab Abbate facultatem a Sede Apostolica habente *consecratum;* vel saltem *ara lapidea,* similiter ab Episcopo vel Abbate, ut supra, *consecrata, in eo inserta,* quæ *tam ampla* sit, ut hostiam et majorem partem calicis capiat. » Ita Rubr. gen. Missalis Tit. XX. Ex quo textu deducitur distinctio inter altare fixum et altare portatile.

---

(1) C. Ad conditorem, Tit. *de verborum signif.* Joannes XXII in *Extravag.*

(2) Nec aliud sane vult *codex* noster *civilis*, ubi art. 544 jus proprietatis definit « le droit de jouir et disposer des choses de la manière la plus absolue, pourvu qu'on n'en fasse pas un usage prohibé par les lois et par les règlements ». Cfr. Allègre *o. c.* T. I, p. 372: « *Jouir*, par opposition à *disposer*, c'est faire de la chose un usage susceptible de se renouveler. *Disposer*, au contraire, c'est faire un usage qui épuise le droit du propriétaire, soit en détruisant la chose qui en est l'objet, soit en faisant passer le droit à une autre personne ».

Altare fixum liturgice sumptum (1) illud dicitur « cujus mensa lapidea in consecratione cum stipite similiter lapideo, saltem in quatuor angulis, ita fuit conjuncta, ut mensa et stipes quid unum efficiant et totum altare (juxta rubr. cit. miss.) lapideum censeri possit. Altare portatile, communiter ara appellatum, est simplex ille lapis consecratus, qui absque nexu mensæ vel stipiti, ex ligno aliave materia confectis, inseritur. » (2)

Juxta ergo rubricam citatam Missalis, præscriptiones Pontificalis Romani et decreta S. R. Congregationis plura requiruntur in altari, ut in eo sacrificium missæ celebrari possit et quidem:

I. Quoad altare fixum sequentia notentur: 1° Debet esse consecratum ab Episcopo vel ab alio facultatem a Sede Apostolica habente, ritu præscripto in Pontificali pro altaris consecratione quæ fit simul cum Ecclesiæ Dedicatione, vel sine Dedicatione Ecclesiæ. Ut autem consecrari possit plures conditiones requiruntur, ut ex sequentibus patebit.

2° Tabula seu mensa altaris debet esse *lapidea* et ejusdem mensuræ ut totam stipitis structuram tegat (3).

3° Hæc mensa seu tabula ex uno et integro lapide

---

(1) Dicitur *liturgice* sumptum, quia quandoque alio sensu altare fixum intelligitur, v. gr. in materia altaris privilegiati: « Altare privilegiatum debet esse fixum hoc sensu, ut structura ad modum et formam altaris, sive sit lapidea, vel etiam lignea, aut alterius materiæ, non possit a loco suo dimoveri, sed aut parieti, aut columnæ aut pavimento immobiliter inhæreat; lapis consecratus autem, huic structuræ pro missæ celebratione impositus, portatilis esse potest, et a stipite amovibilis, et unus quidem potest alteri suffici. Privilegium itaque altari adnectitur, non propter solemnem altaris tanquam liturgice fixi consecrationem, sed propter locum, quem in Ecclesia firmiter occupat, adhæret non tum lapidi consecrato, quam structuræ basis seu stipitis, cui lapis imponitur ». Ill. Van der Stappen, *De Celebratione Sanctissimi Missæ Sacrificii*, (edit. 2a, 1902) q. 16.

(2) P. Victorius ab Appeltern, *Manuale liturgicum*, Part. 1, q. 21.

(3) Cfr. tamen Ill. Van der Stappen, l. c., q. 24, not. 2, quo loco indicatur quomodo et sub quibusdam conditionibus aliquando, si mensa aliqua ex parte in longitudine vel latitudine deficiat, adjungi possit alia structura.

est conficienda, non autem ex pluribus lapidibus ad formam unius unitis; quod requiritur, non tantum ad liceitatem, sed etiam ad validitatem consecrationis. Ita S. C. R. decreto 8 Junii 1896, dubio proposito sub III: « an altare, sive fixum sive portatile, enormiter fractum sed firmiter cæmentatum, aut ex pluribus lapidibus efformatum, valide ac licite consecrari possit? » respondit: « negative, scilicet non potest altare, de quo fit mentio, valide ac licite consecrari ». Et altare, tum fixum tum portatile « evadit execratum ob fracturam vel per se enormem ob quantitatem, vel enormem propter locum unctionum, licet levis in se fractura esset » (1); ita: « in mensa notabilis censetur fractura, si, ex. gr., fuerit in duas vel plures partes notabiles divisa, si per fractionem divisa sit pars, licet in se parva, quæ incisam continet unam ex crucibus, super quas ab Episcopo in altaris consecratione speciales ritus unctionum etc. peracti fuerunt » (2).

4° Stipes seu basis cui altaris mensa imponitur, quæque simul cum mensa consecratur etiam lapidea esse debet, seu lapidibus confici; potest tamen stipes etiam ex parte esse lateritius seu ex calce et lateribus coctis (briques) construi, dummodo ad quatuor angulos, in quibus unctiones fiunt, adhibeantur veri lapides seu columellæ lapideæ, quibus mensa insideat, quæque cum mensa ipsa per sacram unctionem conjungantur. Ita S. Congregatio Rituum de hac re interrogata respondit (3): « ut altare consecrandum sit lapideum, oportet, ut etiam in ejus stipite saltem latera, seu columellæ quibus mensa sustentatur sint ex lapide ». Altare autem perdit suam consecrationem etiam ob fracturam notabilem in stipite, (vide supra 3°), v. gr., « si plures lapides ceciderint, ita ut moraliter idem stipes non maneat,

(1) Instructio adjecta decreto 6 Oct. 1837, n° 2777; Cfr. decr. 14 nov. 1891, n° 3750.

(2) Ill. Van der Stappen, l. c., q. 33.

(3) Decr. 7 Aug. 1875, n. 3364, ad 2.

aut si amotus fuerit unus ex lapidibus angularibus in quibus ad conjunctionem stipitis et mensæ unctiones factæ fuerunt » (1).

5° Mensa seu tabula altaris debet « stipiti adhærere, seu cæmento vel calce uniri, et eo quidem modo eaque dispositione, ut satisfieri possit ritui in altaris fixi consecratione præscripto, juxta quem pontifex sacro chrismate inungit » conjunctiones mensæ seu tabulæ altaris, et tituli sive stipitis, in quatuor angulis *(in columellis lapideis, si stipes est lateritius)*, quasi illa conjungens. « Ita enim mensa et stipes unum quid, scilicet altare efficiunt, tum materialiter unione, tum spiritualiter, hac nempe sacra unctione, qua totius altaris consecratio perfecta habetur » (2).

Hæc conjunctio in altari fixo tam necessaria est ut per amotionem tabulæ seu mensæ a stipite (3) altare exsecretur, etiamsi mensa non omnino fuisset a stipitibus dimota sed tantum sublevata (4).

6° Stipes debet esse plenus; quod eo sensu intelligendum est « ut tabula altaris innitatur super quatuor lateribus ita clausis ut post consecrationem nihil intra altare immitti possit, non autem necessarium sit ut tabula altaris ita innitatur substrato lateritio operi ut nihil omnino vacui subtus altare ipsum habeatur » (5). Hanc tamen conditionem stipitis pleni seu cujus quatuor latera sint clausa non ita stricte requiri dicendum est; consecrari enim possunt juxta decr. 20 dec. 1864 (n° 3126) « altaria omni ex parte lapidea,

---

(1) Ill. Van der Stappen, l. c.

(2) Idem l. c., q. 24.

(3) Confer decr. 20 martii 1869, n° 3198 quo rescribitur; altaris fixi mensam *avulsam a stipitibus*, quamvis omnino integra permanserit et sanctorum Martyrum sepulchrum plane inviolatum, non posse ad instar altaris portatilis haberi, nec in ea missæ sacrificium celebrari sine nova consecratione aut alterius lapidis rite consecrati substitutione, (nisi obtineatur necessaria dispensatio et sanatio à Sede Apostolica).

(4) Decr. 23 feb. 1884, n° 3605 ad 7; 15 maii 1819, n° 2599.

(5) Decr. 28 sept. 1872, n° 3282.

sed ita ordinata ut tabula lapidea super stipitem itidem lapideum ex utraque parte ponatur, relicto in medio spatio quodam vacuo, sub quo recondantur capsæ sacrarum reliquiarum, ita commode dispositæ, ut oculis fidelium diebus saltem solemnioribus appareant » ; vel « altaria fixa, quæ omni ex parte super stipitem reponuntur, sed ab anteriori parte columnolis nituntur, quæ stipitis locum habent circiter ad medietatem tabulæ ; consecrari autem possunt « dummodo tamen omni ex parte stipitibus adhæreant » (1).

7° Stipes seu basis construi non potest super alicujus sepulchro. « Cadavera ob altari tribus cubitis distare debere, et tres cubitos esse fere unum metrum longitudinis atque hanc distantiam sepulcrorum ab altari sufficere » declaravit S. Congregatio Rituum (decr. 12 Jan. 1897, n° 3944) (2). In altari celebrari nequit, dum cadaver aliquod sub eo est sepultum, donec alio transferatur (3).

8° « Stipes debet construi super pavimento Ecclesiæ, seu debet esse fixus in pavimento, ita ut dimoveri nequeat, licet hoc non sit de essentia alteris fixi, tamen est omnino servandum ». (Ill. Vanderstappen, l. c., q. 21, I) (4).

9° In altari fixo includendæ sunt reliquiæ duorum saltem martyrum ab Ecclesia approbatorum seu canonizatorum (5). Paratæ in vasculo una cum tribus granis

---

(1) Vide applicationes hujus decreti apud Ill. Van der Stappen, l. c., q. 21, 7; Cfr. decr. 20 dec. 1890, n° 3741.

(2) Cfr. *Collat. Brug.* 1899, p. 118.

(3) Decr. 7 Julii 1766, n° 2479.

(4) Cfr. Gardellini adnotatio ad decretum *Senogallien.*, 15 maii 1819, n° 2599, qua docetur, ut communis sententia, altare fixum non amittere suam consecrationem seu nova consecratione non indigere, casu quo *integrum* (servata conjunctione mensæ cum stipite) de loco, in quo exstructum fuit sacrisque cæremoniis delibutum, alio transferatur. Decretum tamen 3 Sep. 1879, n° 3504 contrarium videtur declarare, necnon decr. 20 feb. 1874 quod rescribit altare fixum ab antiquo loco *paucis* pedibus amotum nova consecratione indigere.

(5) His adjungi possunt reliquiæ aliorum sanctorum.

thuris etc. includuntur ab ipso Consecrante in actu consecrationis in fossa lapidea (quæ vocatur etiam sepulcrum), in altari parata, sive in medio summitatis stipitis super quo ponitur mensa, sive in stipite altaris a parte anteriori vel posteriori, sive (quod facilius et communiter nunc fit) ad superficiem mensæ altaris, in media mensa, aliquantulum versus partem anteriorem (1). Imposito vasculo, (nisi ipsa mensa claudat, scilicet casu quo sepulchrum construitur in summitate stipitis) super hoc coaptari a Consecrante debet cæmento benedicto tabula marmorea vel lapidea qua sepulchrum claudatur. Ritus reponendi sacras reliquias omnino requiritur, ita ut altare non sit consecratum si reliquiæ desiderentur (2), et amittat suam consecrationem per amotionem reliquiarum, vel per fracturam aut amotionem parvæ tabulæ qua sepulchrum clauditur (3). « Si tamen sepulchrum apertum non sit sed tantummodo novo cæmento firmatum (4) non est execratum altare » (5).

II. In altari portatili requiritur 1° ut sit consecratum ab Episcopo vel alio facultatem a Sede Apostolica habente, ritu in Pontificali Romano inscripto: « *de altaris portatilis consecratione* ».

2° Debet ara portatilis « tam ampla (6) esse ut hostiam et majorem partem calicis capiat ». (Rubr. Miss. citata).

3° Debet esse « lapidea », scilicet ex lapide naturali, quæcumque sit lapidea materia, modo sit satis dura.

4° Necessario etiam, sicuti mensa altaris fixi, constare debet uno et integro lapide et non pluribus ad

---

(1) Ulteriores explicationes videri possunt apud Ill. Van der Stappen, l. c., q. 30.

(2) Ibidem, l. c., q. 27.

(3) Decr. 5 dec. 1851, n° 2991 et 31 Aug. 1867, n° 3162 ad V; l. c., q. 33.

(4) De firmando lapide novo cæmento vide Ill. Vanderstappen, l. c., q. 33.

(5) Decr. 25 Sept. 1875, n° 3379.

(6) De mensuris vide l. c., q. 34.

formam unius unitis. Unde etiam « evadit execratum ob fracturam vel per se enormem ob quantitatem vel enormem propter locum unctionum, licet levis in se fractura esset » (1) : ita si ipse lapis in duas vel plures notabiles partes frangitur, aut si frangitur aliqua pars crute signata (2) : item si altaria portatilia « tenui scissura laborant, quæ per medium integrum lapidem decurrit », « per ejusmodi tenuem scissuram ad instar illi altare execratum censensum est » (3).

5° In hac ara portatili sepulcrum reliquiarum seu parva fossa haberi debet, in quo a Consecrante reconditur immediate, id est sine vasculo, sacræ reliquiæ saltem martyrum et tria grana thuris; clauditur in actu consecrationis, mediante cæmento benedicto, parvo claustro; hoc claustrum lapideum esse debet; sepulcrum autem juxta recentiora decreta disponitur non in fronte seu crassitudine lapidis; sed in parte superiori aræ in medio seu ante ipsius medium (4). Si frangitur claustrum lapideum sepulcri reliquiarum, aut si aliquas habet scissuras etiamsi istæ inter se adhæreant et nullimode lubitari possit de reliquiarum authenticitate, censendum est altare suam amisisse consecrationem. (5) : item execratur altare per claustri vel reliquiarum amotionem sive casu sive industria factum. Vide supra I. 9°. Juxta decr. tamen 3 Sept. 1879 n° 3511, execrata censenda non sunt altaria portatilia, in eo quod rimula quædam cernatur inter sepulcrum ipsum ejusdemque operculum, ita ut huic admota manu tantisper moveri dignoscatur, ob defectum cohæsionis, cum et quod cæmentum rimulam ipsam non satis penetrasse ab initio, vel consumptum postea fuisse com-

1. Instructio alpina ad Decr. 6 oct. 1837, n° 2777; Vide supra I. 3°.
2. Ill. Van der Stappen, l. c., q. 40.
3. Decr. 31 Aug. 1867, n° 3162 ad 3.
4. Vide Decr. 31 martii 1887, n° 3671 et 13 junii 1899, n° 4032 ad 3. apud Ill. Van der Stappen, l. c., q. 38, not. II.
5. Decr. 23 junii 1879, n° 3497 ad 2.

peritur, dummodo prudenter præsumi nequeat ullo tempore sepulcrum reliquiarum fuisse apertum.

6° Lapis seu ara lapidea mensæ vel stipiti, ex ligno, lapide, aliave materia confectis absque nexu imponitur nec unctione sacra cum stipite conjungitur.

7° Altare construi non potest super alicujus sepulchro. (Vide supra 7°).

H. V. D. W.

Dissertatio

De baptizandis infantibus nonnatis, abortivis et monstris.

(Sequitur. — Cfr. supra, pag. 492.)

III/ Si infans periclitatur **ante partum maturum**, ex eo nempe quod mater prægnans ad mortem ægrotetur, adeoque timendum sit ne proles cum ipsa moriatur, *regulariter est exspectanda mors matris, et, hac defuncta, exsecandus est fœtus e sinu materno.*

Explicatur.

1°/ Dicitur regulariter exspectandam esse mortem matris, quia a/ vix potest esse quæstio de Baptismo conferendo in utero, tum quia ante partum maturum difficilius penetratur uterus, tum quia ad rite sacramentum administrandum perforandæ forent membranæ fœtum involventes, quæ perforatio ineluctabiliter secum duceret effusionem liquoris amnii et fœtus immaturi ejectionem. Jamvero ejectio fœtus immaturi nondum viabilis constitueret abortum graviter illicitum ; et si, postquam viabilis evaserit, ejus ejectionem per partum præmaturum opportunam vel necessariam judicaret medicus, passim aptius remittetur sacramenti administratio usquedum proles fuerit edita, cum in ipso partu anticipato non soleat haberi pro fœtu proximum mortis periculum.

Neque b/ regulariter locus erit sectioni cæsareæ, utpote quæ operatio opportunius peragitur postquam fœtus ad maturitatem pervenerit, vel potius, si prævidetur postea instituenda, per partum acceleratum præveniri solet. Potest tamen fieri ut ad laparotomiam urgeat recursus, puta in casu conceptionis ectopicæ, quam laparotomiam licitam esse propugnavimus semel ac fœtus viabilitatem est adeptus, et præter quam

operationem plerumque nullum aliud præsto est remedium salvandi matrem et vitæ consulendi prolis tam corporali quam spirituali. Cf. *Collat.*, VII, pp. 505-607.

2°/ *Matre defuncta* embryon ex visceribus maternis est extrahendus juxta superius dicta. Porro disputatur *quonam inde a conceptione tempore* hæc exsectio sit faciенda. Jamvero

a/ *Per se et theoretice loquendo*, jam adesset hujusmodi obligatio inde a primis conceptionis temporibus. Et sane *probabile* est animam rationalem creari et infundi in ipsa conceptione, adeoque ovum fœcundatum illicò constituere naturæ humanæ individuum ac proinde subjectum capax sacramenti Baptismatis (1). Sententia namque Aristotelis et S. Thomæ (2) circa animationem corporis humani, in generationis œconomia, quatenus nempe, in processu generativo animalis, fœtus, pro gradu evolutionis organismi, suscipiat successive formas transitorias plures inferiores, tum demum suscipiat formam permanentem determinativam speciei, cum ad proprias speciei operationes organismus factus est aptus, sententia, inquam, illa, licet, postquam diu fuerit quasi derelicta, nunc a nonnullis, non immerito forsitan, reassumatur (3), non excedit tamen limites probabilita-

---

(1) « Statim enim, aiunt hujus opinionis fautores, ac ovulum attingitur a fœcundanti spermate, sufficiens in eo est organisatio ut anima rationalis vires suas vegetativas exerat, et inde sibi perficiat corpus aptum ad sentiendum et ad ministrandum intellectui ». De Jaegher, *Institutiones Philosophicæ*, 1900, n. 404.

(2) Pars I^a, qu. 108, art. 2, ad 2^m.

(3) Ita apud Liberatore, *Du composé humain*, n. 289 : « Le fœtus, avant de devenir homme sous l'information de l'ame raisonnable, traverse les degrés inférieurs de la vie en vertu d'un principe qui se développe par l'influence du générateur, et qui est d'abord seulement végétatif, ensuite tout à la fois végétatif et sensitif. L'organisme étant enfin conduit aux dispositions requises pour être vivifié par l'âme humaine, l'action de Dieu intervient et crée l'âme dans le corps.... Le corps s'organise graduellement ; et à mesure que l'organisation avance, surgit en lui d'abord la vie, puis la sensibilité, sous l'influence de principes actifs correspondants. Chacun de ces principes cesse lorsque l'autre survient, attendu que

tis, ut ipsi parvuli fateantur [1]. Ubi autem praesto est subjectum probabiliter capax, non est praetermittenda Baptismi collatio conditionata, quia, attenta absoluta sacramenti necessitate, tutior via est sequenda.

Atvero [2] practici vix unquam videtur ad exsectionem procedendum ante menses vitae [3] conceptum, ut ita fortius. Ratio est quia, abstractione facta ab incertitudine conceptionis in primis temporibus [4], ante lustrum terminum adeo tenerima est ac debilissima compositi constitutio [5], ut vix allegere queat aliqua spes probabilis quod matri supervivat aut saltem vivus e sinu materno extrahatur.

Potest quidem, ut vellimus, absolute loquendo, embryon vitam conservare in utero matris vita functae, sed quo tenuior est intervalli aetas, ac minor id spe-

---

[illegible] comment dans son traité de l'embryon du principe précédent, en réalité mettre à permanence [illegible].

Quibus verbis addit D. Martin, *Le Fœtus*, ed. 5ª, 1899, p. [illegible] : L'embryogénie est venue confirmer d'une manière frappante les vues spéculatives des anciens Scholastiques. On sait, en effet, aujourd'hui que la formation d'un être nouveau chez la plupart des animaux et chez tous les végétaux sans exception est due à la union de produits sexuels qui sont de simples cellules.

Les premiers phénomènes qui suivent la fécondation se ramènent à un processus de cloisonnement simple ou segmentation. Au début du développement, le microscope ne révèle pas autre chose que des couches de cellules régulièrement disposées et superposées, ce que l'on a appelé les feuillets germinatifs. Ce n'est que progressivement que l'on voit apparaître les ébauches des organes et leur différenciation se dessiner. » Cf. etiam Eschbach, op. cit., pp. 205-270.

[1] Ipse Martin suam hypothesim p. 155 vocat « une opinion bien plausible » et apposite p. [illegible] « mutatis mutandis sententiam sustinere posse. Licet summa probabilitas habet.

[2] Signa probabilia conceptus exponuntur apud Ribemont-Dessaignes, op. cit., p. [illegible] et seq. « ne nostris scilicet, suppresso dumtaxat menstruo, vertitur agatur, vel saltem tardiore frequentia, dum hominesmenstruum vertit. » Cf. etiam Brouardel, *Pratique de l'Avort. Légal*, Paris, 1890, pp. [illegible] et seq.

[3] Juxta schema propositum apud Ribemont-Dessaignes, op. cit., p. [illegible] et seq. la longueur totale du fœtus après 2 semaines est de 7 millimètres et après 3 semaines de 15 millimètres; son poids normal est respectivement de [illegible] et de 5 grammes.

randi relinquitur ratio; et, si quæ manserit, per ipsam violentam extractionem vix non extinguetur ultima relicta spei scintilla; quod præsertim valet si medicus vel obstetrix non sit illico ad manum ut operationem peragat.

Inde vero *a fine tertii mensis* (1), si aliunde non probatur fœtus jam moraliter certo mortuus, potest cum aliqua probabilitate sperari vita penes prolem exsectam conservanda, in secundis saltem adjunctis : si nempe indilatè peragi potest operatio et si mater ante mortem non nimium fœtui nocivas passa est corporis commotiones, signanter si, in florida sanitate, repentina morte fuit abrepta. Post 12^{m} namque hebdomadam jam attingit fœtus, juxta schema suprà invocatum, staturam 10 centimetrorum, et periodum rudimentariam egressus formam humanam definitivam acquisivit (2).

Quæ doctrina confirmatur ex pluribus factis quæ refert Cangiamilla op. cit., p. 150 et 160, eaque partim propria experientia attestatus (3), infantium nempe qui vivi fuerunt excisi tertio mense inde a conceptione vix elapso.

---

1 Capellmann, op. cit., p. 29, non faceret sectionem cæsaream nisi completo quarto fere mense. Contra Cangiamilla, quem sequitur De Breyne, op. cit., p. 411, decet curandæ incisionis obligationem incipere inde a quadragesimo conceptionis die, et provocat ad eventum vix credibilem quem ita narrat: « Neapoli juvenula 24 annes nata suspicionem graviditatis ingessit, quæ, ut ipsa interrogata respondit, quadragesimo quarto die non erat antiquior: mortua deinde, nescio quo casu, nonnisi post triginta novem horas incisa est. Fœtus tamen vivus inventus... ». Op. cit., p. 145 et 157.

2 « A partir du quatrième mois, l'embryon devient fœtus; c'est en effet (d'après Pinard) à la fin du troisième mois seulement que la forme définitive et specialement humaine est definitivement acquise et la période rudimentaire des principaux organes en partie franchie. Toutes les parties du fœtus sont alors distinctes: la tête et l'abdomen sont très développés par rapport au reste du tronc et des membres. Les muscles commencent à exécuter quelques mouvements.... Un fœtus qui est expulsé à cette période de la grossesse peut vivre quelques heures ». Ribemont-Dessaignes, op. cit., p. 107.

3 Narrat se puerum trimestrem, e matre ex pleuritide mortua extractum, propria manu baptizasse.

[illegible] Eumenam dicere sunt baptismali vel absolute, vel conditionate nativum si de vita serio dubitetur: digne praestandum est, etiamsi mortui videantur et inanimes, dumne an certus signus de morte reali consset juxta superius dictum p. 5. sebali amentis liceat pro praxi [illegible] Porro cum multae matres baptismali recentes et simili non similiter timentes, utilitas quadretur [illegible] dicenda, ubi de abortivis.

4. En problema consecutiqui agendum sit, conjecturam in amentis considerandam emptionem puellae quam repent [illegible] dum nasa impregnatam. Si, immatura perveniens, in probabile [illegible] sacerdos baptisari posse dictum post mortem puellae enunciandum, [illegible] tentatur matrem poenitentem de gravi qua [illegible] obligationis [illegible] ut post mortem ad operationem et ad Baptismum procedatur: [illegible] ut post momentum dumtaxat [illegible] propter inhumili animam in [illegible].

In quem finem [illegible] suggerat ut a [illegible] si scribere [illegible] et [illegible] Interea [illegible] in pulvis praegnationem [illegible] et [illegible] ut post mortem [illegible] et [illegible] Baptismi regenerandum: [illegible] ubi res [illegible] puella vita [illegible] [illegible] [illegible]

Dicitur *regulariter et per se,* quia *per accidens* natum est fieri ut, juxta principia generalia, a monitione opportunius abstineat confessarius, quotiescumque scilicet pœnitens versatur in bona fide, ac meritò timetur ne imponendam obligationem exequi recuset et sic propriæ animæ detrimentum patiatur.

Paragr. 2ª. DE BAPTIZANDIS ABORTIVIS.

I/ **Momentum quæstionis** tractandæ sane gravissimum innotescit ex eo quod ex una parte frequentissimi (1) sunt abortus (2), et ex alia parte stupenda solet observari socordia in curandis fructibus abortivis, penes mulieres aborientes imo et penes medicos et obstetrices tam christianos et religiosos quam christianum sensum exutos, quasi fœtus et embryones sic ejecti, quemadmodum corporalis vitæ extra uterum degendæ sunt incapaces, ita neque ad vitam æternam essent idonei. « Quot fœtus abortivos, conquerens exclamat Roncaglia, ex ignorantia obstetricum et matrum excipit latrina, quorum anima, si Baptismate non fraudaretur, Deum in æternum videret » ! Plurimi nimirum hujusmodi infantuli expelluntur vivi, qui proinde sacro regenerationis fonte possent regenerari : « dans 434 cas où l'état de l'enfant a été noté, on trouve qu'il a donné des signes de vie 221 fois ; dans 199 cas, l'enfant était

(1) Frequentia abortuum « est très difficile à apprécier : nombre d'avortements des deux premiers mois de la grossesse passent inaperçus ; en outre pour les avortements ayant lieu à une époque un peu plus avancée, les femmes entrent rarement dans les maternités ; elles se passent même de soins ; de telle sorte qu'il est impossible d'indiquer d'une manière précise quelle est la fréquence des avortements, et à quelle époque de la grossesse cet accident est surtout à redouter. Il semble, d'après différentes statistiques, qu'on observe environ un avortement sur cinq ou six grossesses, et que les femmes très jeunes et les femmes très agées soient plus disposées que d'autres à l'avortement ». Ribemont-Dessaignes, l. c., p. 769.

(2) Abortum intelligimus expulsionem ex utero materno fructus vitæ extrauterinæ nondum capacis.

mort et macéré : enfin 14 enfants ont succombé au cours du travail. En ajoutant ces 14 enfants aux 221, on trouve 235 enfants vivants, soit 54, 15 pour 100 ». Ribemont-Dessaignes, op. cit., p. 781.

II. **Principia.**

A Ex illis quæ supra notavimus circa *probabilem* ovuli animationem inde a primo conceptionis momento, sponte sequitur *omnes fructus, quoscumque mulier præ-gnans ejicere contingat, esse Baptismate abluendos, donec certo non constat ipsos esse vel* molas inertas, *vel fœtus* **indubitanter mortuos.**

Porro « la môle est constituée par une dégénérescence kystique des villosités choriales résultant d'une hypertrophie du tissu muqueux ». Ibidem, p. 729.

Est nempe fructus conceptionis vitiatus, idque ita ut plerumque ne vestigium quidem fœtus reperiatur, prouti constat ex descriptione molæ quam nuncupant : « môle pleine » et « môle creuse ». La première « se présente sous l'aspect d'une masse rougeatre, plus ou moins volumineuse, pouvant atteindre le volume d'une tête d'enfant, et recouverte de caillots sanguins. Lorsqu'on a lavé cette tumeur, lorsqu'on l'a débarrassée des caillots qui l'enveloppent, on voit qu'elle est constituée par un amas de petits kystes de forme et de volumes extrêmement variés, reliés entr'eux par de nombreux filaments très tenus et rattachés par leur périphérie à une membrane de couleur rougeatre qui n'est qu'un reste du chorion ». Quant à la *môle creuse,* elle consiste en une « poche amniotique qui ne contient que du liquide gélatineux, lactescent, sans trace d'embryon ni de cordon ombélical : le fœtus a été dissous ou résorbé. Parfois on trouve un petit débris de cordon ombilical, qui témoigne de l'existence de l'embryon à un moment donné » Ribemont-Dessaignes, op. cit., p. 729-730. Profecto si constat inertem obviam haberi molam, non debet nec potest hujusmodi fructui Baptisma conferri.

Quod autem spectat *veros fœtus,* si, antequam expelluntur, diu remanserint in utero a placenta vel cum placenta ab ipsa matrice dijuncti, ineluctabiliter mortui prodeunt et corrupti, ac proinde omnis Baptismatis prorsus incapaces; pro reliquis vero recenter a placenta vel ab utero distractis et foras expulsis, licet absolute possint edi vivi, vix tamen in praxi locus erit sacramento ipsis conferendo *ante mensem inde a conceptione secundum versus finem vergentem;* tum quia, uti notavimus « nombre d'avortements des deux premiers mois de la grossesse passent inaperçus », (1), tum quia, juxta descriptionem supra propositam, tam exiguæ sunt hujusmodi embryonis dimensiones ut difficulter soleat detegi, signanter ubi sejunctim ab ovuli membranis fuerit expulsus.

Quinimo *rarius* contingit *ante mensem tertium finientem* vitam observari in embryone, saltem absque involucris suis e sinu materno ejecto (2); qualis ejectio solet fieri inde a mense tertio (3).

Attamen quia dari possunt et reipsa dantur casus, in quibus adeo secunda et fausta sunt adjuncta ut abortivus embryon, *nondum trimestris imo nondum bimestris,*

---

(1) Plerumque mulieres tunc aborientes putant se fluxum menstruum pati, eo vel magis quod primo mense et ultra inchoatam gestationem ignorent.

(2) Nimirum secundinarum disruptio, præterquam quod passim signum est laboriosioris ac proinde pro fœtu magis nocivi abortus, insuper spoliat embryonem suo tegumento naturali, *in tam tenella ætate* adeo necessario. Unde Capellmann, op. cit., p. 114 in nota, non dubitat asserere: « In ovo, quod jam discissum nascitur, *primis mensibus* semper fœtus erit mortuus ».

(3) « De la sixième à la dixième semaine ou environ, l'avortement peut encore se faire en bloc, mais il se fait au moins aussi souvent en deux temps ». Brouardel, op. cit., p. 461. « Cet avortement en deux temps qui s'observe dans la moitié des cas pendant le deuxième mois, devient presque la règle à partir du troisième mois... Plus la grossesse est avancée, plus l'avortement ressemble à un accouchement à terme ou plutôt à un accouchement prématuré. L'expulsion en bloc que l'on observe encore pendant le troisième et le quatrième mois, devient ici tout à fait exceptionelle ». Ribemont-Dessaignes, op. cit., p. 774-775.

excipiatur vivens, non sunt inconsideranter et absque ullo examine rejiciendi fructus, quantumvis recentes, a muliere prægnante projecti, signanter si ovulum manserit integrum. Ex una nempe parte minor requiritur probabilitas vitæ in fœtu ut ipsi Baptismus conditionate administretur, quam ut mater defuncta incidatur; et ex alia parte facilius videtur conservari vita in embryone a matre sana et bene valenti divulso quam in fœtu ex utero matris mortuæ exsecando (1).

B/ Quod *modum* attinet Baptisma conferendi abortivis :

1°/ *Quotiescumque, ad normam modò dictorum, ad Baptismum est procedendum ante mensem tertium exeuntem*, conditionata *forma est usurpanda, non tantum ratione incertitudinis passim orituræ circa motum vitalem sed etiam ratione dubii circa animationem corpusculi dictum terminum nondum egressi* (2).

2°/ *Ubi fœtus membranis involutus edi contingit, involucra prius caute disrumpantur et immediate abluatur ipse embryon extractus.*

Equidem non pauci Auctores docent fœtum, in casu, prius conditionate (si capax es) esse baptizandum *super ipsis secundinis,* et dein ex involucris esse extrahendum ut illico baptizetur, iterum sub conditione (si non es baptizatus). Ita Cangiamilla, op. cit.. p. 98 ; De Breyne, op. cit., p. 392 ; Theol. Mechl., *De Sacramento Baptismatis,* n. 25 ; Eschbach, op. cit., p. 320 (3) ; Moureau et

---

(1) Huc etiam spectant supra notata de morte apparente non confundenda cum morte reali.

(2) Juxta sententiam probabilem S. Thomæ vidimus animam non infundi, nisi postquam formam induerit humanam, ad operationes speciei proprias idoneam ; licet autem difficulter determinari possit quonam momento id verificetur, et jam non admittatur computatio scholastica, 40m et 80m diem ponens pro fœtu respective masculino et femineo, attentis tamen superius notatis circa evolutionem concepti fructus, ultra tertium mensem non differetur descriptæ formæ inductio.

(3) « Fœtus aut embryon, quem in secundinis pelliculis inclusum mulier ejecerit, statim, ne pereat, super his baptizetur conditionate : si es capax » ; deinde involucris suis caute spoliatus iterum abluatur sub conditione : si non es baptizatus ».

Lavrand, *Le médecin chrétien*, Paris, Lethielleux, 1902. Insistunt scilicet allati Auctores in gravi nocumento quod natum est obvenire embryoni ex aeris invasione, quam necessario mortiferam autumant.

Atvero judicio peritissimi de hac re consulti medici (1), vanus videtur vel saltem admodum exaggeratus prætensus timor, et, ratione habita summæ incertitudinis circa valorem sacramenti super involucris impertiti, potius probanda censetur praxis quam sequendam decernit *Instructio Austriaca,* l. c., art. 18, ut nimirum caute disrumpantur secundinæ a medico, et immediate abluatur ipse fœtus, sive affusione, sive immersione si valde exiguus apparet (2).

Cæterum nimium timentibus invadentis aeris incommodum potest proponi methodus, quam suggerit Capellmann, op. cit., p. 115 in nota, ut nempe « in vel sub aqua velamenta disrumpant, hisque disruptis statim formam Baptismi pronuntient » quam methodum ulterius explicans pergit: « Apprehende igitur utriusque manus pollice et indice aliquam velamenti plicaturam, atque ita disrumpe ut materia ovi effluat, hoc est, ut aqua baptismalis integram ovi materiam bene abluat. Quod si ita fit, etiam vitabitur accedentis aeris appulsus in embryonem, quem nonnulli adeo timent ». Quæ probando Lehmkuhl, *Theol. Moralis*, II, n. 75, addit: « At ut *securius* agas, dicens formam fœtum *et* immerge in aquam *et* ex ea extrahe ».

A. D. S.

(Sequetur).

---

(1) Ita etiam scribit Hubert, l. c.: « Il se peut que l'œuf soit expulsé en bloc; on se hâtera de débarasser le fœtus de ses membranes et de l'ondoyer ».

(2) Accedit quod hac ratione sæpius præcavebitur ab ablutione certò invalida: scissis nempe secundinis non raro apparebit fœtus plane corruptus et putrefactus.

Pensions de vieillesse

Allocation annuelle de 65 francs.

1. *Interprétation de l'art. 9 et de l'art. 19, alin. 4 de l'A. R. du 30 décembre 1902.*

Une dépêche ministérielle, en date du 29 juin 1903, confirme l'interprétation que nous avons donnée (p. 114 et 122) des susdits articles. Nous la reproduisons ci-dessous et nous avons la conviction que tous les hommes d'œuvres et tous ceux qui interviennent dans la rédaction des requêtes, auront à cœur de seconder, dans l'espèce, les louables efforts du gouvernement dans sa lutte contre le fléau de l'alcoolisme.

MONSIEUR,

Comme suite à votre lettre du 19 juin 1903, j'ai l'honneur de vous faire savoir que le délai prévu par l'article 9 de l'arrêté royal du 30 décembre 1902 commence à courir à partir du 1er janvier de l'année pendant laquelle les intéressés introduisent leur demande tendant à obtenir l'allocation de 65 francs.

D'autre part, les comités de patronage sont tenus, en vertu de la disposition contenue dans le 4e alinéa de l'article 19 du même arrêté, de retirer l'allocation aux bénéficiaires qui en auraient fait un usage abusif; pour établir cette circonstance, il y a évidemment lieu de tenir compte d'une condamnation pour ivresse publique, encourue dans le courant de l'année qui a précédé la date de la révision des listes.

Les bourgmestres doivent mentionner les condamnations de ce genre sur la requête des impétrants et sur les susdites listes.

Agréez, Monsieur, l'assurance de ma considération distinguée.

Le Ministre,
G. FRANCOTTE.

2. *Commissions d'appel. (Art. 16 du dit A. R. Voir pl. ht. p. 119 s.). Allocations refusées pour des motifs autres que celui qui est invoqué dans l'acte d'appel.*

Une dépêche ministérielle du 7 juillet 1903 porte « que les commissions provinciales d'appel peuvent refuser l'allocation de 65 francs pour des motifs autres que celui qui est invoqué dans l'acte d'appel. Mais il y a lieu, dans ce cas, d'en aviser l'intéressé et de l'inviter à faire valoir les raisons qui seraient de nature à justifier la continuation du bénéfice de l'allocation ».

A. C.

Fabriques d'église

Séance légale du mois d'Octobre

Aux termes de l'art. 10 du décret du 20 Décembre 1809, les conseils de Fabrique sont tenus de se réunir en séance ordinaire, le dimanche, 4 Octobre prochain.

Après avoir pourvu, s'il y a lieu, au remplacement, des conseillers ou marguilliers décédés, démissionnaires etc., le conseil s'occupera de tous autres objets soumis à sa délibération.

Il ne sera pas inutile peut-être de rappeler aux marguilliers l'obligation qui leur incombe en vertu de l'art. 41 du décret de 1809, quant à la visite des édifices consacrés au service du culte, et de signaler à leur attention les observations faites à cet égard dans les *Collationes*, T. I, p. 130; T. II, p. 92; et T. IV, p. 483.

Ex S. R. et Univ. Inquisitione

Dubium de cautionibus exigendis in matrimoniis mixtis.

Beatissime Pater,

...Cautionibus ab Ecclesia requisitis de conditionibus implendis ad hunc usque diem scriptis satisfactum est. Attamen magna oritur difficultas pro obtinendis hisce cautionibus, quando mulier catholica matrimonium inire intendit cum milite acatholico in gradu saltem majore constituto. Viget enim in N... regionibus decretum regium sub gravibus pœnis prohibens quominus milites ullas cautiones præstent per litteras reversales, sive per juramentum, sive per simplicem promissionem. Quare ad pedes Sanctitatis Vestræ provolutus Ordinarius N. directionem certam hisce in casibus expostulat, et quidem quærit:

I. An ab impedimento mixtæ religionis dispensari possit, si pars acatholica (quæcumque est) cautiones requisitas per litteras reversales, sive per juramentum, sive per promissionem saltem omnimode recuset?

II. An sufficiat assertio partis catholicæ sub juramento data, partem acatholicam de conditionibus implendis sibi fidem præstasse?

III. An permitti possit, ut ante vel post matrimonium pars catholica etiam coram ministello acatholico ad præstandum consensum matrimonialem se sistat, si pars catholica in scriptis declaraverit mere passive se gerere et nullo modo ritui protestantico adhærere velle?

Et Deus....

Feria IV, 10 Decembris 1902.

In Congregatione generali S. Romanæ et Universalis Inquisitionis, E^mi^ ac R^mi^ DD. Cardinales in rebus fidei et morum Generales Inquisitores, propositis suprascriptis dubiis, ac præhabito voto RR. DD. Consultorum, respondendum decreverunt:

Ad I. *Negative, et detur Instructio 15 Novembris 1858* (1).

(1) Cf. *Anal. Eccl.*, vol. IX, p. 16.

Ad II. *Per se et generatim negative, et ad mentem.* Mens est: Quod si in aliquo casu extraordinario talia concurrant adjuncta, ut Episcopus valeat sibi comparare moralem certitudinem tam de hujusmodi cautionum sinceritate pro præsenti, quam de earum adimplemento pro futuro, specialesque omnino adsint rationes impedientes ne consueto modo cautiones præstentur, ipsius conscientiæ et prudentiæ. Cæteroquin non obstante decreto regio, opportunæ exhibeantur in scriptis cautiones, sicut hucusque factum est; neque detur dispensatio nisi Episcopus moraliter certus sit eas impletum iri.

Ad III. *Negative, et detur Instructio 17 Februarii 1864* (1).

Feria VI die 12 Decembris 1902, facta autem a R. P. D. Adsessore S. O. relatione de his omnibus SS^mo^ D. N. Leoni PP. XIII, idem SS^mus^ D. N. Emorum Patrum resolutionem approbavit.

J. Can. Mancini, *S. R. et U. I. Not.*

Observanda. Præsenti decreto confirmatur et urgetur doctrina non semel proposita circa cautiones a S. Sede requisitas ad hoc ut dispensari possit super impedimento *mixtæ religionis:* « nempe ut exclusum sit a parte fideli quodlibet perversionis periculum, et universa proles utriusque sexus in sancta religione educetur et suscipiatur a parte catholica onus curandi ut alteram acatholicam partem ad veram fidem unitatemque catholicam perducat » (2); inter quas cautelas eminent duæ priores potissimum urgendæ.

Porro in responso ad I^m^, applicatur principium in anterioribus decretis passim inculcatum, prædictas scilicet cautiones *nunquam posse relaxari*, utpote quæ in naturali ac divino jure fundantur. Cf. *Instr. Secret. Status* 15 Nov. 1858 (3), quæ partim refertur apud

(1) Cfr. Collectanea S. C. de Prop. Fide, n. 1431, p. 533.

(2) Cf. *Instr.* C. S. O. 3 Jan. 1871.

(3) « Quæ quidem cautiones remitti seu dispensari nunquam possunt, cum in ipsa naturali ac divina lege fundentur, quam Ecclesia et hæc S. Sedes sartam tectamque tueri omni studio contendit ».

Collat., VI, p. 422; *Instr.* C. S. O. 3 Jan. 1871 (*Collectan. S. C. de Prop. Fide*, n. 1434); *Instr.* C. S. O. 21 Julii 1881 (*Nouv. Rev. théol.*, XIX, p. 5 et seq.); *Instr.* C. S. O. 12 Dec. 1888 (*Collect.*, n. 1444) *Epist. ad Archiep. Strigon.*, 26 Sept. 1890 (*Nouv. Rev. théol.*, XXXII, p. 388 et seq.).

Nunquam igitur ab Ecclesia permittitur matrimonium inter partem catholicam et partem acatholicam contrahendum (1), nisi prævie de memoratis conditionibus rite constiterit: quæ conditiones exigendæ sunt etiam in articulo mortis. Ad summum *toleratur*, in quibusdam regionibus, ad majora mala vitanda, ut parochi matrimonio, absque debitis cautelis ac proinde absque dispensatione ac illicite contrahendo, assistant passive. Cf. Theol. Mechl. *De Matrimonio*, n. 62, qu. 7.

In responso **ad II^m**, solvitur dubium tangens *modum* quo de tribus cautionibus coram superiore constare oporteat, antequam ad dispensationem super mixta religione procedat. Absolute loquendo sufficit, juxta *Instr.* C. S. O. 21 Julii 1880 ut « superior ecclesiasticus moralem certitudinem habeat sive de cautionum sinceritate pro præsenti, sive de earumdem adimplemento pro futuro »; et in hunc sensum mentem suam aperit S. Congregatio, agnoscens talia posse dari adjuncta ut sufficientem circa dispositiones partis acatholicæ certitudinem valeat comparare Episcopus ex solo testimonio partis catholicæ.

Atvero, re in concreto spectata, generatim et per se recurrendum est ad consueta media certitudinem acquirendi; nempe postulandum est ut, non obstante quovis legis civilis statuto in contrarium, utraque pars scriptum præstet documentum propria manu subsignandum, in quo spondeant se, pro parte sua, cautelas

(1) De ratione agendi Ecclesiæ in casu matrimonii mixti invalide vel illicite initi, confer De Becker, *De matrim.*, (ed. 2^a), p. 278 in nota 2^a; Theol. Mechl., *De matrim.*, n. 62, qu. 10.

observaturas (1); non est autem opus ut juramentum intercedat, quemadmodum expresse docet decretum C. S. O., 24 Nov. 1899, apud *Collat.*, VI, p. 421. Cf. *Nouv. Rev. théol.*, XIV, pp. 510-511 (2).

In responso ad III^m docetur, ad tramites *Instr.* C. S. O. 17 Febr. 1864 (*Collectan.*, n. 1431), ad quam hic provocatur, non posse permitti, « ut ante vel post matrimonium pars catholica coram ministello acatholico ad præstandum consensum matrimonialem se sistat, (etiam) si pars catholica in scriptis declaraverit mere passive se gerere et nullo modo ritui protestantico adhærere velle ». Sponte namque sua importat hujusmodi recursus vetitam in divinis communicationem ac implicitam hæresi adhæsionem, ratione cujus præsumitur in foro externo incurri excommunicationem latam in hæresi credentes. Cf. *Collat.*, V, p. 304-305.

---

(1) Hac ratione etiam satisfit conditioni requisitæ in *Instr.* 1880, nempe « ut conditionis exhibitio notoria sit vel saltem talis esse possit ad omne scandalum removendum ».

(2) En formulam duplicem in diœcesi Brugensi a nupturientibus, in casu, respective subsignandam :

a) Je soussigné ....., domicilié à ...., m'engage, par les présentes, à laisser baptiser et élever dans la religion catholique, apostolique et romaine, tous les enfants de l'un et de l'autre sexe, qui naîtront de mon futur mariage avec ....., domiciliée à ...., et à leur laisser, à eux et à ma future épouse, liberté pleine et entière de remplir tous les devoirs de la religion catholique. Je m'engage en outre à ne me présenter, pour mon mariage, que devant le curé catholique *seul*, et partant à ne recourir pour les mêmes fins, soit avant soit après, au ministre d'aucun autre culte.

En foi de quoi, j'ai signé le présent acte de ma propre main.

Fait en double à ...., le ....

b) Je soussignée ..... domiciliée à ...., m'engage, par les présentes, à faire baptiser et élever dans la religion catholique, apostolique et romaine, tous les enfants de l'un et de l'autre sexe, qui naîtront de mon futur mariage avec ....., domicilié à .... Je m'engage en outre à user de toute mon influence auprès de mon futur époux, pour l'amener, surtout par la prière et le bon exemple, à reconnaître la vérité de la foi catholique. Je m'engage enfin à ne me présenter, pour mon mariage, que devant le curé catholique *seul*, et partant à ne recourir pour les mêmes fins, soit avant soit après, au ministre d'aucun autre culte.

En foi de quoi, j'ai signé le présent acte de ma propre main.

Fait en double à ...., le ....

Attamen hæc prohibitio adeundi hæreticum ministrum non adeo stricte urgetur ab Ecclesia, nec passim inter solitas cautiones prævie exigendas adnumeratur, ac possunt circa eam nupturientes, id sinente *Instruct.* C. S. O. 1864, in bona fide relinqui, si monitio prævidetur non profutura (1): contingit tamen quod præfata prohibitio contineatur in indulto vel in rescripto dispensationis eaque injungatur ad dispensationis valorem observanda. Cf. *Nouv. Rev. théol.*, XV, p. 529. Exigitur etiam promissio ministrum non adeundi in citata formula pro diœcesi Brugensi.

Supponitur autem minister hæreticus adiri veluti sacris addictus et quasi munere parochi fungens, non autem personam agens magistratus mere civilis, « coram quo se sistere solent conjuges aut etiam debent ob finem politicum nempe ut habeantur civiliter honesti conjuges prolesque censeatur legitima » (2).

A. D. S.

---

(1) E contrario pro tribus supra memoratis cautionibus non potest ratio haberi bonæ fidei, uti monet *Instr.* C. S. O. 1871, sub 4.

(2) Cf. *Instr.* C. S. O. 1864, ubi additur: « Tunc vero urgentibus hæreticis, aut lege civili imperante, non improbatur quod pars catholica una cum parte hæretica se sistant, ante vel post contractum ad formam Tridentini matrimonium, etiam coram ministro hæresi addicto, ad actum civilem dumtaxat implendum ».

E Sacra Congregatione Rituum

I

Neo-ordinati recitent impositum Nocturnum, omissis Invitatorio, Hymno et Lectionibus.

DUBIUM.

Sacra Rituum Congregatio in *Granatensi* 11 Augusti 1860 ad XIV declaravit: « Verba Pontificalis Romani *Nocturnum talis diei* intelligi de unico Nocturno in feriali, vel de primo dominicæ, ut in Psalterio, id est duodecim Psalmorum cum suis antiphonis de tempore, quem Episcopus ordinans designare potest vel ipsius diei quo habet ordinationem, vel alterius pro suo arbitrio. Quando vero Episcopus nihil aliud exprimit, quam id quod verba Pontificalis referunt, dicendum esse Nocturnum feriæ, quæ respondeat illi diei in qua facta est ordinatio ». Insuper ex decreto ejusdem Sacræ Congregationis N. 4042 *Urbis* 27 Junii 1899 ad I « *Pro Nocturno talis diei* intelligendus est Nocturnus ferialis, vel primus Festi, aut Dominicæ in Psalterio, prouti Ordinatio in Feria, Festo aut dominica habita sit ». Nunc autem alia quæstio exorta et pro opportuna solutione proposita fuit; nempe: « Utrum ad hunc Nocturnum etiam Psalmus *Venite exultemus*, Hymnus et Lectiones addendæ sint, vel potius sufficiant Psalmi cum respectivis Antiphonis ad talem Nocturnum spectantes? ».

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicæ omnibusque accurate perpensis, propositæ quæstioni respondendum esse censuit: « Negative ad primam partem; affirmative ad secundam ».

Atque ita rescripsit, die 10 Julii 1903.

Ita reperitur ex Actis et Regestis Secretariæ Sacrorum Rituum Congregationis, in fidem, etc.

Ex eadem Secretaria, die 10 Julii 1903.

† D. Panici, Archiep. Laodic. *S. R. C. Secr.*

II

ORDINIS FRATRUM MINORUM

Duo solvuntur dubia

Rev. P. Paschalis a Perusia, sacerdos professus Ordinis Fratrum Minorum, de consensu sui R^mi^ Procuratoris Generalis, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia, pro opportuna solutione, humillime exposuit, nimirum:

I. An infra octavam alicujus Sancti octavam habentis, cujus nec officium recitatur, nec fieri commemoratio per accidens potest, caput inclinari debeat, quando dicti Sancti nomen occurrit in Missa?

II. Quænam præfatio dicenda sit in Missa votiva conventuali, quando alia celebretur Missa de die infra octavam vel ejus fiat commemoratio in Missa de officio occurrente, an scilicet præfatio communis vel præfatio de octava?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicæ, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative*. Ad II. *Affirmative ad primum, Negative ad secundum*.

Atque ita rescripsit die 19 Junii 1903.

S. Card. CRETONI, *Præf.*

L. ✠ S.

† Diomedes Panici, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secret.*

Consultationes

I

Titius vicepastor, absente parocho, ex præsumpta licentia, assistit matrimonio. Parochus autem matrimonii celebrationi superveniens exigit ut, omnibus peractis solemnitatibus, sponsi, coram ipso et 2 testibus consensum renovent: quo consensu renovato consuetam pronuntiat formulam: « et ego tanquam Dei minister etc. », eosque dimittit.

Quæritur autem 1/ utrum, pro convalidando matrimonio, non debuisset parochus omnes cæremonias Ritualis iterare; et 2/, si debuisset eas iterare, an et qua ratione defectui sit supplendum.

Respondetur. Imprimis matrimonium coram vicepastore celebratum est indubie nullum, cum omnes Auctores unanimiter doceant, ad validam delegationem, non sufficere licentiam parochi *præsumptam*. Quo posito respondemus:

Ad 1m, pro matrimonii convalidatione, in casu, sufficere ut putati conjuges rite renovaverint consensum coram parocho vel sacerdote a parocho debite commisso et duobus testibus, licet privatim seu clanculo, et omissis quibusvus ritibus ac solemnitatibus. Supponitur namque, quod passim continget, defectum clandestinitatis esse *occultum:* quo casu, nihil impedit, uti docet De Becker, *De Matrim.*, ed. 2a, p. 260, « quominus, servata substantiali forma capitis *Tametsi*, reliquæ omnes solemnitates ad substantiam matrimonii non pertinentes omitterentur » (1).

---

(1) Si publice notus esset defectus clandestinitatis adeoque nota esset nullitas matrimonii, *publice* foret renovandus consensus, et tunc profectò melius esset, licet non necessarium, integram reassumere cæremoniam: qua ratione efficacius vitaretur seu repararetur scandalum.

Ad 2m, utrum nempe solemnitates in convalidatione omissæ fuerint supplendæ, provisum est sub 1°. Non fuit namque locus hujusmodi solemnitatibus nisi in casu, hic seposito, de quo in nota, quo scilicet publice notum fuisset clandestinitatis vitium; imo neque tunc, uti notavimus, stricto jure necessariæ fuissent præfatæ cæremoniæ, adeoque, si fuerint omissæ, non foret imponenda earum iteratio.

Nota. Pro ipsa matrimonii revalidatione et consensus renovatione, sedulò attende dicta suprà, *Collat.*, tom. V, pp. 311-313, juxta quæ vidimus sub pœna nullitatis requiri ut non præstetur novus consensus *nisi prævià notitiâ circa nullitatem prioris consensus.*

A. D. S.

II

Titius operum redemptor (entrepreneur) scholam quamdam construendam suscipere cupiens, Caium, alium operum conductorem, rogat ut in publica conductione istius operis a redimendo opere (soumissionner) abstineat ipsique in hunc finem summam 200 fr. offert. Quæritur autum utrum Caius in conscientia hanc pecuniæ summam accipere possit?

R. *Per se loquendo, Caius videtur posse tuta conscientia dictam pecuniæ summam accipere.*

Præsentem quæstionem ex principiis de publica auctione seu licitatione solvendam censemus, cùm publica operis conductio ad naturam auctionis-venditionis omnino accedat. Etenim contractus locationis operis est conventio qua una pars (redemptor) se obligat ad opus aliquod conficiendum in gratiam alterius partis, quæ vicissim se obligat ad solvendum pretium statutum (1). Et quemadmodum in auctione publica justum reputatur pretium quod offertur ab

(1) Cfr. Ills ac Revs Waffelaert, *De Just.*, Brugis 1885, I, n. 692.

emptoribus concurrentibus, seposita vi et fraude, ità in publica operis conductione justum dicendum est pretium a redemptoribus concurrentibus (soumissionnaires) absque vi et fraude statutum.

Jamvero, satis probabiliter plures Auctores (1) tenent non esse per se injustitiæ damnandos emptores qui, in auctione publica, *unum aliumve* emptorem mediis non injustis, precibus v. g., inducunt ut a licitando abstineat, etiamsi cum uno aliove libere de hoc conventionem ineant vel statuta pecunia paciscantur. Dicimus *unum aliumve:* nam, si conspiratione aliqua facta omnes emptores vel moraliter omnes in id convenirent ut res vendendas minori pretio sibi comparent, quæstio esset diversa et ex principiis circa monopolia resolvenda. Verùm excluso casu illo communis consensus, non probatur adesse violatio justitiæ, quia libertas licitandi non tollitur, cùm alii possint concurrere et offerre neque proprie invertatur aut turbetur ipsa publicæ venditionis ratio. Quidam theologi emptorem qui alium ut a licitando abstineat solùm *rogat,* injustitiæ non arguunt, verùm *pacisci* complures pro injusto habent, nisi forte conventio fiat inter socios, cognatos vel amicos (2). Quam limitationem, utpote parùm fundatam, haud admittimus.

Etenim, cur licite non fit per modum contractus onerosi, id quod licite fit gratuito, quodque cæteroquin apparet pretio æstimabile? Neque venditor habet jus ne aliquis quomodocumque impediatur a licitando, sed ne vi et fraude impediatur; et sicut unusquisque potest libere non concurrere ad hastam, ità potest libere se obligare ad non concurrendum (3). — Et si inter so-

---

(1) Cfr. Ballerini-Palmieri, *Opus theol. mor.*, Vol. III (Prati 1890) p. 683 s. — Bucceroni, *Instit. theol. mor.*, Romæ 1893, Vol. I, n. 1163 s. — Génicot, *Instit. Theol. mor.*, Lovani 1898, tom. I, n. 638. — Lehmkull, *Theol. mor.*, Friburgi B. 1898, Vol. I, n. 1122.

(2) V. S. Alph., *Theol. Mor.*, Lib. IV, n. 808.

(3) V. Bucceroni, *l. c.*

cios (1), cognatos, amicos licet, non video quomodo inter alienos injustum sit: siquidem justitia non pendet a cognatione et familiaritate, ac tandem possum quemlibet mihi amicum vel socium in hunc effectum facere (2).

Quod autem de auctione publica asseritur, hoc contractui publicæ locationis operis, ob paritatem rationis, applicari posse autumamus. Per se enim Titius libertatem concurrendi minime impedit Caium rogando ut a redimendo opere abstineat; nullam vim vel fraudem adhibet, et cùm Caius libere possit non concurrere ad opus redimendum, videtur pactà pecunià se posse ad hoc obligare. Ergo, cùm juxta dictum S. Antonini, nemo peccati sit damnandus, nisi de eo satis constet, tenemus Caium, per se loquendo, posse tuta conscientia summam 200 fr. accipere.

Dicitur *per se*, nam si in casu quodam extraordinario concurrentia in opere redimendo, de facto tolleretur et de hoc sufficienter constaret, propositus casus potius adhibitis principiis de monopoliis resolvendus foret. Si nempe hac conventione, ratione peculiarium adjunctorum, vera conspiratio foret in pretium suprà summum pretium justum, injuste agerent Titius dando Caius accipiendo pecuniam; quodsi conspiratio sit in summum pretium justum, ob conspirationem lædere viderentur charitatem (3); secus non peccarent.

A. C.

---

(1) Ubi plures socii constituunt *personam moralem* seu subjectum juris distinctum a personis physicis separatim vel collective sumptis, potest hæc persona moralis ad instar unius personæ individuæ considerari, quoties in hac materia de dominio *entis moralis qua talis* agitur. Quodsi quæstio fiat de dominio privato sociorum, hi veluti extranei habendi sunt, nec ullo modo tunc, ubi de stricto jure agitur, ratio habenda est consociationis.

(2) Cfr. Lehmkull, *l. c.*

(3) Juxta doctrinam communem, ut notat Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *o. c.*, n. 662.

Libri dijudicantur.

Gebeden en Gezangen *voor kinderen ten gebruike bij kerkelijke diensten en plechtigheden,* door WUYTS, pastoor. — Turnhout, Joseph Splichal, 1898. Pr. 1,50 fr.; 1,00 fr. genomen per honderd.

Hoc in opere præbet auctor preces et cantus quibus utantur pueri tum in ecclesia tum in aliis conventibus piis. In sex partes divisus est liber: *prima* continet preces matutinas ac vespertinas et cantus qui possunt ante et post scholam cantari; *secunda* ea quæ pertinent ad Missæ sacrificium; *tertia* preces et exercitia facienda ad fructuosam receptionem sacramentorum pœnitentiæ et eucharistiæ; *quinta* cantus pro variis anni liturgici partibus; *sexta* modum instituendæ viæ crucis, recitandi rosarium, quasdamque litanias.

Ad Missæ sacrificium quod attinet, auctor hîc collegit ea quæ requiruntur ut ad praxim deduci possit methodus quam ipse, quinque jam abhinc annis, sequutus est et quidem magno cum fructu, ut videtur. Hæc porro methodus in hoc consistit ut, dum pueri Missæ assistunt, aliquis sacerdos e suggestu breves quasdam tradat explicationes et cum pueris varias recitet preces, variasque cantet cantilenas singulis missæ partibus adaptatas.

Etiam ubi non in usu est hic agendi modus, tamen utiliter adhibebitur laudatum opus, quippe quod præbet multos cantus qui per missam vel alia exercitia a pueris cantari possunt.

Cantilenæ exhibentur tum notatione musicali consueta, tum etiam numeris (musique chiffrée). Ad musicam figuratam quod attinet, pleræque cantilenæ tum ratione melodiæ, tum ratione rhythmi pulchræ sunt necnon et facile addiscuntur; quædam tamen quoad

rhythmum deficiunt, quatenus nempe mensura musicalis non bene concordat cum mensura versuum, tales v. gr. sunt cantilenæ quæ inveniuntur pp. 25, 30, 59; nec bene notatur cantilena p. 39. Ad cantum gregorianum quod attinet, adhibet auctor textum qui in nostra diœcesi in usu non est, nec invehendus.

Quoad ideam expressam, saltem inopportuna, pueris præsertim, est cantilena (p. 47) in qua exhibetur indifferentia ad cœlum et infernum.

Hi, quos indicavimus, defectus non impediunt quominus laudabile auctor confecerit opus quod scholarum pueris et patronagiorum juvenibus perutile esse potest.

J. V. D. M.

Collationes Brugenses

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI DIVINÀ PROVIDENTIÀ PII PAPÆ X, EPISTOLA ENCYCLICA AD PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum ordinariis, pacem et communionem cum Apostolica Sede habentibus

PIUS PP. X

VENERABILES FRATRES SALTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

E supremi apostolatus cathedra, ad quam, consilio Dei inscrutabili, evecti fuimus, vobis primum eloquuturos, nihil attinet commemorare quibus Nos lacrymis magnisque precibus formidolosum hoc Pontificatus onus depellere a Nobis conati simus. Videmur equidem Nobis, etsi omnino meritis impares, convertere in rem Nostram posse quæ Anselmus, vir sanctissimus, querebatur quum, adversans et repugnans, coactus est honorem episcopatus suscipere. Etenim quæ ille mœroris indicia pro se afferebat, eadem et Nobis proferre licet, ut ostendamus quo animo, qua voluntate Christi gregis pascendi gravissimum officii munus exceperimus. *Testantur*, sic ille (1), *lacrymæ meæ et voces et rugitus a gemitu cordis mei, quales nunquam de me, ullo dolore, memini exiisse ante diem illam, in qua sors illa gravis archiepiscopatus Cantuariæ visa est super me cecidisse. Quod ignorare nequiverunt illi qui, ea die, vultum meum inspexerunt... Ego magis mortuo quam viventi colore similis, stupore et dolore pallebam. Huic autem de me electioni, imo violentiæ, hactenus, quantum potui, servata veritate, reluctatus sum. Sed jam, velim*

Quam repugnanter acceptaverit summum pontificatum.

(1) Epp. l III, ep. 1.

nolim, cogor fateri quia quotidie judicia Dei magis ac magis conatui meo resistunt, ut nullo modo videam me ea posse fugere. Unde jam, non tam hominum quam Dei, contra quam non est prudentia, victus violentiâ, hoc solo intelligo me uti debere consilio, ut, postquam oravi quantum potui, et conatus sum ut, si possibile esset, calix iste transiret a me ne biberem illum... meum sensum et voluntatem postponens, me sensui et voluntati Dei penitus committam.

Causæ istius repugnantiæ.

Nec plane repugnandi causæ, multæ et maximæ, defuerunt Nobis. Præterquam enim quod honore pontificatus, ob tenuitatem Nostram, nullo pacto Nos dignaremur; quem non moveret ei se successorem designari, qui, cum ecclesiam sex fere ac viginti annos sapientissime rexisset, tanta valuit alacritate ingenii, tanto virtutum omnium splendore, ut vel adversarios in sui admirationem traduxerit et memoriam sui nominis factis præclarissimis consecrarit? — Dein, ut prætereamus cetera, terrebat Nos, quam quod maxime, ea quæ modo est humani generis conditio afflictissima. Quem enim lateat, consociationem hominum gravissimo nunc, supra præteritas ætates, atque intimo urgeri morbo; qui in dies ingravescens eamque penitus exedens ad exitium rapit? Morbus qui sit, intelligitis, Venerabiles Fratres; defectio abscessioque a Deo: quo nihil profecto cum pernicie conjunctius, secundum Prophetæ dictum (1): *Quia ecce, qui elongant se a te, peribunt.* Tanto igitur malo, pro pontificali munere quod demandabatur, occurrendum esse Nobis videbamus; arbitrabamur enim Dei jussum ad Nos pertinere: *Ecce constitui te hodie super gentes et super regna, ut evellas et destruas, et ædifices et plantes* (2); verum conscii Nobis infirmitatis Nostræ, negotium, quod nihil simul haberet moræ et difficultatis plurimum, suscipere verebamur.

Attamen, quoniam numini divino placuit humilitatem Nostram ad hanc amplitudinem potestatis provehere; erigimus animum *in eo qui* Nos *confortat,* Deique virtute freti manum operi admoventes, in gerendo pontificatu hoc unum declaramus propositum esse Nobis *instaurare omnia in Christo* (3) ut videlicet sit *omnia et in omnibus Christus* (4). —

Unum sibi propositum habet Pontifex: *omnia in-*

(1) Ps. LXXII, 27.
(2) Jerem. I, 10.
(3) Ephes. I, 10.
(4) Coloss. III, 11.

Erunt profecto qui, divina humanis metientes quæ Nostra sit animi mens rimari nitantur atque ad terrenos usus partiumque studia detorquere. His ut inanem spem præcidamus, omni asseveratione affirmamus nihil velle Nos esse, nihil, opitulante Deo, apud consociationem hominum futuros, nisi Dei, cujus utimur auctoritate, administros. Rationes Dei rationes Nostræ sunt; pro quibus vires omnes vitamque ipsam devovere decretum est. Unde si qui symbolum a Nobis expetant, quod voluntatem animi patefaciat; hoc unum dabimus semper: *Instaurare omnia in Christo!*

staurare in Christo.

Quo quidem in præclaro opere suscipiendo urgendoque illud Nobis, Venerabiles Fratres, alacritatem affert summam, quod certum habemus fore vos omnes strenuos ad perficiendam rem adjutores. Id enim si dubitemus, ignaros vos, non sane jure, aut negligentes putaverimus nefarii illius belli, quod nunc, ferme ubique, commotum est atque alitur adversus Deum. Vere namque in Auctorem suum *fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania* (1); ut communis fere ea vox sit adversantium Deo: *Recede a nobis* (2). Hinc extincta omnino in plerisque æterni Dei reverentia, nullaque habita in consuetudine vitæ, publice ac privatim, supremi ejus numinis ratio: quin totis nervis contenditur omnique artificio, ut vel ipsa recordatio Dei atque notio intereat penitus.

Id opus alacriter suscipit fretus adjutorio Episcoporum, qui et ipsi plane conscii sunt belli fere ubique moti contra Deum.

Hæc profecto qui reputet, is plane metuat necesse est ne malorum, quæ supremo tempore sunt expectanda, sit perversitas hæc animorum libamentum quoddam ac veluti exordium; neve *filius perditionis*, de quo Apostolus loquitur (3), jam in hisce terris versetur. Tanta scilicet audacia, eo furore religionis pietas ubique impetitur, revelatæ fidei documenta oppugnantur, quæque homini cum Deo officia intercedunt tollere delere prorsus præfracte contenditur! E contra, quæ, secundum Apostolum eundem, propria est *Antichristi* nota, homo ipse, temeritate summa, in Dei locum invasit, extollens se *supra omne quod dicitur Deus;* usque adeo ut, quamvis Dei notitiam extinguere penitus in se nequeat, Ejus tamen majestate rejecta, aspectabilem hunc mundum

(1) Ps. II, 1.
(2) Job. XXI, 14.
(3) II Thess. II, 3.

sibi ipse veluti templum dedicaverit a ceteris adorandus. *In templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus* (1).

In isto bello victoriam profecto reportabit Deus;

Enimvero hoc adversus Deum mortalium certamen qua sorte pugnetur nullus est sanæ mentis qui ambigat. Datur quidem homini, libertate sua abutenti, rerum omnium Conditoris jus atque numen violare: veruntamen victoria a Deo semper stat! quin etiam tum propior clades imminet, quum homo, in spe triumphi, insurgit audentior. Hæc ipse Deus nos admonet in Scripturis sanctis. *Dissimulat* scilicet *peccata hominum* (2), suæ veluti potentiæ ac majestatis immemor: mox vero, post adumbratos recessus, *excitatus tamquam potens crapulatus a vino* (3), *confringet capita inimicorum suorum* (4); ut norint omnes *quoniam rex omnis terræ Deus* (5), *et sciant gentes quoniam homines sunt* (6).

attamen operet eamdem victoriam accelerare, verbo et opere supremum Dei dominatum vindicando.

Hæc quidem, Venerabiles Fratres, fide certa tenemus et expectamus. Attamen non ea impediunt quominus, pro nostra quisque parte, Dei opus maturandum nos etiam curemus: idque, non solum efflagitando assidue: *Exsurge, Domine, non confortetur homo* (7); verum, quod plus interest, re et verbo, luce palam, supremum in homines ac naturas ceteras Dei dominatum adserendo vindicandoque, ut Ejus imperandi jus ac potestas sancte colatur ab omnibus et observetur. — Quod plane non modo officium postulat a natura profectum, verum etiam communis utilitas nostri generis.

Quod postulat etiam communis utilitas hominum, quum multi, in præsenti conflictu, pacis quidem sunt cupidi, sed frustra hanc quærunt, neglecto Deo.

Quorumnam etenim, Venerabiles Fratres, animos non conficiat trepidatio ac mœror, quum homines videant, partem maximam, dum quidem humanitatis progressus haud immerito extolliuntur, ita digladiari atrociter inter se, ut fere sit omnium in omnes pugna? Cupiditas pacis omnium profecto pectora attingit, eamque nemo est qui non invocet vehementer. Pax tamen, rejecto Numine, absurde quæritur: unde namque abest Deus, justitia exsulat; sublatâque justitia, frustra in spem pacis venitur. *Opus justitiæ pax* (8). —

---

(1) II Thess. II, 2.
(2) Sap. XI, 24.
(3) Ps. LXXVII, 65.
(4) Ps. LXVII, 22.
(5) Ib. XLVI, 8.
(6) Ib. IX, 20.
(7) Ps. IX, 19.
(8) Is. XXXII, 17.

Novimus equidem non paucos esse, qui studio pacis ducti, *tranquillitatis* nempe *ordinis*, in cœtus factionesque coalescunt, quæ ab *ordine* nominant. Proh tamen spes curasque inanes! Partes *ordinis*, quæ pacem afferre turbatis rebus reapse queant, unæ sunt: partes faventium Deo. Has igitur promovere necesse est, ad easque quo licebit plures adducere, si securitatis amore incitamur.

Gentes ad Deum revocantur eas reducendo ad Christum;

Verum hæc ipsa, Venerabiles Fratres, humanarum gentium ad majestatem Dei imperiumque revocatio, quantumvis licet conemur, numquam nisi per Jesum Christum eveniet. Monet enim Apostolus: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* (1). Scilicet unus ipse est, *quem Pater sanctificavit et misit in mundum* (2); *splendor Patris et figura substantiæ ejus* (3), Deus verus verusque homo: sine quo, Deum, ut oportet, agnoscere nemo possit; nam *neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (4). — Ex quo consequitur, ut idem omnino sit *instaurare omnia in Christo* atque homines ad Dei obtemperationem reducere. Huc igitur curas intendamus oportet, ut genus hominum in Christi ditionem redigamus: eo præstito, jam ad ipsum Deum remigraverit. Ad Deum inquimus, non socordem illum atque humana negligentem, quem *materialistarum* deliramenta effinxerunt; sed Deum vivum ac verum, unum natura personis trinum, auctorem mundi, omnia sapientissime providentem, justissimum denique legis latorem, qui sontes plectat, præmia proposita virtutibus habeat.

ad Christum autem reducendæ per Ecclesiam;

Porro qua iter nobis ad Christum pateat, ante oculos est: per Ecclesiam videlicet. Quamobrem jure Chrysostomus: *Spes tua Ecclesia, salus tua Ecclesia, refugium tuum Ecclesia* (5). In id namque illam condidit Christus, quæsitam sui sanguinis pretio; eique doctrinam suam ac suarum præcepta legum commendavit, amplissima simul impertiens divinæ gratiæ munera ad sanctitatem ac salutem hominum.

Videtis igitur, Venerabiles Fratres, quale demum Nobis vobisque pariter officium sit demandatum: ut consociatio-

(1) I Cor. III, 11.
(2) Jo. X, 36.
(3) Hebr. I, 3.
(4) Matth. XI, 27.
(5) Hom. *de capto Eutropio*, n. 6.

nem hominum, a Christi sapientia aberrantem, ad Ecclesiæ disciplinam revocemus; Ecclesia vero Christo subdet, Christus autem Deo. Quod si, Deo ipso favente, perficiemus, iniquitatem cessisse æquitati gratulabimur, audiemusque feliciter *vocem magnam de cœlo dicentem: Nunc facta est salus et virtus et regnum Dei nostri et potestas Christi ejus* (1). — Hic tamen ut optatis respondeat exitus, omni ope et opera eniti opus est ut scelus illud immane ac detestabile, ætatis hujus proprium, penitus eradamus, quo se nempe homo pro Deo substituit: tum vero leges Evangelii sanctissimæ ac consilia in veterem dignitatem vindicanda; adserendæ altius veritates ab Ecclesia traditæ, quæque ejusdem sunt documenta de sanctitate conjugii, de educatione doctrinaque puerili, de bonorum possessione atque usu, de officiis in eos qui publicam rem administrant; æquilibritas demum inter varios civitatis ordines christiano instituto ac more restituenda. — Nos profecto hæc Nobis, Dei nutui obsequentes, in pontificatu prosequenda proponimus, ac pro virili parte prosequemur. Vestrum autem erit, Venerabiles Fratres, sanctitate, scientia, agendorum usu, studio cum primis divinæ gloriæ, industriis Nostris obsecundare; nihil aliud spectantes præterquam ut in omnibus *formetur Christus* (2).

llas præceptis evangelicis et Ecclesiæ disciplina informando.

Jam quibus ad rem tantam utamur adjumentis, vix dicere oportet; sunt enim de medio sumpta. — Curarum hæc prima sunto, ut Christum formemus in iis, qui formando in ceteris Christo officio muneris destinantur. Ad sacerdotes mens spectat, Venerabiles Fratres. Sacris namque quotquot initiati sunt, eam in populis, quibuscum versantur, provinciam sibi datam norint, quam Paulus suscepisse testatus est amantissimis iis verbis: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (3). Qui tamen explere munus queant, nisi priores ipsi Christum induerint? atque ita induerint, ut illud Apostoli ejusdem usurpare possint: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus* (4). *Mihi vivere Christus est* (5). Quamo-

Media adhibenda: ante omnia curetur ut sacerdotes, qui Christum in aliis formare debent ipsi-met Christum induant.

(1) Apoc. XII, 10.
(2) Gal. IV, 19.
(3) Ibid.
(4) Gal. II, 20.
(5) Philipp. I, 21.

brem, etsi ad fideles omnes pertinet hortatio *ut occurramus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi* (1); præcipue tamen ad illum spectat qui sacerdotio fungitur; qui idcirco dicitur *alter Christus,* non una sane potestatis communicatione sed etiam imitatione factorum, qua expressam in se Christi imaginem præferat.

Quæ cum ita sint, quæ vobis quantaque, Venerabiles Fratres, ponenda cura est in clero ad sanctitatem omnem formando! huic, quæcumque obveniant, negotia cedere necesse est. Quamobrem pars potior diligentiarum vestrarum sit de seminariis sacris rite ordinandis moderandisque ut pariter integritate doctrinæ et morum sanctitate floreant. Seminarium cordis quisque vestri delicias habetote, nihil plane ad ejus utilitatem omittentes, quod est a Tridentina Synodo providentissime constitutum. — Quum vero ad hoc ventum erit ut candidati sacris initiari debeant, ne quæso excidat animo quod Paulus Timotheo perscripsit: *Nemini cito manus imposueris* (2); illud attentissime reputando, tales plerumque fideles futuros, quales fuerint quos sacerdotio destinabitis. Quare ad privatam quancumque utilitatem respectum ne habetote; sed unice spectetis Deum et Ecclesiam et sempiterna animorum commoda, ne videlicet, uti Apostolus præcavet, *communicetis peccatis alienis* (3). — Porro sacerdotes initiati recens atque e seminario digressi industrias vestras ne desiderent. Eos, ex animo hortamur, pectori vestro, quod cœlesti igne calere oportet, admovete sæpius, incendite, inflammate ut uni Deo et lucris animorum inhient. Nos equidem, Venerabiles Fratres, diligentissime providebimus ne homines sacri cleri ex insidiis capiantur novæ cujusdam ac fallacis scientiæ, quæ Christum non redolet, quæque, fucatis astutisque argumentis, *rationalismi* aut *semirationalismi* errores invehere nititur; quos ut caveret jam Apostolus Timotheum monebat, scribens: *Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt* (4). Hoc tamen non

Quare omni cura clericorum seminaria ordinanda moderandaque;

nec Ordines temere conferendi;

juniores autem sacerdotes sollicite fovendi.

(1) Ephes. IV, 3.
(2) I Tim. V, 22.
(3) Ibid.
(4) I Tim. VI, 20 s.

impellimur quo minus hinc dignos existimemur illis e sacerdotibus primitivis, qui ultimum dominicarum studia, in quo, sacramentum pervenerunt, ut inde ad mentem mentibus atque usum illos sacramentis rebellendas instructioris diem Pentecosten adire haud possumus, quin omnem aperuisse profitemur, primus Nos semper delectamur iis qui, quamvis aliis immanesque disciplines minime praetentum, prudentia nihilominus animorum utilitatibus se dedunt, eorum prudentiam mirantur, quae saeculorum Ecclesiae dimissis studiorum. Primus Nobis *magnum* [illegible] *Magnum* [illegible] *quam* [illegible] *in* [illegible] *nostram* [illegible] *Pontifice* [illegible]. Primus *primus quem* [illegible] *quo* [illegible] 1. Nam enim de illis dicunt, qui, per omnipotentem Imperium, operam dare mentes rebus adumbrandis potius quam edibile [illegible] *in* [illegible] *non* [illegible] *multo* [illegible] *ad* Christi *exemplum*, sibi *summum* Prophetae dictum: *Spiritus Domini super me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, praedicare captivis remissionem et caecis visum* 2. — *Quam tamen dignum, Venerabiles Fratres, quam* [illegible] *ratione* [illegible] *Ecclesiae* [illegible] *Pontifice* [illegible] *esse* [illegible] *ad Dei imperium in Ecclesia* [illegible] *Quot plane sunt qui Christum dicunt, qui Bonifatium, qui Franciscum laudent ignorantes magis quam peritiae angelii de quibus jam dictum: quorumque ignorantia* [illegible] 4. Dicere nam in plebe [illegible] *reperiuntur* [illegible] *in Ecclesia multitudine, quae* [illegible] *in* [illegible] *sed in omnibus* [illegible] *omnibus* [illegible] *Hinc* [illegible] *in* [illegible] *dicimus. Non* [illegible] *sed* [illegible] *in* [illegible] *vit major est ignorantia, vit enim* [illegible] *dicit dicentis. Quapropter Apostolus a Christi mandatum* [illegible] *Omnis* [illegible] 5.

Quantumque [illegible] *de* [illegible] *dominum* [illegible] *populum sanctum*

Quam [illegible] *dominica* [illegible] *magis* [illegible] *ne* [illegible] *et a* [illegible] *vel*

Omnis [illegible] *omnis*

Praeterea, ut ex dominici munere ad studio fructus pro spe eliciantur atque in omnibus fiunt Christi, id genitus in

1) Rom. VII 2.
2) Luc. IV 18.
3) Luc. IV 18-19.
4) Joh. II 10.
5) Marc. XXVIII 19.

memoria insideat, Venerabiles Fratres, nihil omnino esse caritate efficacius. *Non* enim *in commotione Dominus* (1). Allici animos ad Deum amariore quodam conatu, speratur perperam: quin etiam errores acerbius increpare, vitia vehementius reprehendere damno magis quam utilitati aliquando est. Timotheum quidem Apostolus hortabatur: *Argue, obsecra, increpa;* attamen addebat: *in omni patientia* (2). — Certe ejusmodi nobis exempla prodidit Christus. *Venite,* sic ipsum alloquutum legimus, *venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (3). Laborantes autem oneratosque non alios intelligebat, nisi qui peccato vel errore tenerentur. Quanta enimvero in divino illo magistro mansuetudo! quæ suavitas, quæ in ærumnosos quoslibet miseratio? Cor ejus plane pinxit Isaias iis verbis: *Ponam spiritum meum super eum; non contendet neque clamabit; arundinem quassatum non confringet et linum fumigans non extinguet* (4). — Quæ porro caritas, *patiens* et *benigna* (5) ad illos etiam porrigatur necesse est, qui sunt nobis infesti vel nos inimice insectantur. *Maledicimur et benedicimus,* ita de se Paulus profitebatur, *persecutionem patimur et sustinemus, blasphemamur et obsecramus* (6). Pejores forte quam sunt videntur. Consuetudine enim aliorum, præjudicatis opinionibus, alienis consiliis et exemplis, malesuada demum verecundia in impiorum partem translati sunt: attamen eorum voluntas non adeo est depravata, sicut et ipsi putari gestiunt. Quidni speremus christianæ caritatis flammam ab animis caliginem dispulsuram atque allaturam simul Dei lumen et pacem? Tardabitur quandoque forsitan laboris nostri fructus; sed caritas sustentatione nunquam defatigatur, memor non esse præmia a Deo proposita laborum fructibus sed voluntati.

exerceant in omni charitate et mansuetudine.

etiam ergà adversarios.

Attamen, Venerabiles Fratres, non ea Nobis mens est ut, in toto hoc opere tam arduo restitutionis humanarum gentium in Christo, nullos vos clerusque vester adjutores habeatis. Scimus mandasse Deum unicuique de proximo

In idem opus restaurationis in Christo, sub ductu Episco-

(1) III Reg. XIX, 11.
(2) II Tim. IV, 2.
(3) Matth. XI, 28.
(4) Is XLII, 1 s.
(5) I Cor. XIII; 4.
(6) Ibid. IV, 12 s.

porum, adlaborent quoque catholici laici;

suo (1). Non igitur eos tantum, qui sacris se addixerunt, sed universos prorsus fideles rationibus Dei et animorum adlaborare oportet: non marte utique quemque suo atque ingenio, verum semper Episcoporum ductu atque nutu; præesse namque, docere, moderari nemini in Ecclesia datur præter quam vobis, *quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei* (2). — Catholicos homines, vario quidem consilio at semper religionis bono, coire inter se societatem, Decessores Nostri probavere jamdiu bonaque precatione sanxerunt. Institutum porro egregium Nos etiam laudatione Nostra ornare non dubitamus, optamusque vehementer ut urbibus agrisque late inferatur ac floreat. Verumenimvero consociationes ejusmodi eo primo ac potissimum spectare volumus, ut quotquot in illas cooptantur christiano more constanter vivant. Parum profecto interest quæstiones multas subtiliter agitari, deque juribus et officiis eloquenter disseri, ubi hæc ab actione fuerint sejugata. Postulant enim actionem tempora; sed eam quæ tota sit in divinis legibus atque Ecclesiæ præscriptis sancte integreque servandis, in religione libere aperteque profitenda, in omnigenæ demum caritatis operibus exercendis, nullo sui aut terrenarum utilitatum respectu. Illustria ejusmodi tot Christi militum exempla longe magis valitura sunt ad commovendos animos rapiendosque quam verba exquisitæque disceptationes; fietque facile ut, abjecto metu, depulsis præjudiciis ac dubitationibus, quamplurimi ad Christum traducantur provehantque ubique notitiam ejus et amorem; quæ ad germanam solidamque beatitatem sunt via. Profecto si in urbibus, si in pagis quibusvis præcepta Dei tenebuntur fideliter, si sacris erit honos, si frequens sacramentorum usus, si cetera custodientur quæ ad christianæ vitæ rationem pertinent; nihil admodum, Venerabiles Fratres, elaborandum erit ulterius ut omnia in Christo instaurentur. Neque hæc solum cœlestium bonorum prosequutionem spectare existimentur: juvabunt etiam, quam quæ maxime, ad hujus ævi publicasque civitatum utilitates. His namque obtentis, optimates ac locupletes æquitate simul et caritate tenuioribus aderunt, hi vero afflictioris fortunæ angustias sedate ac patienter ferent;

quos, religionis bono, in consociationes coire optimum quidem; quæ tamen potissimum eo spectent ut quotquot in illas cooptantur, christiano more constanter vivant.

Inde non solum cœlestium bonorum consecutio, sed et publica prosperitas efficaciter promovebitur.

(1) Eccli. XVII, 12.
(2) Act. XX, 28.

cives non cupiditati sed legibus parebunt; principes et quotquot rempublicam gerunt, quorum *non est potestas nisi a Deo* (1), vereri ac diligere sanctum erit. Quid plura? Tunc demum omnibus persuasum fuerit debere Ecclesiam, prouti ab auctore Christo est condita, plena integraque libertate frui nec alienæ dominationi subjici; Nosque, in hac ipsa libertate vindicanda, non religionis modo sanctissima tueri jura, verum etiam communi populorum bono ac securitati prospicere. Scilicet *pietas ad omnia utilis est* (2): eaque incolumi ac vigente, *sedebit* reapse *populus in plenitudine pacis* (3).

Ad orationem recurrendum.

Deus, *qui dives est in misericordia* (4), hanc humanarum gentium in Christo Jesu instaurationem benignus festinet; *non* enim *volentis* opus *neque currentis, sed miserentis est Dei* (5). Nos vero, Venerabiles Fratres, *in spiritu humilitatis* (6), quotidiana et instanti prece id ab Eo contendamus ob Jesu Christi merita. Utamur præterea præsentissima Deiparæ impetratione: cui conciliandæ Nobis, quoniam has litteras die ipsa damus, quæ recolendo Mariali Rosario est instituta; quidquid Decessor Noster de octobri mense Virgini augustæ dicando edixit, publicâ per templa omnia ejusdem Rosarii recitatione, Nos pariter edicimus et confirmamus; monentes insuper ut deprecatores etiam adhibeantur castissimus Dei Matris Sponsus catholicæ Ecclesiæ patronus sanctique Petrus et Paulus apostolorum principes.

Decessoris circa mensis Octobris celebrationem præscripta confirmantur.

Benedictio apostolica.

Quæ omnia ut rite eveniant et cuncta vobis pro desiderio fortunentur, divinarum gratiarum subsidia uberrime exoramus. Testem vero suavissimæ caritatis, qua vos et universos fideles, quos Dei providentia Nobis commendatos voluit, complectimur, vobis, Venerabiles Fratres, clero populoque vestro apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum, die IV octobris MCMIII, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X.

---

(1) Rom. XIII, 1.
(2) I Tim. IV, 8.
(3) Is. XXXII, 18.
(4) Ephes. II, 4.
(5) Rom. IX, 16.
(6) Dan. III, 39.

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. VIII, pag. 517).

PARERGON.

338. Supra n. 259 et sqq. scripsimus parergon, in quo ostendimus cosmogoniam, prout eam moderna scientia statuit, apte conciliari cum doctrina philosophica Scholasticorum de ortu ac natura hujus universi inorganici, et porro cum doctrina fidei de creatione, distinctione ac gubernatione rerum a Deo. Ex quo fit ut scientificam illam cosmogoniæ hypothesim maxima probabilitate gaudere merito affirmaverimus. Postea de hexamero Geneseos agentes, vidimus nullam esse aut esse posse inter divinam hanc Scripturam et prædictam hypothesim scientificam oppositionem: cum in libro Geneseos veritates quidem fidei creationis, distinctionis ac gubernationis divinæ rerum distincte asserantur ac modo aptissimo doceantur, de ratione vero ac modo quibus Creator reapse distinctionem rerum effecit, easque movit ac porro gubernat, pro scopo Auctoris sacri non agatur, utpote qui scopus est docendi quæ fide tenenda sunt ad Dei cultum et hominum salutem, nequaquam explicandi theorias scientificas.

Interim tamen nemo non mirabitur ingens discrimen quod intercedit inter modum exponendi ac narrandi libri Geneseos, et cosmogonias quas apud populos gentiles antiquitatis explicatas reperimus: cum hæ rebus absurdis et turpibus fere contextæ sint, dum in libro Geneseos omnia ad docendam doctrinam rationi plane consentaneam atque puram aptissima, simulque captui cujusque hominis quovis tempore accommodatissima sint. Ideo quoque nec utiliter nec rationabiliter recurrere quosdam putamus, ut satis ex nostra hexameri interpretatione liquet, ad hanc interpretandi viam, quasi nempe Auctor Geneseos traditiones populares et cosmogoniam legendariam conterraneorum suorum a se ex-

purgatas adaptaverit doctrinæ proponendæ. Hæc nobis videntur Auctore inspirato parum digna, et cæterum a Rationalistis mutuata qui, a priori rejicientes inspirationem divinam Scripturæ, eo ipso hanc eodem censu habent quo cætera documenta et figmenta quæque antiquitatis.

339. Itaque, opportune superius parergon cosmogoniam scientifice explicavit, de sola tamen universi materialis *inorganici* evolutione agens. Quare non minus opportunum videbitur præsens parergon, quo ulterius de modo ac ratione productionis et distinctionis specierum *viventium* et præprimis hominis scientifice inquiratur; ut quæ obiter, supra n. 272 et seq., scholastice de re disputavimus cum modernis rursum placitis conferantur. Et locus quidem id præstandi hic est, quo doctrinam Scripturæ de hominis productione attigimus. Licet enim in hac interpretanda locum non esse existimemus contradictioni cum scientia humana, eo quod Scriptor sacer ab hujusmodi scientia abstrahit, ut jam innuimus et porro expressius indicabimus, multæ tamen eæque gravissimæ quæstiones hodierno tempore agitantur de origine vitæ, specierum, ipsiusque hominis, in quibus peregrinum esse clero non licet, eo vel magis quod impii quidem falsa scientia adversus fidem et Scripturam abuti soleant, catholici vero nonnulli scientiam deprimere nimis et quasi aspernari se debere, ut veritatem et Scripturam salvent, arbitrari videantur.

Hinc habes cur necesse duxerimus novum hoc parergon addere, quamvis a scopo harum meditationum theologicarum, qui nullatenus polemicus est nec proprie apologeticus, paululum abscedere videatur: ideo parergon dicimus; quod quidem hac sua propria forma minus abrumpet seriem meditationum, quam si longiores hæ disputationes scientificæ cum rebus nostris theologicis permiscerentur.

Itaque breviter agemus 1° de origine vitæ, 2° de origine specierum viventium, 3° de ortu hominis.

I. *De origine vitæ.*

340. Quæritur 1° an semper fuerint animalia et vegetalia in hac terra, anvero vita incœperit, et an post creationem hujus universi materialis inorganici. Qua in re, scientia

moderna cum doctrina fidei plane consentit vitam incœpisse; imo saltem scientia sine dubio affirmat omne corpus organicum omneque germen, omnem vitam aliquando in terra jam constituta defuisse: vere inanem et vacuam fuisse aliquando terram. Quod quidem, si cosmogonia supra exposita et scientia moderna comprobata admittatur, ulteriori demonstratione non indiget. Sed et scientia geologica id aperte evincit: cum totam terram aliquando ignitam fuisse structura rupium subterranearum ubique terrarum testetur, ita ut nullum corpus organicum subsistere potuerit, quum et mixta inorganica quibus corpus viventis componitur, v. g. aqua, minore etiam caloris gradu, in sua rursus elementa fluida seu gazea dissoluta abeunt, nec adeo moleculæ corporis viventis colligatæ remanere valent.

341. Incœpit ergo vita in hac terra; unde quæritur 2º qua ratione incœperit seu unde ortum habuit (1).

Mirum est quomodo docti quidam acatholici, a priori Creatorem effugere volentes, ut nihil dicamus de miseris eorum ratiociniis, ab hypothesibus non refugiant, quas alias ipsi tamquam antiquatas, absurdas, pueriles, et certe mere gratuitas ac scientia seria indignas traducerent, merito quidem; ita ut vel inviti, ipsa suarum hypothesium inanitate, necessitatem interventus Creatoris astruant.

---

(1) Cæterum, etiamsi possibilis dicatur hæc vita ab æterno, mundusque æternus, cum sint nihilominus finita, manet quæstio quænam sit eorum causa et qua ratione causata sint. — De possibilitate autem mundi æterni hoc brevissime notamus. Si is sit mundus, eaque vita, qualia nunc conspicimus, continuo sese evolventia, continua successione actuum vitalium, aliorumque motuum, tempore mensuratorum, immutata, repugnat esse æterna. Quodsi alium fingas mundum, nempe immotum, jam cadunt multæ rationes ex iis quæ ostendunt supradictam repugnantiam. Unde ad quæstionem absolute positam de possibilitate alicujus mundi æterni, quæ pro sano philosopho ad hanc reducitur, ut ex prædictis patet: scilicet, an necne repugnet, saltem ex parte creaturæ, hanc ab æterno creari, diversa respondent. Albertus Magnus, Bonaventura, aliique inter Scholasticos et plerique moderni repugnare dicunt. Alii cum S. Thoma, nec possibilitatem nec impossibilitatem mundi æterni demonstrari posse autumant, mundumque incœpisse sola fide teneri. Huic autem rei hic non est immorandum cum, uti vidimus, et fide et ratione constet de facto vitam incœpisse, imo relative recenter in hac terra jamdiu constituta ortum habuisse scientia demonstret.

Sic, ut prætereamus hypothesim, possibilem forte at non probabilem, vi cujus terra nostra, in suo cursu per spatia, germina vitæ ex aliis astris decisa receperit, quæ quidem hypothesis quæstionem non solvit sed in alteram propellit, unde videlicet in istis astris vita apparuerit, materialistæ universi ad generationem spontaneam seu autogoniam (1) recurrunt.

Atvero, si scientiam experimentalem adeamus, hoc in præsenti, post multiplicia, minutissima atque accuratissima experimenta, præsertim a doctissimo et illustrissimo viro Pasteur facta, omnino certum est: videlicet, omne vivum, quantumcumque humile ac imperfectissimum, de quo inquisitum est, inventum fuisse ex suî simili germine vivo ortum. E contrario, nullum vivens, quantumvis imperfectum, inveniri potuit autogonum seu ex materia inerti sponte exortum; neque ex materia inerti, applicatis quibusvis viribus naturæ physicis et chemicis, potuit, absente germine vivo, hucusque educi.

Hac posita experientia, via inductionis procedendo, ex principio constantiæ et universalitatis legum naturæ, merito concluditur, quodsi adhuc imperfectiora inveniantur viventia, in ipso limite posita inter regnum minerale et vegetale, ea rursus ex germine, licet imperfectissimo, ortum habere; et quod experientia in præsenti constat, eodem modo in præterito sese habuisse. Quodsi vestigium reperire esset viventis omnium in aliqua serie chronologice primi, hoc quidem vestigium naturam declararet et forte ætatem illius viventis, non vero solveret quæstionem qua ratione quove modo sit ortum. Et rursum, si omnium viventium primum, id est maxime elementare protoplasma quoddam detegeretur (2),

---

(1) Cum generatio non sit nisi *origo viventis a vivente*, etc., valde improprii sunt hi termini, sed usu tamen recepti. Aliqui utuntur voce *abiogenesis* (ortus a non vivente) aut etiam *antigenesis* (ortus generationi oppositus).

(2) Hæckel, materialista et generationis spontaneæ propugnator pertinax, hujusmodi protoplasma anno 1868 in profunditate oceani detectum credidit, quod ab Huxley solemniter vocatum est *Bathybius Hæckelis*. Sed brevi ostensum est nullatenus in eo inveniri intermedium istud avide conquisitum, in quo materia iners sponte assurgat ad vitam, sed mere compositum quoddam inorganicum (précipité de sulfate de chaux)

rursum surgeret quæstio, si vivit, unde vitam mutuatum sit: si non vivit, demonstrandum esset qua ratione et modo vitæ origo sit, vel saltem quod reapse, absque alio germine vivo, ex eo vita producatur: quod nemo hucusque potuit.

344. Nondum tamen, dices, inde demonstratur impossibilitas hujusmodi transitus a materia inerti ad vitam. Examinemus ergo possibilitatem.

Ad hunc finem, prælucente scientia naturali et experimentali, comparabimus vivens cum non vivente: quibus præmissis, tandem inducimur, adhibita scientia philosophiæ.

Scientia experimentalis demonstrat quodcumque corporale vivens paucis constare elementis, semper iisdem, carbone, oxygene, hydrogene, azote, quibus ordinarie additur sulfur et phosphorus, quæ, sicut in rebus inorganicis, iisdem viribus instructa, iisdem legibus subjacent, et variis modis seu combinationibus, ut ajunt, coëunt.

Attamen, nonnisi in cadavere viventis physiologi et chemistæ operari possunt, ut analysi compositum in elementa dissolvant, inque iis vires physicas et chemicas, earumque leges examinent et observent; et vicissim, synthetice procedendo, ante quidem nonnulla naturæ corpora organica, ut alcool, saccharum, alia componere potuerunt, at rursum emortua, nec unquam viventia efficere potuerunt. Ipsa ergo vita hujusmodi experimentis non attingitur.

Si jam philosophice rem consideremus, profecto nihil mirum in viventibus corporalibus quibusvis, etiam perfectissimis, aliquid invenire commune cum inorganicis, cum materia prima sit elementum commune omnium corporalium: sed, quemadmodum elementa ipsa inorganica ab invicem, et composita inorganica a suis elementis solitariis differunt forma, et dispositione materiæ ratione ejusdem formæ: ita, a fortiori quidem forma vivens diversum natura facit vivens a non vivente et dispositionem materiæ diversam supponit, ita ut hæc dispositio alia sit in vivente, alia in emortuo plasmate, et hoc plasma jam non vivens solis viri-

---

vel mucositatem quamdam ex spongiis marinis. Unde et ipse Huxley postea sub bathybio in sit. Prudenter refutata fuit ista bathybii hypothesis: neque veri, ut in textu indicamus, aliquid et reperto protoplasmate, qualemcumque tandem sit, probari posset de origine vitæ.

bus physicis et chemicis subjaceat, dum vivens legibus simul specialibus vitæ regitur.

343. Quod et ulterius nunc declaramus, observando cætera inter vivens et non vivens discrimina.

Scientia biologica ostendit structuram viventis ex cellulis, imo structuram singularis cujusque cellulæ omnino specialem, ad vitam plane necessariam, maxime instabilem et in eodem individuo maxime variabilem; ita ut vix compositum ex cellulis mecanice dividi queat, et singularis certe cellula dividi nequeat, imo nec comprimi, quin vita amittatur; dum in mineralibus seu inorganicis structura quidem est, at stabilis, et parum varians in eadem specie, ita ut inorganica sint quasi in infinitum divisibilia mecanice in partes ejusdem naturæ.

Præterea, phænomen assimilationis ac nutritionis viventi, etiam imperfectissimo, propriæ valde peculiare est: dum enim corpus iners reactioni, ut ajunt, chemicæ subjicitur, de suo amittit dum mutatur, et transformatur in aliud; vivens vero plasma iisdem reactionibus incessanter subjectum, nihil de suo amittit nec in aliud transformatur; sed propriam formam ac naturam servans ex aliis sumit ad sese nutriendum et multiplicandum.

Quæ quum ita sint, nonne merito inducimus, inspecta legum naturæ constantia, corpus iners, quamdiu solis viribus physicis et reactioni chemicæ subjicitur, constanter de suo amissurum, in alia transformandum, et alia nova corpora pariter inertia producturum, numquam vero ad vitam ascensurum esse? Plasma autem vivens, quia alia illi forma inest, formis mere inorganicis superior et perfectior, viribus quidem et legibus physicis et chemicis non subtrahitur, non tamen illis solis in sua activitate regitur, sed certo sibi ut viventi proprio modo in eas reagit easque in suî commodum, in proprium finem suæ conservationis ac nutritionis, evolutionis atque multiplicationis dirigit.

344. Ex hisce jam impossibilitas spontanei transitus corporis inertis ad vitam valde probabilis apparet.

Sed validius adhuc argumentum præbet evolutio germinis cujuscumque viventis in individuum ejusdem speciei perfectum. Scilicet, quævis cellula-germen, quantumcumque rudis ac infima, per varias phases plus minusve longas, ad

perfectum individuum sese evolvit, secundum leges easdem constantes, intuitu ejusdem finis, ut nempe exurgat individuum suo parenti simile. Neque ex elementis chemicis, quibus germen componitur, neque ex viribus physicis in ipsum agentibus, ratio sufficiens reddi potest ejusmodi evolutionis, quæ omni viventi communis est, et quæ quoad modum in infinitum variabilis est, cum propriæ cujusque speciei proprius sit evolutionis modus. In singulis quidem stadiis, et actiones virium physicarum et reactiones chemicæ, sub quibus modificationes germinis successive contingunt, observari possunt; iis vero *solis* viribus explicari ne una quidem mutatio valet, et certe successio illarum evolutionum ab iis nequaquam pendet, cum constans appareat in finem determinatum, sub influxu multimode variabili, ita ut simul dum subjacet iis viribus cœcis, simul iis utatur in finem, sicut id faceret causa intelligens.

Hæc aperte demonstrant corpus iners ita differre a vivente, ut aliquid in ipso deesse dicendum sit, quo ad vitam assurgat, nituntur autem hæc omnia certis experientiæ et observationis factis. E contrario, nihil hucusque in oppositum inveniri potuit, quo possibilitas transitus spontanei ab inerte ad vivens vel a longe suspicari liceat. Concludimus ergo: ni certa, saltem probabilissima est impossibilitas generationis spontaneæ seu autogoniæ. Re quidem vera, si ex solis certo cognitis in præsenti scientiæ statu ratiocinamur, hoc certo affirmare licet: non esse hujusmodi autogoniam, eamque esse probabilissime impossibilem. Ut de possibilitate adhuc paululum dubitetur, ad secreta incognita eaque improbabilia est recurrendum.

345. Neque vero, ut dubium aliquod remanere dicatur de impossibilitate autogoniæ, appellanda est doctrina antiquorum philosophorum et Scholasticorum, qui factum generationis spontaneæ agnoverint et hujus rationem reddere conati sint: quod nempe tantorum ingeniorum consensus esse non possit de facto, si facti impossibilitas tam manifesta sit.

Etenim, dato etiam hujusmodi consensu, de quo an sit ita definitus et universalis dubitari potest (1), aliud est antiquos,

(1) Videlicet, an ex materia plane inerti plantæ aut animalia gene-

sicut quatuor elementa, aliaque erronea in rebus naturæ, ita autogoniam tamquam theoriam, de qua nemo dubitabat, accepisse, nullo experimento firmatam, imperfectis nimis et fallacibus experimentis potius deceptos (1); qua posita opinione erronea, rei rationem reddere conati sint, cæteroquin errore facti dignam, scilicet valde vagam et nullius momenti, appellantes ad influxum, minime definitum et de quo nemini constare poterat, corporum cœlestium. Quæ quidem omnia in re ipsa nihil probant de possibilitate autogoniæ, quam ex professo illi non examinarunt, et de qua, posito errore facti, ne cogitarunt quidem examinanda. Aliud vero fuisset quod,

---

rentur, sensu modernorum materialistarum, apud antiquos non constare nobis videtur. Ita v. g. Augustino videtur « occulta semina in elementis latere, » *De Trin.*, l. III, c. 8; ubi paulo infra addit: « Quamvis oculis videre nequeamus, ratione tamen conjicimus, quia nisi aliqua talis virtus esset in elementis, non plerumque nascerentur ex terra quæ ibi seminata non sunt. » Nonnulli autogoniam restringere videntur ad ortum ex cadavere tantum viventis, ut vermium, insectorum etc., aut ex plantis putrefactis, ut fungorum. Quod quidem significaret primum vivens non sponte ortum.

Quod ipsum Aristotelem attinet, quo maxime cæteri usi sunt, satis obscura est ejus hac de re opinio, nec desunt qui eum sic interpretentur, ut viventia non oriantur nisi ex vivo. Vid. v. g. Fortunium Lycetum, *De ortu animæ humanæ*, præs. l. I, c. 50; Sennertum, *Hypocuma*. 5, præs. c. 2 et 6; et *De origine et natura animarum in brutis sententiæ cl, theologorum in aliquot Germaniæ academiis, quibus simul D. Sennertus a crimine blasphemiæ et hæreseos a J. Freitagio ipsi intentato absolvitur*, præcipue Responsio fac. theol. in acad. Argentinensi, p. 107 et sqq.

Et universim quidem omnes non eo sensu, quo moderni materialistæ, generationem spontaneam accepisse antiquos. ex eo patet quod nec materiam inertem, nec vires naturæ hujus inferioris tamquam causam efficientem hujusmodi generationis asseruerunt, sed cœlum seu corpora cœlestia incorruptibilia, quæ quidem animata alii, alii ab intelligentiis mota dicebant.

(1) Exemplum hujusmodi experimenti, inter alia, jucunditatis gratia exscribimus ex Sylvestro Mauro, *quæst. philos.*, t. III, q. 36 *de generatione*, ubi probare vult quod, sicut elementa possunt moveri ad formam perfectiorem mixtorum, et plantæ ad formam animalium, sic aliqua mixta inanimata debent posse moveri a cœlo ad formam viventem.

« Confirmat, *addit*, Joannes Baptista a Porta experientia a se facta. Cum enim ex profundissimis ædium fundamentis terram eruisset, eamque exposuisset sub dio in locis editissimis, ad quæ non possent deferri semina, paucis post diebus variæ herbæ, solo Neapolitano familiares ortæ sunt; ergo »!

certis et accuratis experimentis, uti nos, edocti de facto non constare, imo ex adverso in omnibus casibus facto apparenter faventibus, iisque omnigenis et multis, constare de facti falsitate, nihilominus possibilitatem facti examinassent, eamque agnovissent. Tum quidem eorum auctoritatem invocare quà talem liceret.

346. Dices, mirum nihilominus esse tot et tanta ingenia in hisce rebus naturæ ignorantia tam crassa laborasse, nec fuisse vi saltem logices retractos ab erroribus nobis tam manifestis.

Ad hoc, quamquam digressio est, non inutilis erit responsio. Itaque notandum est philosophos et maxime Scholasticos totam ingenii sui vim præprimis convertisse in ultimas, altissimas causas, in res metaphysicas et morales, et Scholasticos quidem in ordine ad fidei doctrinam explicandam; unde factum est ut scientiis experimentalibus naturæ in se et propter se colendis parum fuerint intenti. Ex adverso, recentioris ætatis docti, toti fuerunt in secretis naturæ investigandis, et parum eminuere scientiis philosophicis ac moralibus.

Cæterum, quod vi saltem logicæ illi antiqui ab erroribus retrahi debuissent, attende, qui hoc dicis, quodsi de logica formali, de ratiocinii legibus loquamur, philosophos antiquos et Scholasticos logicæ observantissimos deprehendemus, ita quidem ut cui S. Thomas v. g. hac in re defecisse aliquo in loco visus fuerit, ille prudenter præsumere possit se forte ipsum decipi in interpretanda Thomæ sententia; dum e contrario, recentiores scientiarum naturæ cultores sæpe nimis defectu logices formalis laborant et miseris satis ratiociniis uti solent. Neque vero sola rectitudine ratiocinationis ab omni errore retrahimur, quamquam et legibus ratiocinii posthabitis errare humanum est, sed frequenter errare solent etiam optimi dialectici defectu attentionis, sufficientis inquisitionis: potest quidem homo nempe potentia physica et remota vitare omnem errorem, id est, errores singulos, si semper attendat ut nonnisi reflexe certus quodcumque judicium proferat, secus enim dicendum esset intellectum non esse natum ad verum nec criterium haberi veritatis. Similiter potest potentia physica quodcumque peccatum veniale vitari, secus non esset peccatum, quod ita vitari non posset.

Potentia vero morali et proxima, quemadmodum non potest homo omnia peccata venialia vitare, similiter nec omnes generatim errores. Sed de his satis.

347. Ergo ex errore antiquorum nulla præsumptio contra impossibilitatem generationis spontaneæ stabiliri potest, et manet thesis nostra probabilissima, moraliter saltem certa.

At, occasione prædictæ Patrum ac Doctorum Ecclesiæ opinionis, hoc potius notari meretur, scilicet cavendum esse ne illico aliquam opinionem aut hypothesim scientificam tamquam fidei adversam et doctrinæ Ecclesiæ repugnantem traducamus, quæ nobis primo saltem intuitu mira, falsa, imo periculosa videtur. Si nempe Ecclesiæ Patres et Doctores arguendi non sunt, eo quod generationem spontaneam, transitum, sub influxu corporum cœlestium et virium naturalium, materiæ inertis in corpus vivum, vegetalis in animal, communi suæ ætatis errore ab antiquis mutuato, admiserint, nec putaverint hæc fidei doctrinæ adversari: pariter catholici scientiarum naturalium cultores non illico et imprudenter sunt culpandi, eo quod, non errore manifesto sed hypothesi quadam experimentis innixa et rationibus probabilibus suffulta, nova quædam de origine et evolutione specierum v. g. astruant, sed de his infra suo loco.

Profecto, Ecclesiæ Doctores omnesque theologi antiqui, generationis spontaneæ sectatores, nihilominus Deum creatorem agnoscebant tum materiæ, tum corporum cœlestium, auctoremque virium materiæ et cœli, primumque motorem ac gubernatorem, adeoque distinctionem quoque rerum a Deo esse, quarumdam immediate, quarumdam mediate. Sed non minus eadem omnia agnoscunt hodierni assertores catholici cujusdam evolutionis aut transformismi moderati, ut videbimus.

348. Jam ad propositum nostrum redeamus, et hanc primam dissertationem de origine vitæ concludamus. Itaque *a*/ Facto et ratione, seu scientia certo constat vitam vegetalem et animalem (necnon et intellectualem in homine, de quo infra) incœpisse in hac terra.

Quod quidem assertum, ita absolute sumptum, scil. incœpisse illam vitam in hac terra, simul et fide tenendum est ex propositione Ecclesiæ et manifesta Scripturæ doctrina.

Præterea, eamdem vitam ortam esse, post creationem

universi inorganici, idque relative recenter: sepositis miraculis (merito quidem, utpote quæ a Deo sapientissimo facta poni non debent, si non necessaria aut utilia videantur) rursum scientia et ratione constat.

Qui tamen, retenta propositione absoluta ut supra, huic addito non subscriberet, doctrinæ Ecclesiæ et Scripturæ manifestæ aut authentice declaratæ non adversaretur: siquidem opinionem Scholæ Alexandrinæ cum Clemente Alexandrino et Origine, et postea S. Augustini, qui tenebant ex textu Eccl. XVIII, 1, male quidem intellecto, esse omnia creata simul i. e. eodem tempore (1), Ecclesia numquam damnavit: et explicationes varias allegoricas et idealisticas hexameri, quas proposuerunt, consequenter ad illam suam opinionem, Alexandrini et Augustinus, quasque secuti sunt aut non improbarunt plures Scholastici, atque recentiores quoque imitati sunt, Ecclesia nunquam rejecit aut notavit.

349. *b* Prædicta vita omnis in terra incœpta non incœpit generatione spontanea, quod scientia et ratione certo constat, imo probatur autogonia certo, moraliter saltem certo impossibilis.

Fides vero nihil docet de generatione spontanea, ut sic, quæ adeo non potest tamquam Scripturæ aut Ecclesiæ doctrinæ adversans traduci.

Dicimus *ut sic*, seposito nempe tali doctrinæ systemate, cui inseratur generatio spontanea, quo dogmata fidei et Ecclesiæ doctrina de origine, distinctione et gubernatione rerum a Deo non sint salva. Jam vidimus autogoniam, prout ab antiquis Ecclesiæ Doctoribus et theologis admittitur, illis veritatibus non contradicere, quam cæteroquin ad animalia eorum sensu imperfecta (2) restringebant, perfectis a Deo immediate productis.

---

(1) Textus est: « Qui vivit in æternum, creavit omnia simul (κοινῇ) ». Ubi *simul* non afficit *creavit*, sed *omnia*, i. e. omnia omnino, pariter omnia, omnia communiter sine exceptione.

(2) Non ea imperfecta dicebant, quæ plasma maxime elementare constituunt, quas moderni cellulas vocant, inter quas cellulam simplicem seu *amibe*, nec quæ vocantur *infusoires* seu *microbes*, quæ omnia ignorabant; nec quæ etiam magis apparent in limite inter utrumque regnum vegetale et animale, ut zoophyta; sed quæ suo ipsis sensu quasi contemptibiliora videbantur, ut vermes, pulices, variaque insecta, atque batracea, ut ranæ, imo et mammifera, ut mures.

Quodsi quis, hoc inconsequens existimans, ulterius autogoniam extenderit, affirmans universim vivens ortum ex materia, scilicet immediate primum ex materia inerti vegetale aut etiam animal imperfectissimum, ex quo alia perfectiora, item ex vegetali animal minus perfectum, et sic porro: hæc rursus sententia posset proponi dupliciter, vel sic ut Deus agnoscatur ut creator materiæ ejusque vivum, utque primus motor, quo gubernante, prædicta series sese evolvit, ita ut non modo Deus sit creator, sed ab ipso, mediate saltem, sit rerum distinctio: ita autem non putamus hanc sententiam doctrinæ fidei repugnare, separata tamen semper vita intellectuali et origine hominis (qua de re, suo loco); quamquam errori contra rationem et scientiam humanam, generationis nempe spontaneæ, alii errores forte addentur de origine specierum, de qua statim. Vel alio modo, et cum systemate conserta longe diversa, posset illa sententia exponi, prout reapse fit a modernis acatholicis: et sic atheismum involvit et materialismum systema impii evolutionismi universalis, quem inter alios proposuit Herbertus Spencer, et cujus aliqua quoque pars est evolutio illa modo descripta **generationis spontaneæ.**

350. Itaque *evolutionismus integralis* seu absolutus, qui a *monismo* materialistarum Germanorum solo verbo distat[1], **totum universum ad unum reducit, scilicet materialem** atomum, seu nebulosam primitivam, a qua omnia quæ sunt, ab infimo corpore usque ad vitam intellectualem cum omnibus manifestationibus suis, diversis evolutionibus continuis procedunt. Hæ evolutiones a Spencer ponuntur quinque, quarum non omnes et singulæ separatim sumptæ sunt rejiciendæ, quamquam omnes simul systema constituunt monismi seu evolutionismi integralis, ratione simul ac fide

---

1 *Monismus* quem Hæckel proposuit, proprie nomen habet a verbo *monera* (a μονήρης, solus, unus), quam scilicet dicunt esse primum elementum plasmatis viventis, nondum cellula sed elementum cellulæ simplicis seu amibe, sponte extortum ex atomis materiæ inertis; ex qua sola seu una monera primum cellula vivens seu amibe, deinde compositum ex cellulis seu synamibe, et per continuam evolutionem omnia viventia, homine non excepto, ortum dederunt, ita ut omnia demum viventia ad unum reducantur, quod ipsum sponte ex materia inerti ortum sit.

damnandum. Ex quo jam vides, ubi de evolutionismo agitur, rite prius distinguendum et considerandum esse utrum de integrali ac absoluto seu de monismo agatur, an vero de *evolutionismo restricto,* et rursum ad quodnam genus evolutionis restringatur.

Prima evolutio, apud Spenzer, est *astronomica,* quam et nos ut hypothesim maxime probabilem in explicanda cosmogonia adhibuimus. — Atvero, antequam de evolutione nebulosæ quæratur, ipsa ejus origo inquirenda est, quam nos, duce ratione ac fide, in Deo invenimus, qui eam creavit, vires ei indidit, primusque motor existit. Non ita Spencer, sed originem illam referendam ait ad *Incognoscibile,* secus recurrendum esse ad unam ex his tribus hypothesibus, quarum nulla concipi potest, tertia autem magis absurda est, nempe, vel materiam esse a se, vel seipsam producere, vel a Deo esse creatam. Unde vides re ipsa, ut diximus, hoc systema involvere atheismum, vel, quod in idem incidit, pantheismum, seu potius ab atheismo incipere; item involvere materialismum, seu potius non esse nisi formam specialem materialismi, siquidem præter materiam nihil esse in universo, ut porro et ex sequentibus patescet, nec Deum existere blasphemat.

351. Secunda evolutio est *geologica,* qua formata est cutis terræ nostræ, quæque rursum ratione et facto a scientia probatur, non repugnante fidei doctrina. — Haud mirandum est aliquem evolutionismum merito asseri, cum ideo Creator omnipotens ac summe sapiens res condidit eisque vires indidit et leges præscripsit, ut ab infimis per media sese ad summa in suo quoque genere, mira varietate ac ordine perfecto, evolvant, ita ut finem suum per causas secundas, et per infirma quasi media tantos tamque grandes effectus obtineat. Oppositum potius mirandum esset, quod Deus ipse per se immediate efficeret omnia, quasi non sit potens cum rebus a se creatis etiam virtutem suam quodammodo communicare.

Tertia evolutio est *biologica,* qua vires entium vita carentium in vitales vegetalium et animalium vires ope radiorum solis per immensam sæculorum seriem sunt transformatæ. De hac evolutione partim diximus ubi de origine vitæ; et reliqua dicemus mox agendo de origine specierum. Hoc

solum nunc jam diligenter adverti vellemus, rursum evolutionismum integralem seu monismum rite distinguendum esse ab evolutionismo restricto ad species viventes, supposita vita: quo scilicet systemate propugnatur non origo viventis ab inerti materia, sed communis origo (seu, ut ajunt, la descendance commune) specierum viventium ab aliquo stipite priore, vita donato. Quod quidem systema quoque *transformismus* vocatur, accuratius tamen systema ortus communis (de la descendance commune); sæpe etiam idem dicitur absolute evolutionismus, quod dictum, pro subjecta materia intelligas de evolutionismo restricto, determinato sensu quem modo indicavimus. Neque hoc inutile erit jam addere, hunc evolutionismum seu transformismum non esse identicum cum Darwinismo: cum C. Darwin formationem specierum explicare tentatus est per selectionem naturalem, quamquam sectatores evolutionis seu transformismi seu ortus communis, etiam ad hoc argumentum Darwin appellant, non tamen ut ad unicum et sufficiens, imo non tamquam ad præcipuum.

352. Quarta evolutio Spencer est *psychologica*, qua vires vitales in mentales sunt mutatæ, quæ et ratione demonstratur falsa et impossibilis, et dogmati catholico plane adversatur, de qua infra ubi de origine hominis. Ubi tantum hoc nunc adverte: plane materialisticum esse evolutionismum integralem, cum solam materiam, eamque infectam ac æternam aut originis incognoscibilis, admittat, et sicuti Deum, ita et spiritum ac spiritualia quæque effrons neget.

Tandem quinta apud eumdem evolutio est, ut magis absurda seriem claudat, *sociologica*, qua per radios solis vires sociales populorum eorumque variæ commotiones e viribus mentalibus ortæ sunt. De hac evolutione nihil dicendum habemus, cæterum nonnisi corollarium est præcedentis, ita ut forte de ea verbulum haberi possit, ubi de origine hominis agemus: si enim vires intellectuales viribus materiæ sunt æquiparandæ et iisdem legibus reguntur, nihil mirum et radios solis in vires mentales æque ac in vires sociales influere suam efficaciam atque omnia etiam in mundo intellectuali ac morali et religioso legi fatali subjici (1). Ita

(1) Deplorandum aliquis forte arbitrabitur hujusmodi pudendos ac

evolutionismus materialisticus ab atheismo incipit et in fatalismo desinit.

Alius monismus non est, præter eum, isque verus, qui Deum ut solum omnium principium atque ultimum finem agnoscit, omnipotentem et summe sapientem, qui pro natura diversa rerum vel sola prima sua motione alias secundis mediantibus causis evolvi jussit et fecit, vel alias nobiliores etiam immediate, ubi id necesse erat, immediatione videlicet suppositi, non tantum virtutis, produxit et movit; aut porro etiam nunc creat et movet, puta, animos rationales, ut supra scholastice explicavimus præs. nn. 269-282.

353. Jam ad finem hujus pensi nostri properemus, et concludamus: *c)* vita processit immediate a summo vitæ auctore, Deo, nec aliter produci potuit. Et vita quidem intellectualis, ut videbimus, necessario per creationem; vita vero vegetalis et animalis, de cujus origine hic quærebatur, seu vegetalia et bruta animalia aliter quam per creationem primum a Deo produci potuerunt; unde, etiamsi dicas proprie creata, non sunt creata per se sed per accidens. Magis autem consentaneum videtur ordini universi, prout experientia et scientia constat universum sese evolvere, magisque imo videtur commendare divinam omnipotentiam et sapientiam, ut dicamus Deum non creasse vegetalia et animalia, sed e potentia materiæ per causas secundas, tempore

---

absurdos errores serio confutari debere; at, si modum quo proponuntur attendas, hujusmodi confutationem haud inutilem habebis, audi enim quam facile lectorem ad scepticismum quemdam materialisticum hi auctores impii deducant: « Les pensées et les volitions sont le résultat d'une force physique qui se dépense en les produisant.... Si l'on trouvait quelque difficulté à admettre que la pensée est produite par les rayons du soleil, on la surmonterait en considérant les actes de l'esprit comme des fonctions nerveuses ». Ita Spencer, *Premiers principes*, p. 196, p. 379. Et rursum: « Non seulement la force dépensée par le cheval attelé... sort du même réservoir que la force de la cataracte qui se précipite ou de l'ouragan qui mugit, mais on peut en définitive faire remonter jusqu'au même réservoir (le soleil) la manifestation des forces plus délicates et plus complexes (arts, sciences, lettres) que l'humanité déploie dans le corps social... Quand on dit que les hommes sont *poussés* dans certaines directions par certains désirs, on ne se sert pas d'un langage figuré, mais on exprime un effet physique ». p. 221 *ibid.*

opportuno, dispositæ et a se quidem ultimo dispositæ eduxisse formam vegetativam vel et sensitivam, vel etiam plures ejusmodi formas, ita ut constituerit plantas et animalia; quæ sub influxu causarum naturalium statim reposuit, ut breviter supra explicavimus n. 272, ita ut, quod eorum activitatem attinet, sufficiat prima motio initialis Dei energiam materialem in actum reducens, quin nova deinceps actio Dei immediata, nisi immediatione virtutis, requiratur, ut supra dictum n. 273.

Diximus autem: formam vegetativam vel et sensitivam, vel etiam plures ejusmodi formas e potentia materiæ a Deo eductas, quia noluimus præoccupare quæstionem, quam nunc adoriri oportet, de origine specierum, scilicet: posita vita, an et quæ sit aut possibilis sit vitæ vegetativæ et sensitivæ, variorumque graduum ejusdem vitæ in varias species evolutio.

(Continuabitur).

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Decembris

—

I

Explica psalmum LXXXVII (Vulg. LXXXVI) *Fundamenta ejus in montibus sanctis.*

II

Solvatur sequens difficultas: Omnis operatio Dei est æterna: atqui creatio est operatio Dei: ergo creatio est æterna: ergo mundus creatus est ab æterno.

III

Quid in jure nostro est donatio inter vivos? Breviter explica responsum.

IV

Da notionem substitutionis proprie dictæ in materia donationis vel testamenti.

V

Quænam est legum civilium substitutionem prohibentium vis in conscientia: pro hærede, b) pro gravato, c) pro vocato seu substituto?

VI

Quænam paramenta altaris, calicis, celebrantis et ministrorum pro celebratione missæ benedicenda sunt? A quo et quanam formula benedici debent?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Augusti-Septembris propositas.

—

I

Q. Ex verbis Jeremiæ VII, 21, 22: *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël: Holocautomata vestra addite victimis vestris et comedite carnes; quia non sum locutus cum patribus vestris et non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocautomatum et victimarum:* deducenda videtur legum circa sacrificia origo recentior et humana. Solve hanc difficultatem.

R. His Jeremiæ verbis Deus exhibetur primo cum contemptu et non sine ironia loquens de sacrificiis quæ Israelitæ offerre solebant: *holocautomata vestra* etc.; deinde hujus contemptus rationem reddens negando se olim Moysi dedisse legem circa sacrificia offerenda: *non sum locutus* etc.

Jam antiquis visus est noster textus seriam præbere difficultatem et nostris temporibus a rationalistis objicitur tamquam validissimum argumentum contra originem antiquam legum ritualium. A catholicis autem difficultas proposita non uno modo solvitur.

Knabenbauer (1) quem sequitur Corluy (2), respondet Deum initio pacti Sinaitici tulisse mera præcepta moralia, Ex. XIX sqq., et postea, quasi aliquid secundarium, promulgasse legem de cultu externo exhibendo, Ex. XXVII sqq. Quomodo tamen intervallum aliquot dierum sufficere posset ut vere Deus dicatur nihil præcepisse circa sacrificia *in die qua* (i. e. quando) eduxit

(1) *Commentarius in Jeremiam*, Parisiis, 1889.
(2) *Het Oud Testament*, T. V, Brugis, 1896.

eos ex Ægypto? — Cornely (1) interpretatur : *non præcipi eis propter* (hebraice: *al dibre*) *holocausta,* np. ac si eis indigerem. Sed nemo non videt quam dura evadat constructio tum si spectetur solus hic versiculus 22, in quo ita reticetur determinatio objecti, tum si consideretur necessarius parallelismus cum vers. sequenti: *sed hoc verbum præcepi eis dicens*. — Tandem quod multi antiqui v. gr. S. Hier., S. Thom., et postea Estius proferunt, præcepta ritualia data esse, non quasi sacrificia grata essent Deo, sed ne Judaei ad idola declinarent, tum in se falsum videtur, tum inepta est explicatio: verborum enim Jeremiæ de quibus agitur rationem non reddunt.

His ergo rejectis saltem ut incompletis, sufficiens et plena solutio haurienda est ex notissima regula: comparationem Hebræi sæpe exprimunt negando unum terminum, alterum affirmando.

Veram esse hanc regulam et proinde sensum nostri textus *posse* intelligi tamquam comparativum nemo negabit: abundant exempla, v. gr. Ps. XXI, 7: *Ego sum vermis et non homo*; hic mos loquendi alibi occurrit apud Jeremiam, v. gr. XXXI, 34; imo non desunt exempla in quibus modo exposito instituitur comparatio inter oblationem sacrificiorum et mandatorum adimpletionem, v. gr. Ps. XXXI, 7: *Sacrificium et oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi*. Cf. Collat. Brug. VII (1902), p. 114, sq.

Eamdem autem regulam hic applicari et sensum nostri textus *debere* intelligi tamquam comparationem sequitur ex sequentibus considerationibus:

1° Apud Jeremiam aliosque prophetas coætaneos vel anteriores lex ritualis dicitur antiqua et divina, sacrificia exhibentur ut Deo grata, quod demonstratur

a/ indirecte: Jeremias ejusque auditores persuasum

---

(1) *Introductio specialis in historicos Veteris Testamenti libros*, Parisiis, 1887, p. 148.

habent jam inde a constitutione nationis Israeliticæ unicum esse sanctuarium a Deo electum (1). Jamvero exercitium cultus publici et imprimis oblatio sacrificiorum sunt necessario connexa cum sanctuario.

b/ directe: Amos V, 25, juxta probabiliorem interpretationem interrogatio intelligenda est cum sensu affirmativo, affirmatur ergo jam in deserto oblata esse sacrificia (2). Is. XIX, 21, conversio Ægypti ad Deum Israel describitur per oblationem hostiarum et munerum ipsi factam, quæ proin supponitur ipsi grata. Apud ipsum Jeremiam XVII, 24-26, oblatio victimarum describitur tamquam merces quam Deus tribuet fideli populo, tamquam elementum felicitatis et triumphi.

2°/ Apud eosdem prophetas aliis locis clare exprimitur doctrina quam in nostro textu censemus expressam per Jeremiam, observationem np. legis moralis excellentiorem esse sacrificiorum oblatione, sacrificia autem Deo non placere si offerantur cum pravis dispositionibus.

Amos v, 12, exprimitur motivum ordinis moralis cur vv. 21 sqq. Deus respuat festivitates et holocausta. Pariter Is. I, 15 *manus vestræ sanguine plenæ sunt* exprimit motivum cur vv. 11-15 sacrificia oblata rejiciantur. Osee VI, 6 *misericordiam volo et non sacrificium, et scientiam Dei plus quam holocausta*, ubi comparatio explicita in secundo membro probat sensum esse implicite comparationem in membro parallelo. Apud ipsum Jeremiam VI, 19, 10, Deus dicit: *holocau-*

---

(1) Van Hoonacker, *Le lieu du culte*, Gand, 1894, p. 61 : « Pour le prophète et pour la foule à laquelle il s'adresse, il n'y a en dehors de Jerusalem qu'un seul lieu où Jéhova ait jamais établi la demeure de son nom, c'est Silo. Si les Juifs de ce temps n'avaient pas été généralement convaincus... du droit exclusif du temple, le prophète n'aurait pas eu la moindre peine à confondre l'aveugle confiance qu'ils plaçaient dans cette maison; il n'aurait pas eu besoin de remonter jusqu'à Silo. Il leur aurait rappelé le sort subi par les sanctuaires fameux du royaume du Nord, Dan et Béthel ».

(2) Van Hoonacker, o. c. p. 77, n. 5.

tomata vestra non sunt accepta et victimæ vestræ non placuerunt mihi, sed ratio est, *quia verba mea non audierunt et legem meam projecerunt.*

A. D. B.

II

Q. *Quæritur utrum et qua formali ratione Deus amet creaturas suas.*

R. I. *Deus amat omnes creaturas, nempe omnia existentia.*

Demonstratur. Amare nihil aliud est quam velle bonum alicui; atqui Deus cuilibet creaturæ existenti vult bonum; ergo Deus amat omnes creaturas, nempe omnia existentia.

Major est ipsa definitio actus amandi.

Declaratur *minor:* omnis creatura existens (in qualibet temporis differentia) in quantum est, bona est: sed omnis rei existentis causa est Dei voluntas: ergo in tantum aliquid est, in quantum est a Deo volitum, consequenter in tantum aliquid est, in quantum Deus ipsi bonum vult: ergo omni existenti vult Deus bonum, nempe totum hoc bonum secundum quod est (1).

Nota. 1. Dicimus Deum amare creaturas *existentes:* nam mere *possibilia* Deus *actu* non amat. Etenim « Possibilia entia sunt non actu, sed in potentia: ergo sunt bona in potentia, non actu. Quare actu non amantur a divina voluntate. Quod enim actu amatur a divina voluntate aliquid recipit ab illa, et proinde aliquid est. Dei enim amare est bene facere. *Amari* igitur *possunt* possibilia, a divina voluntate, hoc ipso quod produci possunt; sed *non amantur* » (2).

2. Sicut omnia *analogice* dicuntur de creaturis et de Creatore, ita etiam amor.

---

(1) Cf. S. Thomas, I, Q. XX, a. 2; Billot, *De Deo Uno et Trino*, Romæ, 1897, p. 251.

(2) Remer, *Summa Prælectionum Philosophiæ scholasticæ*, Prati, 1895, T. II, p. 409.

Videamus quomodo *aliter* amet *creatura* et *aliter Deus*.

Creatura amat quatenus *movetur* ab ipsa *bonitate* rei *apprehensa* (1). Etenim bonum qua tale cognitum, seu appetibile « dat appetitui, primo quidem, quamdam coaptationem ad ipsum, quæ est complacentia appetibilis, ex qua sequitur motus ad appetibile... Appetibile enim movet appetitum.... ; et appetitus tendit in appetibile realiter consequendum, ut sit ibi finis motus, ubi fuit principium. Prima ergo immutatio appetitus ab appetibili vocatur amor, qui nihil est aliud quam complacentia appetibilis, et ex hac complacentia sequitur motus in appetibile, qui est desiderium; et ultimo quies quæ est gaudium. Sic ergo, cum amor consistat in quadam immutatione appetitus ab appetibili, manifestum est quod amor est passio: proprie quidem, secundum quod est in concupiscibili; communiter autem et extenso nomine, secundum quod est in voluntate » (2).

Si specialiter consideramus *voluntatem* creaturæ, dicemus : *amor* in voluntate nihil aliud est quam complacentia voluntatis in aliqua bonitate intellectu apprehensa (3): hic est primus voluntatis actus, qui necessario præsupponitur tamquam fundamentum omnibus aliis voluntatis actibus (4) et est eorum mensura : nihil v. gr. potest desiderari nisi ametur, nec potest magis desiderari quam amatur.

Ut ex supra dictis constat, voluntas creaturæ amando revera *movetur*, *attrahitur bonitate objecti* et bonitas est

---

(1) Loquimur de appetitu *elicito*: cf. S. Thomas, I-II, Q. XXVI, a, 1; De Jaegher, *Institutiones Philosophicæ*, Rollarii, 1900, n. 288.

(2) S. Thomas, l. c. a. 2; cf. *Collat. Brug*. T. V, p. 157.

(3) Complacentia voluntatis in bono est *volitio boni*, et quum hæc tendentia in bonum ulterius terminetur ad aliquod subjectum *cui* bonum appetitur, ideo amare bene definitur *velle bonum alicui*.

(4) Sicut in appetitu sensitivo ad amorem consequuntur decem aliæ passiones, ita in voluntate ad amorem consequuntur decem alii actus: cf. S. Thomas, I-II, Q. XXIII, a. 4; De Jaegher, op. c. n. 334 et n. 445.

proprie *causa finalis* amoris et, secundum hoc, *amor* est vere *effectus* bonitatis rei apprehensæ.

Deus verò non movetur, non attrahitur bonitate creaturarum, nec ejus amor est effectus bonitatis creaturarum; sed e contrario, in tantum Deus amat creaturas in quantum *efficit* ipsarum *bonitatem*, seu in quantum est *causa bonitatis* ipsarum. Quod Deus non possit *moveri* bonitate creaturarum persuasum habebit quicumque intelligit Deum, tum in essendo, tum in operando, esse prorsus independentem a creatura qualibet; ratio autem intrinseca et proxima cur Deus non possit moveri a bonitate creaturarum est quia amoris Dei *sola ratio formalis* est *divina bonitas*, ut infra exponetur. Deus autem amando suam bonitatem libere vult ut ipsa communicetur, proinde vult ut alia sint et bona sint: quum autem propria ratio amoris sit *velle bonum alicui*, quum Deus proprie velit bonum creaturis, ideo Deus proprie amat creaturas, licet aliter amat ac creaturæ amant.

II. Ratio formalis sub qua Deus amat creaturas est *sola divina bonitas*.

Demonstratur. Quum in Deo sit *voluntas*, quum in Eo sit necessario *voluntas in actu*, quum fundamentalis et primarius actus cujuslibet voluntatis sit *amor*, sequitur Deum necessario amare aliquid et consequenter dari aliquod objectum quod determinat in Deo actum amandi et quod Deus primo et per se amat. Atqui hoc objectum est vel ipse Deus vel creatura; non est autem creatura: quia repugnat creaturam esse Deo causam et principium volendi; ergo hoc objectum est Deus ipse.

Porro si ipse Deus est illud quod Deus primo et per se actu amat, oportet ut ipsa divina bonitas sit ratio formalis determinans in Deo *actum amandi*, oportet consequenter ut sub hac formali ratione amet Deus quæcumque amat (1).

---

(1) Cf. Billuart, *De Deo*, dissert. VII, a. 2; Palmieri, *De Deo creante et elevante*, Romæ, 1886, p. 106; Billot, op. c. p. 227.

Hujus conclusionis ulterior explicatio. 1. Deus « sicut alia a se intelligit intelligendo essentiam suam, ita alia a se vult, volendo bonitatem suam (1). Deus intelligendo essentiam suam, *in hac essentia cognita* cognoscit alia: ita Deus volendo bonitatem suam *in hac bonitate volita* vult alia (2): inde, licet Deus amet bonitatem creaturæ, tamen non amat creaturas formaliter *propter bonitatem quæ ipsis inest*, sed propter bonitatem divinam ad quam *ordinem dicunt:* nempe amat creaturas *quia* et *quatenus* in ipsis *divina bonitas* participatur (3).

2. Id quod amatur ratione bonitatis quæ *ipsi inest*, seu ratione sui, amatur ut *finis*; id vero quod amatur, non ratione bonitatis quæ ipsi inest, sed *tantum* ratione *ordinis* quem habet *ad* aliquam bonitatem propter se amatam, amatur ut *medium*.

Quum autem Deus suam bonitatem amet ratione sui seu propter seipsam, creaturas vero tantum propter ordinem quem habent ad divinam bonitatem, ideo Deus suam bonitatem amat ut *finem*, creaturas vero ut *media*.

Attamen notemus: « Licet tum Deus tum creatura rationalis velint quædam bona, ut media ad finem, nempe ut ordinata ad aliud, nihilominus voluntas creata diversimode fertur ad hæc objecta secundaria, quam divina voluntas. Siquidem voluntas creata eligit media, ut per ea pervenire possit ad beatitudinem, quam minime possidet, sed possidere desiderat; sicut qui eligit medicinam amaram ad sanitatem consequendam; ideoque hujusmodi media induunt rationem boni utilis. Contrà Deus non eligit hæc volita secundaria,

---

(1) S. Thomas, I, Q. XIX, a. 2, ad. 2.

(2) Attamen Deus cognoscendo essentiam *necessario* cognoscit alia a se et volendo essentiam non nisi *libere* vult alia a se: cf. S. Thomas, *S. Cont. Gent.* L. I, c. 81; Billot, op. c. p. 228.

(3) « Ratio autem cur Deus ita amet creaturas suas est quia sunt expressiones suæ bonitatis. Quemadmodum videlicet amat bonitatem suam, ita etiam amat ejus expressiones seu ectypos ». Jungmann, *De Deo Creatore*, n. 64.

ut per ipsa consequatur finem seu beatitudinem, cum beatitudo Dei sit ipsa ejus bonitas, quam amat et in qua delectatur; sed ea vult *ut ipsis bonitatem largiatur* et sic divitias bonitatis suæ exterius manifestet. Creatura ergo iis, quæ sunt media ad finem, utitur ad utilitatem suam; sed Deus utitur nobis ad bonitatem suam et utilitatem nostram » (1).

J. V. D. M.

III

Q. *Caius, honestæ familiæ filius annos natus 16, bona ab avunculo suo hæreditate acquisivit, quorum annuos reditus (1200 fr.) pater ejus percepit. Caius autem cùm studiis vacare intenderet neque hunc in finem patris consensum obtinere posset, domum paternam reliquit et ære alieno sibi subvenit. Majorennis factus domum redit; at, ex timore reverentiali reditus a patre non petit. Post duos amos moritur pater atque in ejus bona plures filii hæreditate succedunt. — Quæritur:*

I. *Quænam sint jura filiorumfamilias in bona quæ hæreditate aut donatione acquirunt;*

II. *Utrum et quid in casu proposito alii filii Caio restituere debeant.*

R. ad I^m^. *Prænota.* Præsens quæstio intendit jura definire quæ, inspecto codice nostro civili, in bona competunt filiis sub parentum potestate constitutis. Hujusmodi filiifamilias intelliguntur liberi utriusque sexus, ex legitimo matrimonio nati aut per subsequens matrimonium legitimati (2), *minorennes, non emancipati.*

(1) De Maria, *Philosophia Peripatetico-Scholastica*, Romæ, 1893, T. III, p. 256.

(2) Si agatur de filiis naturalibus agnitis, pater et mater fere eadem jura ex lege civili in eos habent ac in legitimos, sed non habent bonorum quæ filii possident usumfructum de quo in Resp. Verùm talis potestas paterna non habetur in prolem adulterinam et incestuosam Cfr. Aubry et Rau, *Cours de droit civil français*, Paris, 1869-1878, 6. VI § 571 ss. — « Nullum dubium quin matrimonium hic intelligendum sit de vero matrimonio et non de matrimonio sic dicto civili, ut fruitio ususfructus

Minorennes sunt usque ad a. 21 completum (art. *c. civ.* 388 et 488). *Emancipatio* ipso jure habetur per matrimonium (art. 476); potest etiam concedi a patre, aut, deficiente patre, a matre, inde ab anno 15 completo (art. 477), vel defuncto utroque parente, a concilio familiæ, sed tantum post a. 18 completum (art. 478).

Jamvero, quoad omnia bona quæ hæreditate aut donatione (1) acquirunt:

1° *Ante annum 18m completum* filii familias non emancipati solum habent dominium directum; dominium utile seu ususfructus competit patri, stante matrimonio (2), eo autem dissoluto, conjugi superstiti (art. 384), sub oneribus art. 385 indicatis (3). — Nihilominus, quædam bona excipiuntur ità ut eorum ususfructus filiis competat, sc. a/ ea quæ ipsis donatione aut hæreditate obtingunt sub expressa conditione (scripta) ut nec pater nec mater iis fruantur (art. 387); b/ ea quæ proveniunt e successione qua indigni declarati sunt pater vel mater (art. 730).

Præterea supradicto jure fruitionis privatur a/ parens contra quem lata est sententia divortii (4) (art. 386 al. 1); b/ mater convolans ad secundas nuptias (art. 386 al. 2) (5); c/ conjux qui neglexerit facere inventarium bonorum communitatis (art. 1442 al. 2) (6).

---

in conscientia concedi possit et debeat ». Ill. ac Revs Waffelaert, *Tract. de Just.* Brugis, 1885, n. 115; — Id. *Etude sur l'oblig. en consc. des lois civ.* Tournai, 1884, p. 82, 94-95.

(1) Quoad bona quæ ipsis ex sua industria obveniunt, cfr. 2 qq. seq.

(2) Ususfructus ille est quasi compensatio quædam pro labore administrationis, et ideo dicitur etiam *paternus*; matri non competit si pater renuntiet, sed tunc tantùm quando mater vices agit patris impediti. Cfr. Ills ac Revs Waffelaert, *Tract. de Just.* Brugis, 1885, T. I, n. 114.

(3) Ubi præsertim nota 2° « la nourriture, l'entretien et l'éducation des enfants, selon leur fortune ».

(4) In hoc casu, non ratione divortii civilis quod nihil valet contra verum matrimonium, sed tantum ratione indignitatis quæ sæpe aderit conjux usufructu poterit juste privari. Cfr. Ills ac Revs Waffelaert, *o. c.* T. I n. 115, 2°.

(5) Cfr. Ills ac Revs Waffelaert, *l. c.* quoad obligationem in conscientia hujus statuti.

(6) *Ibid.* p. 89.

2° Post *annum annis* 18um *completum* filii non emancipati habent dominium plenum suorum bonorum, directum sc. et utile. Attamen, usque ad majoritatem (nisi emancipati fuerint) non habent eorum *administrationem* quæ competit patri, durante matrimonio et, illo dissoluto, superstiti patri aut matri (art. 389 et 390) (2).

R. ad II. Juxta principia sub I exposita, Caius, ab anno ætatis 16um usque ad 18um completum, habebat solum dominium directum bonorum quæ ab avunculo hæreditate acquisivit; dominium utile seu ususfructus competebat patri, at sub oneribus art. 385 indicatis, in specie sub onere debitæ educationis. Ab anno 18um usque ad 21um completum patri competebat sola administratio dum Caius erat in dicta bona dominium perfectum. Inde ab anno 21um ipsa insuper administratio de jure ad Caium pertinebat.

Imprimis jus ad compensationem habet Caius quoad reditus quos pater usque ad ejus majoritatem, sc. ab anno 16um completo usque ad annum 21um completum percepit. Titulo usufructuarii enim pater per duos priores annos tenebatur, juxta art. 385 juri naturæ plane congruentem, filio tribuere (alimenta, sustentationem et educationem statui fortunæ filii conformem). Egressus autem Caii e domo paterna, cum irrationabiliter pater Caio studiis incumbere cupienti restiterit, ipsi patri est imputandus. Unde ex justitia pater tenebatur Caio debita propter studia contracta restituere, non tamen ultra ipsum reditum annuum (3).

---

1. Si filiusfamilias emancipatus habet quidem ipsam administrationem, variis tamen modis restrictam (art. 481-487).

2. Quæstio proprie adimmendi de bonis quæ filiusfamilias *donatione* aut *hæreditate* acquirit. Ad bona militis minus ab ipsis parentibus donata pertinent. Ibi habent dominium plenum vel usumfructum juxta expressam vel præsumptam voluntatem parentum.

3. Sed non ex *justitia*, quamquam titulo *pietatis* ad majores sumptos eleemosynas causa fidelibus tenere poterat. Cfr. Ill^{mus} ac Rev^{mus} Wanelaert. *o. c.* n. 120.

Solutio proposita à fortiori valet pro tribus annis sequentibus : siquidem Caius ab anno 18° completo, jus ad dominium utile seu usumfructum habebat. Juxta art. 389 al. 2 : » Il (le père) est comptable, quant à la propriété et aux *revenus* des biens dont il n'a pas la jouissance ». Cùm autem nullas per hos annos expensas pro Caio fecerit pater, annuum reditum integre absque justo titulo percepit, eo vel magis quod patri imputandum appareat filium ære alieno sese gravasse.

Idem denique resolvendum est quoad reditum duorum annorum sequentium. Ex adjunctis enim satis apparet silentium filii reditus non vindicantis minime consensui æquivalere. Nec quidquam in casu prodesse posset ignorantia juris quæ forsan apud patrem aderat : etenim « juris ignorantia non prodest acquirere volentibus ». Quoad quantitatem restitutionis faciendæ, videndum utrum Caius per duos illos annos pro patre laboraverit necne. Si nullam operam præstitit, deduci possunt (1) expensæ pro filio factæ (2). Si vero laborem, etiamsi talem pro quo non habet jus ad stipendium, in patris utilitatem subierit, ex integro vel ex parte annuus reditus 1200 fr. est reddendus, prout laboris pretium exæquat vel non valorem impensarum (3).

Cùm autem bona hæreditatis non intelliguntur nisi subtractis debitis, alii filii, titulo acceptæ hæreditatis, reditum 1200 fr. trium annorum ex integro, et pro quinque reliquis annis ex integro vel ex parte — juxta adjuncta — Caio restituere tenentur (4).

A. C.

---

(1) Nisi tamen reliqui filii æque pro patre non laboraverint.

(2) Pater enim filio bona habenti non tenetur ex propriis providere juxta art. 209 coll. 203 et 208.

(3) Cfr. Ills ac Revs Waffelaert, *o. c.* n. 121 — Carrière, *De Just. et Jure*, Parisiis 1839 T. I n. 239.

(4) Cùm pater probabilius fuerit bonæ fidei, filii Caio interesse (les intérêts) redituum restituendorum, ex positivo favore legis civilis art. *c. c.* 549, 550) solvere non tenentur. Hoc enim statutum probabiliter pro conscientia valet. Cfr. Ills ac Revs Waffelaert, *o. c.*, T. I, n. 59 et 60; T. II, n. 233-236; — *Collat. Brug.*, T. II, p. 516 s.

IV

Q. *Titius operarius adolescens 17 annorum in fabrica laborans singula quindena aliquam stipendii partem, invitis parentibus, occulte sibi retinet. Dijudica rationem agendi Titii.*

R. *Titius, occulte sibi retinendo partem stipendii, peccat contra obedientiam patri bonorum administratori debitam. Peccat etiam contra pietatem si parentes pecunia occulte retenta indigent ut se inoque liberos pro conditione familiae alere possint. Peccaret denuum contra justitiam commutativam casu quo pactum de integra mercede in pretium alimentorum tradenda cum parentibus inierit.*

Explicatio. 1 Labor a Titio in fabrica præstitus est sane labor proprius. Jamvero juxta statutum cod. civ. (art. 387) juri naturæ haud oppositum (1), ususfructus paternus non extenditur ad bona quæ filiifamilias ex labore vel industria separata sibi acquirunt. Hujusmodi bona pleno jure ad filios pertinent (2). Neque ideo requiritur ut filius non habitet cum parentibus: sufficit ut labor et industria exerceantur circa objecta non connexa cum labore et industria patris, seu ut sint filio personalia (3). Verum ex art. 389 et 390 pater et, ipso deficiente, mater jus habent *administrandi* omnia bona filiorum minorennium saltem non emancipatorum. Unde potest pater his præcipere ut mercedem industria separata acquisitam integram sibi tradant. Quodsi, contra patris præceptum, ut in casu proposito contingere videtur, partem mercedis sibi occulte retineat filius, licet ex hoc solo capite non violet justitiam commutativam, *peccat tamen contra obedientiam patri bonorum administratori debitam.* — Neque generatim, ubi deficit expli-

1) Quibusdam AA. videtur *ex solo jure naturali* jus inesse parentibus, ut liceat filium minorennem *omni* atque mercedem totam sibi tradendam postulent, quando ipsum filium sustentant atque instituunt. Quidquid hac de re sentiendum sit, certum est haud constare præsentem dispositionem art. 387 — arcessitis art. 389 et 390 — juri naturæ contradicere. In controversia igitur hujusmodi legi standum est.

2) Cfr. Ubaldi Revi Wafelaert. *Tract. de Just.* Brugis 1885. T. I, n. 117.

3) Cfr. Carrière. *De Just. et Jure.* Parisius 1889, T. I, n. 230.

citum præceptum patris, hujus consensus ad stipendii partem retinendam præsumi potest: plebeii enim homines, nisi insolita quadam rerum copia fruantur, omnino volunt liberos suos quidquid lucrantur, in ferendas communes familiæ expensas conferre (1).

2/ Præterea peccat Titius *contra pietatem* parentibus, fratribus ac sororibus debitam, si parentes parte stipendii occulte retenta indigent ut se suosque liberos convenienter alere valeant. Quæ pietatis violatio, ex genere suo gravis, eo gravior est quo major stipendii pars subtrahitur et quo gravior est familiæ necessitas. Præterea, ut statim infrà dicemus, ex eadem pietate filii in domo paterna degentes et ex personali industria pecuniam lucrantes, eam salarii partem parentibus concedere debent quæ sustentationis suæ expensas compenset, etiamsi parentes hac recompensatione non omnino indigeant.

3/ Demùm potest Caius peccare *contra justitiam commutativam,* sc. in casu quo pactum de *integra* mercede in alimentorum pretium tradenda cum parentibus inierit. Parentes enim non tenentur gratuito alere filium bona propria habentem: possunt cum ipso inire *contractum* vi cujus filii sustentationem pro partiali vel integra mercede laboris in se suscipiant (2). Quodsi partem salarii ex tali pacto parentibus debiti defraudet filius, stricte dictam injuriam, ex genere suo gravem (3), committit ac restituendi obligatione tenetur (4).

---

(1) Ut notat Genicot, *Casus Conse.* Lovanii 1901, Vol. I, p. 259.

(2) « Per se, nisi graviora timeantur incommoda, non sunt consulendæ conventiones inter parentes et filios cohabitantes, præsertim minorennes, ne filii fiant quasi commensales et inquilini; vel, quod pejus est, ne ipsi parentes fiant inquilini apud filios ». Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *o. c.*, n. 122. — Generatim insistendum est ut *ex pietate filiali* filii, minorennes præsertim, integram mercedem parentibus referant.

(3) Materia gravis injuriæ juxta principia generalia determinatur, attento parentes non ità facile quam erga extraneos esse graviter invitos adeoque majorem quantitatem requiri, attento præterea hæc furta domestica difficilius coalescere.

(4) A qua tamen restitutione facienda haud raro excusare poterit parentum condonatio *prudenter* præsumpta.

Absente verò pacto explicito, filios in domo paterna degentes nihilominus *ex tacito contractu* expensas sustentationis integre et ex stricto justitiæ debito resarcire debere, auctores quidam asserere videntur (1) et injustitiæ eos arguunt qui, parte mercedis sibi retenta, alimoniam a parentibus præstitam haud integre recompensant. Cui sententiæ calculum adjicere non possumus.

Tacitus enim contractus non exsurgit ex solo *facto* quod filius, bona propria possidens, in domo paterna degat et alatur. Oritur quidem pro filio obligatio *pietatis* expensas sustentationis suæ resarciendi, potestque pater filium adigere ut in alimentorum pretium mercedem integram vel ejus partem cedat. Verùm, ubi non constat patrem ex justitiæ potius quam ex obedientiæ ac pietatis obligatione dictam compensationem postulare, filium partem mercedis occulte et invito patre retinentem, contra obedientiam ac pietatem forsan, non autem contra justitiam peccare arbitramur (2). Requiritur autem ut voluntas patris filii stipendia titulo *justitiæ* exigentis, uno aliove modo manifestetur filio et ab hoc **explicite vel implicite acceptetur.**

A. C.

V

Q. *Accurate determina, et additis rationibus vindica jura filiorum-familias in fructus operæ vel industriæ præstitæ sive in domo paterna ex rebus et circa res patris, sive extra domum paternam nomine patris.*

R. *Seclusis paterno consensu vel justa conventione patrem inter et filium circa prædicta bona, filius non habet jus ad lucri partem, quasi esset socius, sed tantum in casu*

---

(1) Ità **Genicot**, *o. c.*, p. 258 s. — **Lehmkuhl**, *Theol. Mor.*, Vol. I, n. 890 — Ballerini-Palmieri, *Opus theol. mor.*, Prati 1890, Vol. III, p. 48.

(2) Cfr. Marres, *De Justitia*, Ruræmundæ 1889, p. 54. — Theol. Mechl., *Tract. de Jure et Just.* 1896, p. 26.

laboris notabilis ultra debitum obedientiæ et pietatis impensi, jus ad æquum stipendium post majoritatem formaliter vel æquivalenter solvendum (1).

Responsum explicatur et probatur per partes.

Prænota. Distinctio in 2 qq. præc. posita bonorum in ea quæ filius-familias titulo gratuito donationis, successionis hæreditariæ etc. potitur (q. III), et bona quæ industria omnino separata ac personali sive in domo paterna, sive extra domum paternam sibi acquirit (q. IV) non est adæquata. Manent scil. bona *mixtæ quasi industriæ:* sunt nempe fructus operæ præstitæ sive in domo paterna ex rebus et circa res patris, sive apud extraneos nomine patris. Circa quæstionem: quænam jura filiis-familias in hujusmodi bona competant, magna et confusa inter theologos olim controversia vigebat (2).

Qua de re nihil expresse statuunt leges nostræ civiles; unde ex principiis generalibus potius et ex æquitate naturali quæstio solvenda apparet.

Dicitur 1/. *Seclusis paterno consensu vel justa conventione.* Etenim si patris consensus in lucri partem, vel pactum v. g. societatis patrem inter et filium intercesserit, his standum est, uti patet, modo res juste ordinata fuerit et sine læsione tertii, puta reliquorum filiorum. Conventioni, quæ regulariter non est consulenda, apte locus esse potest ubi cæteri liberi sua quique negotia gerunt, unus autem alterve simul cum parentibus communem rei familiari operam navat (3).

Dicitur 2° *filius non habet jus ad lucri partem quasi*

---

(1) Cfr. Ills ac Revs Waffelaert, *Tract. de Just.*, Brugis 1885, T. I, n. 119.

(2) Cfr. Carrière Tract. *De Just. et Jure*, Parisiis 1839, T. I, p. 371. — Marres, *De Justitia*, Ruremundæ 1889, p. 36 et s.

(3) Cfr. Marres, *l. c.* — Ills ac Revs Waffelaert, qui *l. c.* addit: « Simili tamen conventioni fratribus in hæreditatis partitione credendum non est nisi authentico documento constet, ex art. 854 cod. civ., qui in conscientia valet utpote fundatus in præsumptione periculi; nisi tamen, ut putamus, ipsi aliunde omnimodam certitudinem habeant sine ulla ratione dubitandi ».

esset socius patris. Cùm enim supponantur cuncta peragi nomine patris et cum hujus bonis, filius tantùm ut *adjutor* et *mandatarius* res patris gerit. Proinde ad summum jus habere potest ad *stipendium* labori suo proportionatum.

3° Quæstio autem de stipendio esse potest *in solo casu laboris notabilis ultra debitum pietatis et obedientiæ præstiti:* opera enim *non notabilis* generatim ex obedientia et pietate debetur; imo aliquando etiam opera *notabilis* ex pietate gratuito debita est, puta parentibus egentibus, et tunc facit pietas ut jus non exsurgat: potest enim filius non velle laborare, et pietatem ita violabit; sed si velit laborare ex pietate, gratuito laborat. Nunquam tamen facit pietas ut juri jam acquisito non renuntians injuriam committat (1). Nulla profectò difficultas est in triplici hypothesi sequenti:

a/ *Si filius jam receperit stipendium æquivalenter:*

vel α/ præstito sibi victu et amictu stipendium compensante, ut si labor non est notabilis et filius junioris ætatis;

vel β/ si fratres simul vel successive fere ex æquo laboraverint: est enim tunc merces communis in hæreditatis augmento;

vel γ/ si filius receperit a patre portionem disponibilem vel donationem quam referre non tenetur ad communem massam hæreditatis: tunc enim meritò censetur pater voluisse ipsi mercedem laboris dare.

b/ *Si pater negaverit stipendium;* vel si locus sit judicandi patrem salarium filio postulanti denegaturum fuisse, quia vel ipse laborasset, vel alium habuisset qui gratis aut multo minori stipendio laborasset: ad summum tunc superesset quæstio de minori stipendio quod extraneo pater daturus fuisset (2).

---

(1) Ità Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *o. c.*, n. 119.

(2) Cfr. Carrière, *l. c.*, p. 376. — Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *o. c.*, n. 119.

c/ *Si filius voluerit gratis laborare et expresse vel tacite renuntiaverit stipendio.* Quodsi renuntiatio non sit expressa, difficultas de ejus existentia esse potest (1).

His omnibus omissis, **manet quæstio** num filius, a quo *labor notabilis non aliunde juste compensatus* præstatur, jus ad stipendium habeat, illudque qua stricto jure debitum sibi postulare possit.

Sententiam affirmantem amplectimur: est enim tum intrinsece tùm extrinsece probabilior.

Ex *jure naturali* enim filio competit jus strictum ad stipendium laboris notabilis non aliunde compensati. Filius enim præstat patri laborem ad quem is jus strictum nòn habet. Neque pejoris sane conditionis esse debent filii quam extranei; extranei autem jus strictum ad mercedem habent. Ergo et filius. Neque ulla ratio est cur requiratur voluntas filii explicita exigendi stipendium, cùm de illis operibus agatur quæ non debentur aliunde, etiamsi de facto ex pietate præstentur (2).

In *jure autem positivo* nostro, jus illud naturale filii nullo modo limitatur. Ergo filius stipendium, pro labore notabili ultra debitum obedientiæ ac pietatis præstito, tanquam stricto jure sibi debitum postulare potest.

---

(1) Apposite Ills ac Revs Waffelaert, *o. c.*: « Si pater negat et filius nihilominus laborat, censetur hic renuntiare, nisi tamen domum paternam absque magno incommodo deserere non potuisset, quo casu non fuisset libera renuntiatio. Sed si filius vel *non cogitat*, de stipendio, vel imo *vult gratis laborare* sed hanc voluntatem etiam expresse non manifestat? In varias sententias Auctores abeunt. At, *si non cogitat*, certe etiam non renuntiat. Si vero etiam *volens gratis laborare* nihil manifestat, potest quidem voluisse abdicare jus, si de voluntate vere abdicandi constat, sed proprie non renuntiat: non enim illa voluntas est renuntiatio, quæ, secus ac abdicatio, requirit ut alteri manifestetur et ab eo accipiatur: absque enim hoc non solvitur vinculum; sed forte ex alia virtute pietatis et fidelitatis tenetur renuntiationem complere. Si tamen non faciat, sed postea exigat stipendia, nullum injustitiæ peccatum committet nec accepta stipendia restituere tenebitur ».

(2) Cfr. Ills ac Revs Waffelaert, *l. c.* — Alia argumenta videsis apud Carrière, *o. c.*, p. 371 s.

Ad *auctoritates* quod attinet, plerique Auctores recentiores (1) sententiæ affirmanti favent. Inter antiquiores quidam (2) jus filii tuentur; alii (3) vero id denegant, at juxta *jus positivum* in sua regione et suo tempore vigens, quin tamen ullo modo negent principium juris naturæ supra adductum: imò illud potius admittunt, ut legenti illos satis patet (4).

Diximus demùm stipendium fillio debitum formaliter vel æquivalenter *post majoritatem* esse solvendum, ne sc. ususfructus paternus lædatur, vel saltem administratio bonorum filii a lege patri concessa turbetur. (Art. 384 coll. 387).

Monitum practicum. Non promoveat nec consulat sacerdos compensationem occultam (5); quodsi facta fuerit et, omnibus pensatis, judicet ipsam non factam fuisse injuste, restitutionem non imponat; neque faciendam non injuste, absolute aut graviter damnet (6).

A. C.

VI

Q. *Quid in jure ecclesiastico statuitur circa sepulturam illorum qui neglexerunt præceptum annuæ confessionis et paschalis communionis?*

R. Pœna negationis sepulturæ sacræ in negligentes præceptum annuæ confessionis et paschalis commu-

---

1 Ita Bouvier, Receveur, Vernier, Collat. Bajocens. (1836), Carrière, Lyonnet, Pruner, van Egeren, Lehmkuhl, Marres, Genicot, Theol. Mechl., Ills ac Revs Waffelaert, *l. c.* — Perperam tamen, ut meritò notat Marres (*l. c.*), nonnulli eorum obligationes quibus filius ex pietate tenetur, ab obligationibus justitiæ stricte dictæ non apte distinguunt.

(2) Ità Lessius, De Lugo, Busembaum, S. Alph. etc.

(3) Molina, Laymann, Antoine, Billuart, Alasia etc.

(4) Cfr. Ills ac Revs Waffelaert, *l. c.* — Marres, *l. c.*

(5) Quia hic modo peculiari applicantur rationes ex quibus generatim statuitur suaderi non debere hujusmodi compensationem. Præterea pietas lædi posset.

(6) Cfr. Ills ac Revs Waffelaert, *o. c.*, n. 122.

nionis jam invenitur lata in Concilii Lateranensis IV can. *Omnis utriusque sexus fidelis* (1), ubi post inculcatum præceptum additur: « Alioquin et vivens ab ingressu ecclesiæ arceatur, et moriens *christiana careat sepultura* ». Quamvis interdictum ab ingressu ecclesiæ sit ferendæ sententiæ, ut communiter affirmant doctores, privatio tamen sepulturæ christianæ videtur dicenda latæ sententiæ, uti expresse tradit Rituale Romanum, verbis mox citandis; at nisi facta sint notoria, sententia Episcopi declaratoria est requirenda (2).

Sed præsertim hic attendi debet Rituale Romanum, *De exequiis:* « Ignorare non debet Parochus qui ab ecclesiastica sepultura *ipso jure* sunt excludendi, ne quemquam ad illam contra Sacrorum Canonum decreta umquam admittat. Negatur igitur ecclesiastica sepultura.... *iis, de quibus publice constat, quod semel in anno non susceperunt Sacramenta Confessionis, et Communionis in Pascha, et absque ullo signo contritionis obierunt* ». In praxi igitur parochus propria auctoritate, quin exspectanda sit sententia Episcopi, infligere potest hanc pœnam in illos, de quibus publice constat, ita ut nulla possit tergiversatione celari, eos culpabiliter neglexisse istud præceptum, et qui absque ullo signo contritionis obierunt; « si vero dicti præcepti omissio non sit notoria, profecto requiritur Ordinarii sententia.... Hæc autem notorietas facilius deerit, quando nonnisi semel communio paschalis fuit neglecta et omittens alias non irreligiose vixit, puta quod diebus dominicis et festivis

---

(1) Cap. 12. X. de pœnit. — Explicatur præceptum istud apud theologos. Cfr v. g. Lahousse, *Tract. de Sacram. Pœnitentiæ* (Brugis 1894), p. 38 sqq. et *Tract. dogmatico-moralis de SS. Eucharistiæ mysterio* (Brugis 1889), p. 248 sqq.

(2) Wernz, *Jus Decretalium*, T. III (Romæ 1901), n. 740; Gasparri, *Tract. canonicus de SS. Eucharistia* (Parisiis 1897), n. 1172; Scherer, *Handbuch des Kirchenrechtes*, T. II (1898), p. 604 sqq.; De Brabandere-Van Coillie, n. 788. — Moulart, *De sepultura et funeribus* (Lovanii 1862), p. 283 sq.; Lahousse, Tract. cit. de Euchar., p. 249.

Missam audire fuit solitus » (1). Ceterum, ut generatim monet Rituale Romanum *l. cit.*, quoties « dubium occurrerit, Ordinarius consulatur », et Pastorale Brugense: « Ubi vel minimum quid dubium occurrerit, nihil agere præsumat parochus, nisi consulto prius Ordinario. Quin imo semper id fiat, si per tempus licet, dum ex negatione sepulturæ ecclesiasticæ difficultates prævidentur orituræ » (2).

Nimiæ certe benignitatis videtur Gousset (3), dum opinatur hujusmodi hominibus sepulturam sacram hodie denegari non debere, nisi publice ultima sacramenta ex impietate respuerint. Sane agitur de lege odiosa: unde non est applicanda nisi conditiones in ea statutæ verificentur, et in dubio sive juris sive facti personis potius est favendum; at non est ita interpretanda ut practice eludatur, quod fieret si tamquam regula absoluta admitteretur doctrina citati Auctoris (4).

H. M.

---

(1) De Brabandere-Van Cuillie, n. 788.

(2) Cf. etiam *Acta et Decreta concilii plenarii Americæ latinæ* a. 1899), n. 923, 926.

(3) *Théologie morale*, T. II, n. 636.

(4) De Brabandere-Van Cuillie, *l. cit.*, coll. n. 776 sq.; Moulart, *op. cit.*, p. 284.

Dissertatio

De baptizandis infantibus nonnatis, abortivis et monstris.

(Sequitur. — Cfr. supra, pag. 556.)

—

Paragr. 3ia. DE BAPTIZANDIS MONSTRIS.

Monstra sunt fœtus deformes a muliere editi, quique pro varia deformitate vario nomine decorantur. Ita citantur *hemicephali,* in quibus nempe « facies magis evoluta et cranium cum cerebro plus minusve deminutum est » (1); *acardiaci*, seu ventre tantum et pedibus constantes; *geminati* seu duplicati, etc.

Quod autem spectat hujusmodi monstrorum *originem,* seponenda videtur hypothesis, olim satis admissa (2), fœcundi concubitus hominem inter et brutum. Hanc nimirum ceu antiquatam repudiant hypothesim præ cæteris De Breyne, op. cit., p. 443; Capellmann, op. cit., p. 111, ubi incunctanter docet generationem inter hominem et brutum certissime non inveniri; Genicot, *Theol. Mor. Instit.,* II, p. 142, ubi asserit hodiedum a nullo viro perito admitti « mulierem e congressu cum bruto feram eniti posse ». Item Eschbach, op. cit., p. 316, verbis utens Martinet, pro certo habendum putat: « ex nefando congressu viri cum bestia,

(1) Capellmann, op. cit., p. 111.

(2) Ita Cangiamilla, op. cit., p. 316-317 fidem adhibere videtur fabulosis conceptibus ex copula habita sive a femina cum bruto sive a viro cum bellua et sic, juxta Licetum, narrat « nefarium quemdam se vaccæ commiscuisse et ex ea puerum generasse, qui baptizatus pietatem coluit, quamquam solitus prata pascere herbasque ruminare »!

S. Alphonsus, l. VI, n. 125 incredibilem putat generationem ex viro congrediente cum bestia; nihil autem dicit de congressu mulieris cum bruto.

[illegible] non mulierem, aliud procreavit, sed fœtum [illegible] ut brutum [illegible] et singulorum species. Unde [illegible] intercedit a bestia per bestiam habendum est, etiamsi quandiu pro se vivat sumittendum homini, et vice versa, quidquid vivum pariturus a muliere, etsi de humana forma alienum, jure præsumitur esse [illegible].

Quibus prio oculis habetis, facilius intelligentur **principia** paucis **submittenda**:

A. Omne quod ex humana prodiens apparet vita propria [illegible] ut [illegible] ut [illegible] ut

mento involutorum venæ ita cohærent et impetus sanguinis alterius fœtus ita præponderat, ut circulatio sanguinis in altero fœtu invertatur, ideoque et cor et pulmones cum majori minorive parte trunci degenerent atque fœtus monstruosus ab altero bene evoluto alatur ». Post quæ addit : « Talis igitur fœtus non suis organis e matre nutritur, sed venæ fœtus normalis in illum quasi continuantur eumque velut appendicem nutriunt ».

Quodsi dubitatur de vita eaque propria alicujus fructus a muliere editi, conditionata usurpetur forma sacramentalis.

In hunc sensum expositum interpretanda videtur præscriptio *Rit. Rom.*, Tit. II, cap. I, n. 19 : « Monstrum, quod humanam speciem non præ se fert, baptizari non debet » ; quatenus nimirum Baptismo conferendo non obstet belluina similitudo, modò non sit massa carnea informis, essentialibus carens organis humanis, ad propriam individui vitam absolute necessariis.

B/ Quoad monstra *geminata :*

1°/ *Si duo distincta dantur capita et pectora, ita ut sola trunci pars inferior sit communis, indubie duo censentur individua distincta, adeoque, ut præscribit* Rit. Rom., *l. c., n. 20, eo casu singula seorsim sunt baptizanda,* aqua effusa super unoquoque capite, cum duplici forma correspondente. « Si vero periculum mortis immineat, tempusque non suppetat, ut singuli separatim baptizentur, poterit minister, singulorum capitibus aquam infundens, omnes simul baptizare, dicendo : ego vos baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Quam tamen formam in iis solum et in aliis similibus mortis periculis ad plures simul baptizandos, et ubi tempus non patitur, ut singuli separatim baptizentur, aliàs nunquam licet adhibere ». Ibidem.

2°/ *Si unum habetur caput unumque pectus, et sola membra inferiora multiplicantur, unicum reputatur vitæ centrum, unumque individuum semel dumtaxat abluendum.*

3° *Aliis passim dubium erit utrum duæ sint personæ vel una tantum.* Ita si monstrum nascitur cum duplici capite, sed uno cum pectore unoque trunco: licet namque inclinandum videtur in pluralitatem personarum, solutionem tamen uti certam non habet *Rit. Rom.*, ac. n. 21, sequentem præscribit normam adhibendam, nempe: « quando non est certum in monstro esse duas personas, ut quia duo capita *et duo pectora* non habet distincta, tunc debet primum unus absolute baptizari, et posten alter sub conditione, hoc modo: si non es baptizatus ego te baptizo in nomine... ».

Tandem attendatur monitum in *Rit. Rom.*, n. 18, plurium: « In ministris baptizandis, si casus eveniat, magna cautio adhibenda est, de quo, si opus fuerit, Ordinarius loci vel alii periti consulantur, nisi mortis periculum immineat ». Sapienter etiam notat *Instructio Auxiliaris*, l. c., art. 16: « edoceatur obstetrix, si aliquando monstrum ejusmodi edi contigerit, eam rem silentio premendam esse, ne familiæ displicentia causetur, imo parentibus consolationem adhibendam esse, cum vel levem culpam imputare non liceat ».

Scholion I. Quicumque fœtus, si fuerit baptizatus sive in utero sive extra uterum, sive absolute sive conditionate, in loco sacro sepeliatur, in loco vero profano, si absque Baptismo mortuus prodierit; fœtus autem ex matre defuncta extractus et Baptismate suscepto mortuus, in sinu matris reponatur ut cum ea sepeliatur.

Coram foro civili, en vertu d'une circulaire ministérielle du 13 Décembre 1848: « Lorsqu'il s'agit d'un fœtus dont la conception remonte à moins de six mois, aucun acte ne doit être dressé, aucune autorisation d'inhumer n'est nécessaire, bien qu'il soit préférable de la demander à l'officier de l'état civil ». Roland et Wouters, *Guide pratique de l'officier de l'état civil*, ed. 1902, n. 556.

Scholion II. De Officio Parochi.

Parochi non tantum ex charitate sed et ex justitia strictissime tenentur pro viribus curare ut præfata principia in praxi observentur, atque, in quantum per ipsos stat, æterna salus omnibus animabus sibi commissis procuretur, ne juxta monitum Episcopi Catanensis, anni 1742, « in divinam illam indignationem incurrant, adeo gravi sententia a Propheta Ezechiele declaratam: sanguinem eorum requiram de manu vestra ». Cangiamilla, op. cit., p. 510.

Porro ad hoc opus est ut populum fidelem opportune doceant salutarem doctrinam infantium Baptisma spectantem. Nimirum

A) In concionibus et publicis instructionibus maximopere insistat parochus, occasione oblata, in absoluta necessitate Baptismatis pro parvulis, absque illo ineluctabiliter a salute excludendis, simul præ oculis posita immensitate boni cœlestis, quo in æternum fraudantur si Baptismo præmoriuntur: unde gravissimam esse moneat obligationem pro parentibus et conjunctis, ut omni, quo pares sunt, conatu sacramenti susceptioni provideant, necnon ardentem ad hoc zelum ac profundam pro hujusmodi infantulis commiserationem in cordibus excitare satagat.

Caute etiam et velatis utens verbis addat paternam illam curam esse extendendam non modò ad parvulos perfecto et normali ortu jam editos, sed etiam ad abortivos et in utero materno reconditos, quorum same anima non secus ac reliquorum in peccato est concepta, ac aliter quam aquis baptismalibus regenerari nequit: uniuscujusque parentum et propinquorum omerata conscientia, si ipsorum socordia Baptismus prætermitti contingat: qui namque, ait Cangiamilla, op. cit., p. 481 « miserrimis his infantulis non opitulantur æque rei sunt ac si reipsa illos interficerent, ac a salutis æternæ consecutione repellerent ».

B) Summopere cordi esse debet parocho ut obstetrices habeat et medicos rite instructos circa respectiva

eorum cædis, salutem æternam per vulnerum spectantia, et ipsius est defectui instructionis propria industria diligentissime supplere: quam diligentiam in erudiendis obstetricibus impendendam eloquenter urget Bened. XIV, Instit. Ecclesiast., VIII, n. 2: « Si medici, inquit, qui sermonis corporis saluti præpositi sunt, nullam mulierem in eo ministerio versari patiuntur, quæ prius ipsorum judicio probata non fuerit: nos præsertim, qui perpetuam hominitatem beatamque illorum vitam, qui nobis a Deo commendati sunt, maxime expetimus, immum diligentiam curamque impendere debemus, ut hujusmodi mulieres, a quibus tam crebro Baptismus impertitur, iis omnibus satis imbutæ sint, quæ ad rem bene gerendam requiruntur ».

In eumdem sensum extant plura decreta synodalia, parochos monentia ut sedulo curent instructionem obstetricum, hasque quotannis serio subjiciant examini [1]. Quod examen nostris diebus, a zelosis cæterorum parochis, non sine magno animarum detrimento, omnium neglici videtur, cujus tamen examinis necessitatem alte proclamat experientia, ex qua apparet, plurimas modum jam notavimus, et ipsi non semel experti sumus, obstetrices ex multitudo, quantumvis christianos et religiosas, incredibili interdum liberare ignorantia ultra suprema status sui in hac materia munera.

Minus autem ipsis præ cæteris inculcandum, est illud quod juxta principia superius evolata, illis incum-

---

[1] « Parochi tenentur ipsas obstetrices diligenter examinare et si non invenerint eas satis instructas et approbatas, et aliquam bene peritam, [illegible] et quoque diligenter curare ut in [illegible] tenerent per [illegible] et intelligentiam [illegible] quæ necessariis ». Ferraris, *Prompta Bibliotheca*, V° *Obstetrix*, n. 5.

[illegible] Congregat. [illegible] 1. [illegible] 17 [illegible] 5. [illegible] Decanus [illegible] parochus [illegible] et obstetrices [illegible] modum [illegible] baptismum in necessitate [illegible]

bit relate ad nonnatos, abortivos et monstra, in hoc signanter insistendo ut omnem impendant curam in procuranda exsectione fœtus ex utero matris defunctæ, idque non tantum ubi fructus maturus evaserit vel vitæ extrauterinæ capax, sed etiam antea, quousque, attentis attendendis, spes probabilis datur fœtum extrahendi vivum (1); item in conferendo Baptismate embryonibus et fœtibus abortu projectis et non certo mortuis. Utiliter etiam ipsis suggeretur eorum partes esse ut mulieres prægnantes, quarum curam susceperunt, de hisce, occasione data, commonefaciant (2).

---

(1) Quod officium, quo gravius dari nequit, et a quo pendet tot animarum salus æterna, non desistant parochi quam instantissime inculcare medicis, ut tandem aliquando hanc gravissimam sui status obligationem agnoscant et in praxim deducant: a qua praxi, ipsis fatentibus, adeo longe recesserunt moderni nostri, iique optimi, medici.

(2) En quædam excerpta ex illis quæ obstetricibus ulterius a parocho inculcanda præscribit sæpe laudata *Instructio Austriaca:*

« Art. 1. — In iis peragendis quæ suæ artis sunt, fideliter, accurate, solerter se gerat (obstetrix), omninoque ad juvandum parata. — Quum ad subveniendum mulieri parituræ vocatur, primo fusa prece eam seseque Domino Deo commendet. — Cuivis præsto esse velit, æqua semper adhibita cura, sine personarum acceptione. — De iis quæ in exercitio artis suæ occurrere solent altum silentium servet. — Loquelam quod attinet, honesta et castigata sit; in potu vero ciboque sumendo temperantiam custodiat... — Instante partu, a puerperæ cubiculo otiosas aut non necessarias personas prudenter excludere satagat. — Abstineat a casibus aliquando obviis enarrandis qui animam puerperæ exterrere, eique metum, anxietatem ingerere possint. — Si quando partus difficilis aut prævidetur aut animadvertitur, curet mature medicum advocari, imo, si opus fuerit, et sacerdotem. — Ut neonatus sine indebita mora sancto regenerationis sacramento abluatur, curet pro viribus; necessitate vero ingruente, obstetricis erit Baptismum conferre. — Ut de infantis nativitate certior fiat sacerdos, qui matriculas tenet curam gerat, idque etiam tunc quum infans post acceptum e necessitate privatum Baptismum brevi mortuus fuerit... ».

« Art. 2. — Nedum in artis suæ exercitio, sed generatim obstetrix commonenda est, ut bene morigeram se præbeat, christiane vivat, sacramenta Ecclesiæ frequenter recipiat ».

« Art. 3. — Obstetricem docere expedit quid agat, quum animadvertit mulierem prægnantem ea mente esse ut fœtum depellat, et ad id fortassis media perquirere. Instanter scilicet et religiose moneat procurationem abortus coram Deo immane scelus esse, ac verissimum homicidium.

Profectò, in erudiendis et examinandis obstetricibus, et præsertim medicis, prudenter procedat oportet parochus, ut omnis vitetur offensio: iis nempe cautelis opportune servatis, iisque usurpatis loquendi formis, quas suggerat prudentia pro variis circumstantiis, et pro varia personarum indole et conditione respectiva.

C/ Quum tamen contingat hujusmodi instructionem, propter varia adjuncta, esse omittendam vel differendam, quumque dari possint casus in quibus salus infantium non ab interventu medici vel obstetricis sed a sola matre pendeat, puta in repentino abortu cujus sola testis est mulier aboriens, non inopportunum erit imo necessarium ut horum quædam, signanter circa baptizandos fœtus abortivos, edoceantur ipsæ uxores.

Quod diligenter præstabit providus parochus in præparatione ad matrimonium, vel in excipienda nupturientium confessione; imo nesciò utrum hujusmodi instructioni, parce et caute honestisque ac modestis verbis proponendæ, opportunus non foret locus in congregationibus S. Familiæ nuncupatis vel alio titulo decoratis, quæ pro solis mulieribus nuptis institutæ fausto omine in dies multiplicari cernuntur.

A. D. S.

---

quum non modò corporalis vita concepti infantuli perimitur, sed etiam animæ, quæ Baptismatis regeneratione et beatitudinis fruitione carebit; addet ipsa lege civili procurationem abortus gravibus pœnis plecti, imo nec criminis attentationem, licet non sequatur effectus, pœnis immunem esse. Prægnantem insuper doceat, quantum fieri potest, præcavere casus omnes, quibus vita fœtus in discrimen adducitur, unde Baptismatis percipiendi spes tollatur; id ipsum enim sub gravi peccato mulier uterum gestans præstare tenetur ».

Ex S. Congreg. Indulgentiarum

I

Ad impertiendam absolutionem generalem Monialibus Tertiariis sacerdos deputari debet ab Episcopo.

BONONIENSIS.

A Confessariis quorumdam Monasteriorum Sanctimonialium Tertii Ordinis, in Archidiœcesi Bononiensi existentium, huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ sequens dubium propositum fuit:

« Sanctimoniales Tertiariæ alicujus ordinis regularis, jurisdictioni Episcopi subjectæ, quæ jus habent ad quasdam annuas absolutiones generales et benedictiones apostolicas suscipiendas, debentne hujusmodi favores spirituales obtinere ministerio confessarii ab Episcopo assignati, aut ope religiosi vel sacerdotis sæcularis deputati a Superiore ordinis respectivi?

S. Congregatio respondendum mandavit:

Affirmative quoad primam partem, Negative ad secundam.

Datum Romæ e Secretaria ejusdem S. Congregat. die 11 febr. 1903.

A. Card. TRIPEPI, *Præf.*

L. ✠ S.

† FRANCISCUS SOGARO, Archiep. Amiden., *Secr.*

II

Ad prædictam absolutionem impertiendam Episcopus deputare potest sacerdotem qui non sit confessarius.

VIENNENSIS.

Episcopus Orthosiensis, Auxiliaris Emi Archiepiscopi Viennensis in Austria, relate ad Decretum S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ in una

Bononiensi a d. 11 Februarii 1903, eidem S. Congregationi dubium solvendum proposuit:

Utrum Ordinarius, sub cujus jurisdictione Moniales Tertiariæ degunt, ad absolutiones generales et benedictiones apostolicas eisdem Monialibus impertiendas, delegare possit Sacerdotem sibi benevisum ad audiendas Monialium confessiones non approbatum?

Porro S. Congregatio ad præfatum dubium respondendum mandavit:

Affirmative.

Datum Romæ e Secretaria ejusdem S. Congregationis die 27 Maii 1903.

A. Card. TRIPEPI, *Præf.*

FRANCISCUS SOGARO, Archiep. Amiden., *Secr.*

Adnotanda. Hisce responsis applicat S. Congr. Indulg. monialibus Tertiariis cujusvis ordinis regularis (puta S. Francisci, S. Dominici, S. Theresiæ), jurisdictioni episcopali subjectis, regulam quam olim, decreto diei 12 Martii 1855, statuerat pro Clarissis. His enim de ministro absolutionis generalis et benedictionis papalis quærentibus « an confessarius et capellanus, qui non esset confessarius, possint illas [absolutionem et benedictionem] impertire ex delegatione Ordinarii, cui Clarissæ subjiciuntur? » S. Congregatio respondit: « affirmative » (1).

Collatis inter se his tribus responsis apparet ab Episcopo posse deputari sacerdotem qui non sit approbatus ad audiendas monialium confessiones, imo sacerdotem quemvis sibi benevisum, etiam « qui non sit confessarius ».

Notari juvat ad impertiendam absolutionem generalem Tertiariis *Monialibus* adhibendam esse « sub pœna nullitatis » « formulam absolutionis generalis pro *Regularibus* cujuscumque ordinis hoc privilegio fruentibus » præscriptam decreto S. Congr. Rituum, die

(1) Cf. *Decreta Authentica S. Cong. Indulg.*, p. 432.

7 Maii 1882 (1), quæ omnino differt a « formula benedictionis cum indulgentia plenaria pro Tertiariis *sæcularibus* » eodem decreto injuncta (2).

Quod dies spectat quibus dari potest absolutio præfata, servandæ sunt concessiones olim factæ singulis ordinibus, nullatenus vero attendendus est catalogus dierum quem Leo XIII statuit in constitutione *Misericors Dei* pro Tertiariis *sæcularibus* S. Francisci. (3)

C. C.

Ex S. Rom. et Univ. Inquisitione

Utrum facultas dispensandi super impedimentis matrimonii in articulo mortis importet facultatem legitimandi prolem.

Fer. IV, 8 Julii 1903.

Huic Supremæ Congregationi S. Officii propositum fuit enodandum sequens dubium:

Utrum per litteras diei 20 Februarii 1888 (4), quibus locorum Ordinariis facultas conceditur dispensandi ægrotos in gravissimo mortis periculo constitutos super impedimentis matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus, firmis conditionibus et exceptionibus in iisdem litteris expressis, ac per

(1) Vide hanc formulam in præfato decreto ap. *Decr. Auth. S. C. Indulg.*, n. 444, p. 412 et in Rituali Romano, inter *Benedictiones novissimas* formula prima. Cf. responsum Præfecti S. Cong. Ind. diei 23 Dec. 1887, ap. *Nouv. Rev. Théol*, XXII (1890) p. 627.

(2) Apud *Decr. Auth.*, p. 413, et in Rituali, inter *Benedictiones novissimas*, formula secunda.

(3) Cf. *Nouv. Rev. Théol*, XXII, p. 627; R. P. Libert de Malines, O. F. M. C., *Manuel complet du Tiers-Ordre de S. François*, Tournai 1896, p. 240-246.

(4) Cf. *Collat. Brug.*, T. I, p. 102 sq.

posteriores litteras diei 1 Martii 1889 (1), quibus declaratur hujusmodi facultatem parochis subdelegari posse, intelligatur concessa etiam facultas declarandi ac nunciandi legitimam prolem spuriam, forsitan a concubinariis, vigore dictæ facultatis dispensandis, susceptam, prout a S. Sede in singulis casibus particularibus dispensationum matrimonialium concedi solet, — an contra pro susceptæ prolis legitimatione necesse sit novam gratiam a S. Sede postea impetrare.

In Congregatione generali S. Romanæ et Universalis Inquisitionis habita coram E^mis^ ac R^mis^ Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus, proposito suprascripto dubio, præhabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

Affirmative quoad primam partem, excepta prole adulterina et prole proveniente a personis ordine sacro aut solemni professione religiosa ligatis, facto verbo cum SS^mo^. Quoad secundam partem, provisum in prima.

Sequenti vero fer. V, die 9 ejusdem mensis et anni, SS^mus^ D. N. Leo PP. XIII, per facultates Emo Cardinali hujus Supremæ Congregationis Secretario impertitas, resolutionem EE. ac RR. Patrum adprobare dignatus est.

J. Can. Mancini, *S. R. et U. Inquisit. Not.*

Ex S. Congr. Rituum

Utrum adhuc recitandæ preces post missam a Leone XIII præscriptæ.

R^mus^ Dominus Michael Andreas Lassy Episcopus Catalaunensis a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humiliter expetivit; nimirum:

An preces post Missam a Summo Pontifice Leone XIII præscriptæ, adhuc, Ipso defuncto, dicendæ sint?

(1) Cf. *Coll. Brug.*, T. I, p. 103.

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, audito voto Commissionis Liturgicæ, omnibusque mature perpensis rescribendum censuit : *Affirmative.*

Atque ita rescripsit, die 11 Septembris 1903.

M. Card. MOCENNI.

D. Panici, Archiep. Laodicen. *Secret.*

Pensions de vieillesse

Allocation annuelle de 65 francs.

I. *Loi du 20 Août 1903 (Moniteur du 3 Septembre 1903) modifiant l'art. 8 de la loi du 10 mai 1900.*

La loi du 10 mai 1900 avait déjà institué un régime transitoire en faveur des personnes d'âge avancé, qui n'auraient pu bénéficier qu'imparfaitement des faveurs du régime normal, ou qui en auraient été totalement exclues. Pour les personnes notamment, qui avaient atteint l'âge de 40 ans au 1r janvier 1900 et avaient moins de 55 ans à la date du 1r janvier 1901, l'art. 8 élevait de 15 à 24 francs les versements annuels donnant droit à la prime de 60 centimes. Les primes allouées par l'Etat pouvaient donc atteindre, pour ces personnes, la somme de 14 fr. 40 au lieu de 9 fr. par tête et par an.

L'article unique de la loi du 20 août 1903, maintient l'art. 8 susmentionné; il y ajoute un alinéa qui développe considérablement le principe admis précédemment, en intensifiant progressivement les encouragements alloués par l'Etat, et cela sur une base (6 fr.) plus accessible aux ouvriers.

Voici les dispositions nouvelles ; elles donneront,

nous en avons la conviction, une impulsion puissante à l'œuvre des pensions de vieillesse, et seront l'occasion d'une nouvelle propagande.

« A partir du 1er janvier 1903, le montant de la prime annuelle est porté, à concurrence de six premiers francs versés :

A. A 1 franc par franc pour les intéressés ayant atteint, au 1er janvier 1900, un âge compris entre 40 et 45 ans ; (1)

B. A fr. 1,50 par franc pour les intéressés ayant atteint, à la même date, un âge compris entre 45 et 50 ans ; (2)

C. A 2 francs par franc, pour les intéressés ayant, à la même date, dépassé l'âge de 50 ans » (3).

La prime annuelle *maximum* que peuvent obtenir les personnes de la catégorie *A* est donc de 1 fr. × 6 + 18 × 60 c. = 16 fr. 80 ; celles de la catégorie *B*, 1 fr. 50 × 6 + 60 c. × 18 = 19 fr. 80 ; celles de la catégorie *C*. 2 fr. × 6 + 60 × 18 = 22 fr. 80.

Il convient de noter en outre 1/ que ces encouragements sous forme de prime, sont donnés à tout le monde, *sans distinction de fortune* (4) ; 2/ que l'encouragement par prime spéciale ne connaît pas de limites d'âge au delà de 50 ans. *Toute personne*, qu'elle soit indigente ou non, qui à la date du 1r janvier 1900 avait dépassé l'âge de 50 ans, pourra par conséquent bénéficier de ces 2 fr. d'encouragement. Même les personnes qui, en vertu de l'art. 9 al. 2 de la loi du 10 mai 1900, seront admises à jouir de l'allocation de 65 fr. au fur et à mesure qu'elles atteindront l'âge de 65 ans, pourront bénéficier de la prime de 2 fr. (5).

A. C.

---

(1) Ceux nés en 1859-58-57-56 et 55.

(2) Ceux nés en 1854-53-52-51 et 50.

(3) Tous ceux nés avant le 1r janvier 1850.

(4) Voir *Ann. parlem. Ch. des Représ.* 1902-1903, p. 2269.

(5) Voir *ibid.* Ce ne sont donc pas exclusivement les personnes nées en 1846, 47, 48 et 49. comme semble l'insinuer le *Gids*, 11 oct. 1903, p. 167.

II. **Versements à la Caisse de retraite.** *Circulaire adressée par M. le Directeur général aux Présidents des Sociétés Mutualistes de retraite.* — 1r Octobre 1903.

Monsieur le Président,

J'ai l'honneur d'appeler votre bienveillante attention sur les mesures à prendre en vue de l'inscription régulière des nombreux versements de retraite effectués à la fin de l'année.

Les demandes d'inscription de rente à soumettre à la vérification de la Caisse de Retraite préalablement aux premiers versements effectués pour les nouveaux affiliés, devront m'être transmises assez tôt pour qu'elles puissent être vérifiées et renvoyées en temps utile. Elle devront être déposées au bureau par l'intermédiaire duquel la Société effectue ses versements.

Les règles de versements n° 4000 que j'ai fait parvenir à toutes les sociétés recommandent expressément *d'effectuer les derniers versements de l'année au cours de la 1re quinzaine du mois de décembre* et de n'effectuer qu'un seul versement pour chaque affilié.

Il faudra, pour que cette recommandation puisse être ponctuellement observée, *que les demandes d'inscription de rente à vérifier* relatives aux nouveaux affiliés *me soient envoyées au cours des premiers jours du mois de novembre.*

Les demandes d'inscription de rente qui me seront transmises après le 15 novembre ne pourront probablement plus être renvoyées à temps pour que les versements des intéressés soient effectués en 1e quinzaine de décembre, car la Caisse de Retraite ne renvoie les demandes vérifiées que lorsqu'elle a pu les rapprocher des extraits d'acte de naissance qu'elle réclame aux administrations communales et qui ne lui sont souvent délivrés qu'après un temps assez long.

Les sociétés qui joindront aux demandes d'inscription de rente les extraits d'acte de naissance dressés sur papier libre par les administrations communales se verront donc nécessairement renvoyer ces demandes beaucoup plus tôt.

Il importe, en tout cas, de puiser dans une pièce authentique les indications relatives à l'état-civil des personnes à affilier, car les discordances constatées avec l'extrait d'acte de naissance donnent lieu au renvoi de la demande et retardent sa vérification régulière.

Je recommande instamment aux sociétés de ne pas s'écarter de ces règles, dont l'importance est capitale, car l'introduction tardive de la demande empêcherait la création du livret avant la fin de l'année, *et priverait ainsi l'intéressé du bénéfice des primes des pouvoirs publics pour 1903.*

Dans ce but, les administrateurs de sociétés mutualistes de retraite, dont le dévouement s'est déjà manifesté si souvent, feront donc chose utile en commençant sans délai la propagande plus intense à laquelle ils se livrent ordinairement à la fin de l'année. Cette propagande sera sans doute particulièrement fructueuse cette année, surtout parmi les affiliés âgés de plus de 40 ans au 1er janvier 1900, car la loi récente du 20 août 1903, modifiant la loi du 10 mai 1900 concernant les pensions de vieillesse, élève considérablement les primes accordées aux affiliés de cette catégorie.....

Dans un but de statistique, les délégués sont priés d'indiquer aux bordereaux de versement s'il s'agit d'une société scolaire de retraite.

Veuillez agréer, Monsieur le Président, l'assurance de ma considération distinguée.

Le Directeur Général,
O. LEPREUX.

Jurisprudence administrative

Fabrique d'église. — Compte.

Un arrêté royal, en date du 20 septembre 1903, réforme l'arrêté du 19 juin précédent. par lequel la députation permanente du conseil provincial du Hainaut a supprimé la somme de 41 fr. 50 c. inscrite à l'article 6*d* (service funèbre célébré à la mémoire de S. M. la Reine des Belges) des dépenses du compte, pour l'exercice 1902, de la fabrique de l'église de Saint-Remy, à Ecaussinnes-d'Enghien.

Une somme de 42 fr. 50 c. est inscrite à l'article 50 des dépenses. (2)

(2) Voir *Revue cathol. de droit*, T. V, p. 368; T. VI, p. 256. — *Collat. Brug.*, T. IV, p. 489. — D'après une circulaire ministérielle du 15 Mai 1885, (*Le Mémorial*, an. 1885, p. 380) cette mesure est applicable « aux frais de *Te Deum*, des services pour les souverains pontifes, les évêques, les membres de la fabrique et les bienfaiteurs de l'église, suivant les instructions de l'autorité diocésaine ou l'usage des lieux ».

Collationes Brugenses

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. VIII, pag. 592).

—

II. *De origine specierum viventium.*

354. Maximi momenti est ante omnia rite definire statum quæstionis.

Itaque *primo,* extra quæstionem est, ab una quidem parte, origo vitæ, quam a Deo immediate ortum habere firmiter, vi saltem rationis et scientiæ humanæ, retinendum esse supra demonstravimus; ab altera vero parte, origo hominis, de qua infra; ita ut sermo esse nequeat de evolutionismo integrali, tum ratione tum fide damnando, ut supra.

Intra hos limites, *secundo,* jam quæritur quomodo, sub qua forma seu quibus formis Deus vitam produxerit. Videlicet, viventia universim considerando, videmus in iis infinitos quasi vitæ gradus, et statim quidem advertimus alia vita solum vegetativa, alia et sensitiva gaudere: ita ut duplex regnum viventium, vegetale et animale, distinguatur, quamquam in utriusque regni limite quædam forsan inveniuntur, quæ ad quod alterutrius regni pertineant ægre definiatur. Sed et in utroque regno, ab alga unicellularia ad quercum, ab infimo microbio ad perfectissimum quadrupedis mammiferi organismum series graduum vitæ indefinita excurrit. Præterea videmus omnia viventia pro diversa naturæ perfectione modis diversis sibi propriis sese propagare, ita ut singula ex suì similibus ortum habeant.

Unde quæritur, de ortu primitivo vegetalium atque animalium, utrum Deus, quot individuorum similium, quæ ex similibus generari videmus, classes inveniuntur, quas species vocamus, tot primitus vegetalia et animalia produxerit aut et producere debuit, educendo immediate per se tot et tales formas vegetales et animales e potentia materiæ; an vero aliquas tantum formas, aut imo unam tantum vegetalem et

alteram animalem, aut tandem forte unam solam, vegetalem aut animalem, eduxerit, et ita viventia aliqua aut vivens unum constituerit, ex quibus aut ex quo, evolutione continua, omnia viventia, quantumvis inter se diversa, ortum ducere potuerint aut reapse orta sint. En quæstio.

355. In ipso limine tractatus, notemus quæstionem intra definitos limites, adeoque et evolutionismum restrictum intra eosdem limites esse liberæ disputationis, cum Ecclesia nihil definiverit, aut tamquam positive tenendum aut rejiciendum doceat. Ut enim de origine vitæ agendo vidimus, dummodo firmum et ratum maneat Deum esse omnium creatorem, primumque motorem, conservatorem atque gubernatorem, adeoque et rerum distinctionem esse a Deo, saltem mediate (seposito semper homine et creaturis mere spiritualibus), doctrina Ecclesiæ salva consistit. Neque vel ipsi repugnant, qui omnia simul eodem tempore creata docent, et hexameron idealistice interpretantur cum Augustino, cum et ipse Augustinus non omnia simul in propria natura et forma creata velit, sed quædam secundum rationes seminales, ita ut opportuno tempore, Deo providente, sese evolverint ista semina.

356. Statu quæstionis intellecto, ut quæstio rite solvatur, adverte procedendum esse ordine regressivo, nempe, non esse incipiendum ab ortu primævo viventium (de quo utpote incognito quæritur) ut insequamur seriem evolutionum ad individua viventia usque, quæ oculis conspicimus; sed ab his exordiendum esse, observando quæ nunc sub oculis habemus, et paulatim ascendendum ad originem eorum, si eam forte quæ et qualis sit aut esse potuerit deprehendere valeamus. Igitur hoc ordine procedemus. Quemadmodum autem de origine vitæ quærendo egimus, ita et nunc, scilicet, scientiarum observationis et experimenti argumentis utemur, potius quam metaphysicis, his tamen, ubi locus est, non omissis: sic agendo, modernorum ratiocinia facilius obvia habebimus, et non quasi a priori quæstionem solvere velle videbimur, neglectis rationibus ex intima rerum natura, a scientiis modernis accuratius investigata ac perspecta, depromptis.

357. Incipiamus ergo ab observandis individuis viventibus, quæ oculis conspicimus, ut præprimis quædam facta certa stabiliamus.

Observando individua similia ex iisdem parentibus orta, videmus nullum ex his, quantumvis simile, esse aliis perfecte æquale, ita ut unum ab altero distinguere aliqua saltem nota individuante, puta colore, statura, forma quadam externa valeamus. Quæ quidem individualis varietas viventibus præ non viventibus est propria, et pro majori organismi perfectione magis sensibilis.

Præterea, observatione constat ejusmodi notas individuis proprias, præsertim si iis insignita individua ad generationem seligantur, facile ad posteros transire, et in his invalescere magis atque augeri, ita ut posteri post aliquot generationes jam morphologice nonnihil a majoribus distent.

Quod quidem dupliciter contingit: vel ita ut posteri non omnes servent constanter prædictum characterem sed ad typum avitum passim regrediantur; quo casu illa individua charactere sibi proprio, quo a progenitoribus distinguuntur, insignita vocantur a naturalistis simplex *varietas* (une variété). Vel ita ut idem character proprius et distinctivus jam fixus et permanens constanter generatione transeat ad posteros, quo casu nova illa classis individuorum fixa semper et constanti hereditaria nota insignitorum dicitur stirps (une *race*). Hujusmodi stirpes magno numero, in regno tum vegetali tum animali, artificiosa selectione seminum et generatorum homines obtinuerunt, uti notum est, ita ut canum v. g. haud minus quam 180 stirpes (races) diversæ numerentur. Et tantum quidem inter diversas stirpes discrimen est ut una magis ab altera typo morphologico, physiologico, imo psychologico seu instinctu nonnumquam distet, quam ab individuis non ejusdem communis sed diversæ originis; v. g. canis a cane diversæ stirpis magis distare videatur quam a lupo.

En primum factum, scilicet quamdam esse variabilitatem seu quamdam contingere evolutionem, ope præsertim selectionis artificiosæ, in individuis ejusdem communis originis.

Addamus stirpes inter se esse generatim fœcundas, ita ut continuo novæ stirpes exurgere possint, cum individua mixta (*métis*) ex diversarum scilicet stirpium parentibus orta, sint generali lege in indefinitum fœcunda.

358. Altius ascendendo, si jam individua non tantum diversæ stirpis, sed diversæ non communis originis, etsi

morphologice vicina, ad generationem applicentur, v. g. equus cum asina, vulpes aut lupus cum cane, (et similiter in regno vegetali), potest quidem nasci, quod vocant *hybride*, v. g. ex equo et asina mulus, sed, lege generali hujusmodi hybrida vel sterilis seu rarissime fœcunda est, ut mulus, vel post paucas generationes ad typum paternum vel maternum omnino regreditur, ut contingit in leporide, ex cuniculo et lepore.

En secundum factum, nempe, ope selectionis artificialis, lege generali non obtineri ulteriorem varietatem, seu evolutionem non fieri extra seu ultra stirpes communis originis.

Ex his quoque deduces jam aliquam notionem speciei, quæ ex dictis est classis seu categoria (1) individuorum similium, licet diversæ varietatis aut et stirpis, quæ ex suî similibus originem habent, et quæ tantummodo inter se *indefinite* fœcunda sunt.

359. Quæ cum ita sint, alicui forte videbitur jam argumentum inductionis, quod supra de origine vitæ agendo adhibuimus, invocari posse: nempe, inspecta constantia ac universalitate legum naturæ, si nunc generatim videmus species ita fixas, ut similia saltem indefinite fœcunda, ex similibus tantum intra eamdem speciem oriantur, nec ultra stirpes nova productio, nempe specierum, contingat, id in omni prorsus specie, id est, in omni classe individuorum ex eodem stipite et in indefinitum fœcundorum contingere, et semper etiam in præterito ita contigisse.

Attamen nolumus illico sic concludere. Ratio est, primo quidem discrimen quod intercedit inter præsens quæsitum et quæstionem de transitu materiæ inertis ad vitam. Etenim, quantumvis admittamus plasticitatem materiæ, aliis verbis, e potentia materiæ educi posse quasvis formas mere corporales, sive viventium sive non viventium, semper tamen requiritur ad educendam formam aliquam e potentia materiæ causa aliqua proportionata novo corpori, viventi aut non viventi, producendo, et prævia dispositio materiæ proportionata novæ formæ educendæ. Jamvero, ubi de origine vitæ

(1) Dicimus: *classis* seu *categoria*, sensu nempe generico, ne quis vocem *classis* accipiat determinato et technico sensu, quo in classificatione viventium a naturalistis sumitur: embranchement, classe, ordre, etc.

agitur, universæ vires physicæ et chemicæ non sufficiunt, ut vidimus, ut ita ultimo disponatur materia iners et educatur forma viventis, quod et inductione probavimus: omne vivens ex vivo, sed et insuper ostendimus transitum a materia inerte ad vivens esse impossibilem.

Heic vero, cum agatur de plasmate jam vivente, in quo materia ultimo disponi tantum debeat ut ex ea alterius viventis forma educatur, nec solis viribus physicis sed et influxu principii vitalis quod plasmati inesse ponitur, non valent eadem argumenta supra adducta quibus transitus materiæ inertis ad vitam impossibilis ostenditur, sed examinandum saltem remanet utrum forte similia argumenta transitum viventis ad vivens perfectius impossibilem demonstrare valeant, et, si forte hæc non stringant ubi de transitu a gradu ad gradum in certo genere, vel intra idem saltem regnum, sermo est, annon sint forte efficacia ubi de transitu a vegetali ad animal agitur. Unde heic non valet generaliter argumentum supra adductum.

Sed et aliud discrimen est in ipso etiam inductionis argumento, quod non videtur ita stringere in hac, sicuti in superiori quæstione. Nam, supra vidimus nullum inveniri potuisse vivum ex non vivo ortum, hic vero non potest absolute negari omnis variabilitas et evolutio quævis, et licet, quod species attinet, fixitatem earum generali lege agnoverimus, an nulla tamen exceptio sit non ita constat, ut videbimus; unde prædicta inductio in præsenti et ante ulterius examen præjudicium continet adversus ulteriorem evolutionem, nempe specierum, potius quam certum argumentum.

360. Ita deducimur ad alteram rationem cur non illico concludendum ut supra autumamus. Videlicet, secundo, ex factis supra stabilitis et lege generali seu ordinaria ex his deducta, nonnisi hoc illico inducere licere videtur, quod nempe ex speciebus vicinis non oriantur novæ species, cum ex hybridis aliæ sint numquam aut rarissime fœcundæ, ut v. g. mulus; aliæ, ut v. g. leporides, post aliquot generationes ad priorem typum alterutrum redeant. Neque illud inficiantur transformismi seu potius evolutionismi (1) sectatores,

(1) Quod jam supra n. 351 advertimus, melius et accuratius dicitur

[illegible]

[illegible] *duxerint.*

[illegible]

[illegible] *ex simia; hoc non contendunt, sed, quod non mineris imputatis* [illegible]

(1) V. g. le cochon d'Inde ne s'accouple plus avec son ancêtre du [illegible] *pas même pour donner des hybrides, etc.*

stirpes extremas, quæ aliquando tam longe ab invicem distant ut a copula arceantur, sed etiam inter vicinas. Contra, hybridæ non semper steriles sunt, ut vidimus, imo videntur quædam indefinite fœcundæ (1).

Cæterum, lex intersterilitatis haud ægre explicatur. Scimus enim viventia inter se esse generatim magis fœcunda, si inveniantur simul nec nimis similia nec nimis distantia. Sic generatim stirpes diversæ sed vicinæ sunt fœcundæ; si distantia nimis augescat, fient steriles. Præterea, inter duas stirpes, vel si vis species, nunc steriles, intermediæ esse potuerunt et debuerunt plures, quæ cum extremis fœcundæ erant: si tota series existeret, videre esset lineam continuam fœcunditatis, sed, quoniam intermediæ disparuerunt, solum videmus sterilitatem inter extremas. Sic v. g. dicimus omnes stirpes canum inter se esse fœcundas, quamvis extremæ sint inter se steriles; si intermediæ evanescerent et communis origo extremarum ignoraretur, sine dubio istas stirpes extremas diceremus species tam morphologice quam physiologice omnino distinctas. Neque tamen deest exemplum typi alicujus stirpis adeo mutati diversis causis ut, absque intermediis stirpibus, tam longe jam distet a stirpe vicina ejusdem originis, ut hæ duæ stirpes inter se steriles evaserint, ut vidimus de cuniculis e Porto-Santo et nostris europæis. An ergo dicendi sunt hi cuniculi ejusdem speciei, quia unius originis, licet inter se steriles; anvero diversæ speciei, quia inter se steriles, licet unius originis? Quidquid ergo sit de

(1) « Des observations faites avec soin sur l'hybridation des plantes, et en particulier celles de W. Herbert, ont montré que plusieurs hybrides sont aussi féconds entre eux que les espèces souche pure. Même à l'état sauvage, on observe des formes provenant du croisement d'espèces différentes, qui ont été plus d'une fois regardées comme de véritables espèces et décrites comme telles..... La stérilité des hybrides à l'état sauvage ne peut donc pas non plus être posée comme une loi, d'autant plus qu'on a reconnu que beaucoup d'espèces de plantes sauvages sont le résultat de croisements entre des espèces voisines. » Ita Claus, *Elem. de Zoologie*, p. 182, qui tamen videtur evolutionismi, etiam integralis, sectator. Neque alii, quæ hic allegat, admittunt. Idem auctor, quod animalia spectat, advertit, *ibid.* : « On a même observé des croisements féconds entre des espèces éloignées, qui n'appartenaient pas au même genre, telles que le bélier et la chèvre, la chèvre et le bouquetin. » Sed agnoscit hujusmodi hybridas esse generatim infœcundas.

ratione speciei, quæ accurate definiri nequit, remanet tota quæstio evolutionismi, qui reapse multiplici indicio demonstratur. Ita evolutionistæ.

361. Quid igitur? An evolutionistis concedendum est speciem rite definiri non posse, et definitionem supra datam non esse accuratam, esse potius arbitrariam et a priori, ut dicunt, non in ipsa rerum natura fundatam? Et rursum, an adversariis quibusdam evolutionismi dandum est speciei definitionem esse omnino rectam, eaque admissa quæstionem esse solutam, id est, evolutionismum esse confutatum.

Primo quidem, de definitione speciei hoc advertendum est. Si sumatur sensu restricto, nec omnino absoluto, prout nempe tantummodo ex factis obviis, quæ in præsenti sub oculis habemus, eam deduximus, definitio recta est nec arbitraria, seu a priori, cum nitatur lege quadam naturali ordinaria, ex factis illis deducta. Quando igitur in definitione hujusmodi dicitur *ejusdem communis originis*, in oppositione ad originem diversam, nonnisi de præsenti agitur, v. g. quod canis ex canibus, equus ex equis, non canis ex equis aut equus ex canibus generari nunc videmus, nec attingitur quæstio an forte ex communi tandem stipite antiquo et canis et equus descendant lenta evolutione sub diversis causis. Et quando additur: *quæ tantummodo inter se sunt indefinite fœcunda*, simpliciter negatur fœcunditas, eaque indefinita, hujus classis cum individuis alterius classis, quam diversæ nunc videmus originis, v. g. canis cum lupo, aut equus cum asina, etc. Unde ad exemplum cuniculorum e Porto-Santo, juxta datam definitionem, dicimus eos ad eamdem speciem pertinere cum europæis: nam omnes ex europæis certo geniti sunt, adeoque sunt ejusdem communis originis; quod autem utraque stirps jam inter se sterilis sit, non impedit quin negetur earum fœcunditas indefinita cum aliis non ejusdem sed diversæ originis, v. g. cum leporibus, felibus. Cæterum, non negamus generatim etiam positive asseri posse fœcunditatem inter se stirpium ejusdem speciei, sed ex prædictis non debet hæc asseri in definitione ut possit species definiri ita ut una species ab aliis speciebus distinguatur. Præterea, ut vidimus, stirpes extremæ ejusdem speciei, v. g. canum, facile inter se steriles sunt, unde non adeo mirum videtur per anomaliam quamdam contingere posse ut et stirpes

vicinæ aliquando steriles sint, si diversis causis adeo immutetur una, ut jam tantum distet ab altera, quantum inter se extremæ distarent. Deinde, adhuc examinandum foret an, iisdem causis operantibus, non possit typus immutatus ad priorem reduci, v. g. cuniculus e Porto-Santo, in Europam redux, denuo immutari, ita ut cum europæis rursus fœcundus fiat.

362. Si autem sumatur definitio speciei sensu absoluto, non relativo ad tempus præsens et ad facta nobis obvia, sed ita ut species sit classis quædam individuorum unius originis, quæ fixe, absolute, quovis tempore ab alia classe diversæ originis separatur, et quorum individua inter se quidem in indefinitum fœcunda, cum aliis vero diversæ classis non sint indefinite fœcunda; tum quidem, hac definitione admissa, quæstio a priori quasi soluta est. Et ita nonnulli confutare se posse evolutionismum putant, et argumentum proponunt hac vel simili forma: Ad suam thesim demonstrandum, deberent evolutionistæ demonstrare in vegetali animalique regno per causas ab ipsis citatas produci posse atque insuper productas esse non tantum novas in speciebus stirpes, sed etiam novas species, i. e. categorias novas, quarum individua, ubi cum individuis categoriæ, a qua originem ducunt, copulantur, infœcunda sunt aut saltem non perpetua fruuntur fœcunditate. Atqui hoc probare nequeunt, imo experimenta videntur demonstrare oppositum. Ergo. Ast, objici potest distingui posse majorem, et contradistingui minorem, pro duplici sensu indicato quo definitur species. Si hoc sensu absoluto sumatur, ut modo explicatum est, stringit quidem argumentum. Non vero, si definitio speciei sensu restricto et magis relativo, ut supra, intelligatur: tum enim probari non deberet individua cum illis, a quibus proxime originem ducere eadem videmus, non esse indefinite saltem fœcunda, dummodo cum aliis sint infœcunda, a quibus nunc quidem ea descendere non videmus, imo potius a diversis, sed quibuscum tamen communem ortum tandem ab antiquo stipite habeant. Si hoc ultimum sufficientibus indiciis probetur, non stringit allatum argumentum.

Si quis adhuc objiciat se non intelligere valere, quomodo esse possit ortus communis cum distinctione speciei, cui supponitur origo proxime diversa: dicemus id intelligi reapse

non posse, si definitio speciei sumatur sensu absoluto. Si vero sensu minus absoluto, quem supra indicavimus, jam non est contradictio inter hæc duo: esse communis originis, et distingui nihilominus specie. Videlicet pone, in exemplo cuniculorum, prius duas stirpes infœcundas inter se, postea vero nova evolutione ex ipsa stirpe Porto-Santo rursus novas stirpes, quarum tandem iterum duæ sint ita diversæ ut sint inter se steriles, hæ jam merito diversæ speciei ab europæis habebuntur. Nam licet ortus tandem communis sit ex europæis, proxime tamen origo diversa est, cum europæi cum aliis sint infœcundi; adeoque individua harum stirpium sunt ejusdem originis, diversæ vero cum europæis, et tantummodo inter se, non cum europæis, sunt indefinite fœcunda.

Ex quibus omnibus concludimus et speciem rite definiri posse, idque contra evolutionalistas; et speciei definitione posita, dummodo sensus retineatur, quem dedimus, quæstionem tamen inde non esse solutam, idque contra certos evolutionismi adversarios: quamquam in illa fixitate specierum, saltem relativa, quæ in definitione nostra continetur, grave præjudicium adversus evolutionismum videmus, et hucusque videre malumus quam certum argumentum, ne a priori quasi, et ex sola definitione rem decidere velle videamur; de qua definitione potius quærendum manet, ex ipsa natura rerum et observatione factorum, an debeat aut possit sensu absoluto, litis decisorio, sumi.

Interim, nemo miretur hæc longa præambula de notione speciei, cum apud auctores, tum evolutionistas, tum eorumdem adversarios, maxima soleat esse hac de re confusio. Apud naturalistas quidem modernos, vere incredibile est quantus sit defectus logicæ; quanta egestas notionum, terminorum confusio et inaccuratus usus, quanta dialecticæ regularum ignorantia vel neglectio.

363. Igitur merito hypothesim et argumenta evolutionismi ulteriori examini nunc subjiciemus, intelligendo evolutionismum restrictum, scilicet, supposita ab una parte vita, ab altera vero parte seposito homine.

Intra hos limites, prius considerabimus an et quæ evolutio specierum sit admittenda intra idem regnum, vegetale et animale. Si enim vel illa inveniatur rejicienda evolutio, jam quæstio absoluta erit: si vero admittenda, tum ulterius quærendum maneret de transitu a vegetali ad animal.

In limine hujus examinis, merito attenditur quod supra n. 351 obiter advertimus, non esse omnino confundendum darwinismum cum transformismo seu evolutionismo, quod originem specierum attinet. Neque enim Carolus Darwin auctor fuit hujus evolutionismi, cum plures ante ipsum, inter quos unus ex majoribus ejus, nomine Erasmus Darwin, hujusmodi evolutionismum proposuerint. Præterea, C. Darwin hunc quidem docuit et propugnavit (1), sed, cum multa diversa argumenta in favorem illius invocentur a variis, multiplicesque causæ evolutionis indicentur, C. Darwin speciali theoria eum defendit, et ad explicandam evolutionem indicatis causis peculiaribus, nempe theoria selectionis naturalis, de qua suo loco; unde fit ut qui darwinismum hunc stricte dictum confutarit, iste nondum evolutionem specierum everterit, cum argumenta adversus theoriam Darwin, non eo ipso adversus evolutionismum generatim valent; inde fit quoque ut nonnumquam citetur aliquis auctor, evolutionismo valde addictus, tamquam ejusdem adversarius, quia nempe theoriam Darwin non admittit aut et confutat (2). Hæc igitur theoria Darwin pars tantum est, eaque magis explorata, hujus vastæ quæstionis evolutionismi, relate ad originem specierum, et evolutionismo quidem novum dedit impulsum Darwin, sed et ex observationibus ac experimentis postea factis, argumentisque productis lucrum fecit, ita ut evolutionismus relate ad originem specierum passim et darwinismus dictus sit. Insequentes tamen evolutionistæ selectionem naturalem non habuerunt nisi ut unam partialem

---

(1) Integralem autem evolutionismum seu monismum, quem extra quæstionem relinquimus, C. Darwin non videtur unquam professus esse. Certo, initio tenuit species vegetalium et animalium ex quibusdam typis primitivis, a Deo creatis, derivare. Postea quidem, ad id eum impellentibus ejus sequacibus, Deum creatorem tacuit et evolutionem nimis extendit, ad hominem scilicet usque; attamen se numquam atheum fuisse aliquando protestatus est, seque credere evolutionismum non esse cum fide in Deum incompossibilem. Omnes agnoscunt C. Darwin fuisse virum indolis rectæ et honestæ, minime fanaticæ, atque observatorem sagacissimum.

(2) Ita, v. g. Yves Delage, *La structure du protoplasme*, p. 371 et sqq., hypothesim darwinisticam confutat, cum ipse sit evolutionismi sectator, alia nempe via originem specierum per evolutionem explicans, vid. præsertim p. 813-826.

quamdam ex multis concausis, cui debeatur specierum origo. Ut omnis hac in re confusio vitetur, satius esset systema hoc modernum simpliciter vocare theoriam seu hypothesim ortus communis (de la descendance commune) specierum.

364. Itaque jam videamus quibus factis hæc hypothesis nitatur, et crisim instituamus argumentorum in ejus favorem productorum, his inclusis quibus speciatim stricte dicta theoria C. Darwin propugnatur.

Ut logice procedatur, quod vix a naturalistis factum reperies, primo fundamentum hypotheseos inspiciamus, quod quidem omnino primum ac proprium fundamentum aliud non est, nec vero esse potest, quam plasticitas, ut ajunt, viventis, seu variabilitas qua sese sub respectu morphologico, physiologico, imo et psychologico evolvere valeat vivens. Sed tota quæstio est quousque se extendat hæc plasticitas. Certo, ut vidimus, ad stirpes usque efformandas, sed quæritur nunc utrum ulterius, nempe ad species.

Quæ quidem quæstio ut solvatur, jam secundo, processus logicus petit, antequam inquiratur de modo quo varietas aliqua fixa et permanens efficitur, et ad posteros transit atque augescit, prius definiatur modus, quo producitur variatio, nempe sub quo influxu, et secundum quam legem.

Jamvero, varias causas, tum intrinsecas tum extrinsecas afferunt, quibus debeatur variatio, videlicet: influxum circumjacentis medii *(influence du milieu)* (1), simul cum facultate quadam intrinseca *adaptationis*, cujus et mimetismus (2) testis

---

1 Quædam exempla, inter plurima: L'érythrine (crête de coq) est un arbre dans le nouveau continent, elle devient une herbe sous notre climat; le réséda, annuel chez nous, est un arbuste en Egypte. Le chien transporté dans les régions du cercle polaire, se couvre d'une chaude fourrure de poils épais; à l'équateur au contraire il perd ses poils. La couleur aussi des poils ou de la fourrure change suivant les climats. Dans les pays froids de l'Amérique, le porc prend une toison laineuse. Par contre le mouton, transporté sous un climat chaud, perd sa laine et se couvre de poils; en Guinée, les moutons ont un poil clair ou noir, comme les chiens, etc. L'homme lui-même, en changeant de climat, subit des variations de teint, de taille, d'ossature, etc. La formation de la race Yankee en est une preuve.

2 Mimetismus, quem præprimis R. Wallace accurate exploravit, ea mira facultas est, qua quædam animalia, præsertim insecta, quasi mimi et tamquam personata imitari valent apparentiam externam alicujus objecti vel alterius animalis, ut facile cum his confundantur, et sic hostibus suis occultentur.

est, et qua non tantum character morphologicus et anatomicus sed et instinctus ipse mutatur. Ita v. g. quanta varietas aptitudinum inter varias stirpes canum.

Alii naturalistæ majorem influxum tribuunt medio circumstanti, quam adaptationi activæ organismi. Ita Geoffroy-Saint-Hilaire, qui influxum ab extrinseco maxime in embryonem recognoscebat. Alii in vivente jam perfecto reactionem organismi in medium circumjacens plurimum efficaciæ tribuunt, ut Lamarck, cui magni momenti videtur ista adaptatio et reactio, qua organum usu frequentiori et nisu fortiori incrementum et vires sumit, dum aliud e converso non usu debilitatur et tabescit. Adde et sic dictam legem *corelationis*, vi cujus, dum unum organum mutari contingit, et alia solent mutari, imo et totus quandoque organismus, id postulante harmonia inter partes totius. Sic columbæ, quarum rostrum porrectum fuerit, et pedes quoque longiores effecti sunt; et porci ac boves crura habentes correpta, simul et caput correptum ac truncatum habebunt.

Hæc omnia de influxu medii C. Darwin minoris momenti habet, cum, ait, videamus in eodem circumjacente medio diversas, in diversis vero mediis easdem contingere modificationes. Ipse vero de *productione* proprie varietatum parce loquitur, et tandem fatetur singulas quidem variationes suas causas determinantes habere, plane vero impossibile esse eas causas definire. Re quidem vera, nemo hucusque causas productionis varietatum definire potuit.

365. Quod jam leges attinet, secundum quas producantur varietates, multo adhuc parcior est scientia, et vel nihil dicunt naturalistæ, vel ad eventum fortuitum recurrunt, quod quidem idem est ac legem negare, vel saltem ignorantiam legis fateri. Quædam facta magis reguraliter recurrentia in productione varietatum varii enumerant, quas leges proprio nomine appellare merito plerique nolunt (1). Necesse tamen est esse hujusmodi leges, præsertim si species evolutione oriri dicantur, cum ordo perfectus conspiciatur tum in partibus cujusque organismi, tum in relationibus et gradibus specierum inter se.

Cæterum, ubi de prima productione varietatum quæritur,

(1) V. Yves Delage, op. cit., p. 234.

nemo causam aliquam efficacem assignare potuit, qua varietas *specifica* extemplo producatur. Neque hic usui est selectio naturalis Darwin, utpote quæ varietatem non producit primum, sed jam productæ, vi quadam eliminandi et conservandi, fixitatem tribuere nata est, eamque invalescere facit. Nullum exemplum est, nullum factum quo constet speciem aliquam novam primum productam fuisse.

366. Unde jam pergimus ad alteram quæstionem de modo quo varietates fixæ ac permanentes fiunt, adque posteros transeunt, atque in his invalescunt; an forte varietas intra limites speciei, non ultra, ut vidimus, producta, ita invalescat ut nova species oriatur.

Et hic quidem theoriæ darwinisticæ proprie locus est. Cum enim antecessores Darwin causam qua varietates fixæ jam et permanentes fierent atque magis invalescerent generatim et summarie indicarent hæreditatem, ut Lamarck, meritum Darwin fuit accuratissima analysi et ingenti copia documentorum atque observationum hanc partem evolutionismi elucidare. Anvero hoc assecutus est ut demonstraret varietates, quocumque tandem modo primum productæ sint, reapse ita invaluisse ut novæ species orirentur, aut saltem invalescere posse ita ut possibilis sit hujusmodi origo specierum? Ad primum, scilicet ita ut de facto constet sic ortas esse species, respondent omnes negando: fatentur enim omnes, tum darwinistæ, tum universim evolutionistæ *factum* ortus communis specierum non demonstrari, suasque explicationes esse tantum hypotheses quibus possibilitatem, vel et verosimilitudinem ac probabilitatem ostendant ortus communis specierum. Igitur ad secundum, de possibilitate atque probabilitate ortus communis specierum, prout a Darwin explicatur, inter ipsos evolutionismi sectatores non convenit, aliis theoriam Darwin summo studio amplectentibus, aliis eamdem ut saltem inefficacem respuentibus. Itaque primo theoriam C. Darwin examinemus, deinde et alias evolutionistarum explicationes ad trutinam revocemus.

(Continuabitur).

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Januarii 1904

—

I

Explica procemium evangelii S. Lucæ C. I, 1-4.

II

Præmissa notione causæ exemplaris expone quænam fuerit causa exemplaris mundi.

III

Caius, hæres ab intestato, promittit Petro testatori, se soluturum legata, etiamsi testamentum irritetur.

An et quare ista promissione obligatur Caius?

IV

Titius hæres invenit schedulam a defuncto conscriptam, continentem quædam legata pia; dubitat vero utrum illa schedula ultimam testatoris voluntatem exhibeat, vel quia forte merum propositum indicat, vel quia forte fuit revocata.

An Titio imponenda est obligatio solvendi legata?

V

Quomodo sub jure nostro definitur venditio? Breviter explica responsum.

VI

Prouvez par l'examen des articles 13 et 14 du Concordat, que les traitements des ministres du culte constituent une dotation civile subrogée aux biens ecclésiastiques aliénés par le Gouvernement pendant la révolution.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Octobris propositas.

—

I

Q. *Explica Sap. III, 1-9.*

R. Hic locus quem Ecclesia merito martyribus applicat (in epistola Missæ *Intret*), describit remunerationem quam accipiunt justi in altera vita.

Justorum vita functorum *animæ in manu Dei sunt*, sub speciali ejus protectione, *et non tanget illos tormentum.* In textu latino interpolatum est aliquid; scil. in plerisque codicibus *mortis*, et hæc lectio retinetur in Vulgatæ editione Clementina; in aliis vero *malitiæ* (hic valet *pœnæ*) et hæc lectio servatur in offertorio missæ *Salus autem.* — *Visi sunt oculis insipientium* seu judicio impiorum *mori,* melius: mortui esse, penitus interiisse; et *exitus illorum* ex hac vita *æstimatus* est infelicitas *et quod a nobis est iter*, recessio e medio nostri reputata est *exterminium* sive annihilatio. Cf. II, 1-5. *Illi autem sunt in pace*, felicitate fruuntur.

Et si coram hominibus h. e. judicio hominum *tormenta passi sunt,* tamen *spes illorum immortalitate plena est* seu certam habent spem immortalitatis. Duobus dein versiculis exponitur cur Deus permittat justos *tormenta pati. In paucis vexati, in multis bene disponentur;* melius: paululum castigati, magnopere remunerabuntur (cf. Rom. VIII, 18; 2 Cor. IV, 27); error Vulgatæ eo explicatur quod legerit εὐθετηθησονται loco εὐεργετηθήσονται; — *quoniam Deus tentavit* probavit *eos et invenit illos dignos se,* dignos qui cum ipso sint. *Tamquam aurum in fornace probavit illos et quasi holocausti hostiam accepit illos;* græce ὡς ολοκάρπωμα θυσίας; sensus est: bene eos accepit tamquam holocaustum quod erat omnium sacrificiorum perfectissimum.

Sequitur mercedis descriptio. Corruptio videtur accidisse in Vulgata: delendum est verbum *est, respectus* intelligendus est in genitivo et *in tempore* jungendum est cum *fulgebunt*. Ergo: *Et in tempore respectûs* sive visitationis (i. e. judicii vel remunerationis cf. v. 13 ubi dele *sanctarum*) *illorum fulgebunt*, sicut in græco καὶ ἐν καιρῷ ἐπισκοπῆς αὐτῶν ἀναλάμψουσιν. *Et tamquam scintillæ in arundineto* (juxta græcum in stipula sive in palea) *discurrent*; intellige: erunt sicut scintillæ discurrentes. Notatur claritas et celeritas animarum post mortem; quo jure plures intelligant de iisdem dotibus corporum post resurrectionem universalem non videmus. *Judicabunt nationes et dominabuntur populis* (cf. Dan. VII, 22; Eccli. IV, 16) *et regnabit Dominus illorum in perpetuum*. Per græcismum *regnare* construitur cum genitivo *illorum* loco *super illos*, cf. 1 Mach. XII, 39 *cum cogitasset Trypkon regnare Asiæ*. Hæc subjectio erga Deum non impediet quominus et ipsi regnent, nam servire Deo regnare est. *Qui confidunt in illo intelligent* experientur *veritatem* horum quæ dicta sunt de futura sorte justorum, *et fideles in dilectione acquiescent illi*, προσμενοῦσιν αὐτῷ, i. e manebunt apud ipsum; alii jungunt *in dilectione* cum *fideles* hoc sensu: qui constanter dilexerunt eum; alii forsan melius nectunt *in dilectione* cum *manebunt; quoniam donum et pax* melius gratia et misericordia *est electis ejus;* deest in versione latina membrum parallelum quod juxta multos græcos codices sic habet: *et retributio est sanctis ejus*, cf. IV, 15.

A. D. B.

II

Q. *Præmissa notione amoris* concupiscentiæ *et amoris* benevolentiæ, *expone utrum et quare Deus creaturas amet amore* concupiscentiæ *an amore* benevolentiæ.

R. I. Distinctio inter amorem concupiscentiæ et amorem benevolentiæ adhibetur *dupliciter:* primo qui-

dem secundum *terminos duos* actus amoris, deinde ut designentur *duo actus* amoris specifice diversi.

Quæ paucis sunt explicanda. 1. Omnis actus amoris in duo tendit, scilicet in bonum *quod* quis vult et in subjectum *cui* quis hoc bonum vult: amare enim est **velle *bonum alicui* (1).**

Porro amor, quatenus terminatur ad bonum *quod* quis vult, dicitur *concupiscentiæ;* amor, quatenus terminatur ad subjectum *cui* quis vult bonum, dicitur *benevolentiæ* (2). Ita v. gr. quando aliquis sibi desiderat scientiam, tunc scientiam amat amore concupiscentiæ, seipsum amore benevolentiæ; quando aliquis desiderat scientiam alteri (unice ut hic alter illo bono gaudeat) tum iterum scientiam amat amore concupiscentiæ, **alterum amore benevolentiæ (3).**

Attamen amor *aliter* terminatur ad bonum *quod* quis vult et aliter ad subjectum *cui* quis bonum vult. Etenim subjectum *cui* volumus bonum amatur secundum se et propter se, in eoque sistit amor; sed id *quod* volumus amatur non secundum se et propter se sed *propter alterum* scilicet ut alii enti hoc bonum adveniat. Inde dicit S. Thomas: « Amor quo amatur aliquid ut *ei* sit bonum est amor *simpliciter;* amor autem quo amatur aliquid *ut sit bonum alterius* est amor *secundum quid* » (4).

2. Eadem distinctio plerumque adhibetur ad designandos *duos actus* amoris secundum quos amans se

---

1 Inde distinctio inter finem *qui* et finem *cui*: cf. *Collat. Brug.*, T. II, p. 63; De Jaegher, *Institutiones Philosophicæ*, Kollarii, 1900, n. 289.

2 Amor benevolentiæ dicitur etiam amor *amicitiæ*, quia amico aliquis vult bonum; attamen amicitia proprie dicta addit supra amorem benevolentiæ « quod sit benevolentia *mutua, mutuo cognita*, et *fundata in communione boni* ». *Collat. Brug.*, T. VII, p. 316.

3 Quum omne bonum quod volumus necessario velimus alicui, ideo nullus amor concupiscentiæ est quin sit etiam benevolentiæ; et rursus quum non possimus amare subjectum quin ipsi aliquod bonum velimus, ideo nullus amor benevolentiæ est quin sit etiam concupiscentiæ.

4 I-IIæ, Q. XXVI, a. 4 — Hæc quæ hucusque exposimus docet S. Thomas I, Q. XX, a. 1 ad 3 et I-IIæ, Q. XXVI, a. 4; cf. Cajetanus, *Comment.* in hh. ll.

habere potest ad amatum: nempe *concupiscentiæ* dicitur amor quo quis *sibimetipsi* vult bonum, et *benevolentiæ* dicitur amor quo quis *alteri* vult bonum. Ita v. gr. si quis desiderat Deum ut Ejus possessione evadat *ipse* beatus, amat Deum amore concupiscentiæ; sin autem quis complacet sibi in Deo *quia* est in se infinitum Bonum et gaudet de hac infinita Dei perfectione, tunc amat Deum amore benevolentiæ. Si quis desiderat et curat sanitatem servi sui ut commodum ex ejus servitio percipiat, tunc servum amat amore concupiscentiæ; si e contrario servi sanitatem desiderat et curat unice ut servus gaudeat bona valetudine, sic servum amat amore benevolentiæ (1).

II. Quando inquiritur utrum Deus creaturas amet amore concupiscentiæ an amore benevolentiæ, hæc distinctio plerumque intelligitur sensu quem secundo loco exposuimus. Quæstioni sic propositæ respondetur:

Deus amat creaturas amore *benevolentiæ*, scilicet actus amoris quo Deus prosequitur creaturas est actus amoris benevolentiæ. Ratio est quia Deus in tantum amat creaturas in quantum vult ut bonitas divina *communicetur aliis;* Deus nequit velle *sibi* aliquod commodum, aliquod beatitudinis augmentum ex creaturis: consequenter non *sibi* concupiscit creaturas.

Sed si actus divini amoris considerantur *termini*, tunc datur locus distinctionis adhibitæ sensu quem primo loco exposuimus. Etenim creaturas *irrationales* in tantum vult Deus in quantum illas ordinat in commodum creaturarum intellectualium: ergo amor Dei terminatur ad creaturas irrationales tamquam ad bonum *quod* vult *aliis:* ergo Deus creaturas irrationales amat amore *concupiscentiæ*, quatenus illas *aliis* concupiscit (2). E contrario amor Dei terminatur ad

(1) Cf. de his notionibus *Annotat. in tr. de virt. theol.*, Illmi ac Revmi Waffelaert, præsertim nn. 385 et 386.

(2) Hæc docent S. Thomas in III, D. XXXII, Q. I, a. 1, ad 1 et 2; I, Q. XX, a. 2, ad 3; Toletus, in I, Q. XX, a. 2; Sylvius in I, Q. XX, a. 2. —

creaturas intellectuales tamquam ad personas *quibus* Deus vult bonum, et illæ non ordinantur in utilitatem aliorum: ergo Deus intellectuales creaturas amat amore *benevolentiæ,* non concupiscentiæ.

Conclusio. Species amoris quo Deus amat creaturas collective sumptas est amor *benevolentiæ:* nam Deus amando creaturas unice intendit *suam* bonitatem *communicare aliis:* ille autem amor *benevolentiæ terminatur* ad creaturas *intellectuales* quia ipsis solis Deus *simpliciter* vult bonum; irrationalia vero in tantum vult Deus, et illis bonum vult, in quantum cedunt in utilitatem intellectualium: ideo Deus *concupiscit irrationalia* intellectualibus, et consequenter ad irrationalia habet amorem concupiscentiæ.

Nota. Propositæ quæstioni inepte respondetur dicendo: « Deus amat creaturas tum amore *benevolentiæ*, quia creaturis communicat suam bonitatem citra suam utilitatem; tum amore *concupiscentiæ* quia creaturas ultimo refert ad suam gloriam ». Hic supponitur Deum *sibi* concupiscere creaturas quatenus hæ tribuant gloriam sibi. Hoc est omnino falsum: licet creaturæ ordinentur ad gloriam Dei extrinsecam, tamen hæc gloria non est bonum cujus *desiderio* Deus movetur ad creandum (1): Deus intendit gloriam suam non tamquam bonum *sibi acquirendum* sed unice tamquam communicationem suæ bonitatis: gloria formalis, quam

---

Apud S. Thomam leguntur hæc « Deus proprie loquendo non amat creaturas irrationales amore amicitiæ sed amore *quasi concupiscentiæ* » I, Q. XX, a. 2, ad 3. Hoc vocabulum *quasi* omittitur in uno codice et in quibusdam editionibus; sed si admittitur hoc vocabulum scriptum fuisse a S. Thoma non inde exsurgit difficultas contra ea quæ supra exposuimus: explicatur enim hoc vocabulum *quasi* dicendo quod S. Thomas voluit indicare aliter in Deo haberi concupiscentiam et aliter in nobis, et præprimis removendam esse a Deo omnem imperfectionem quæ importari videtur nomine *concupiscentia,* v. gr. anxietatem desiderii.

(1) Cf. S. Thomas, in II, D. I, Q. I, a. 1; I, Q. XLIV, a. 4; S. Bonaventura, in II, D. I, P. II, a. 2, Q. 1; Einig, *De Deo Creante,* Treveris, 1898, p. 33.

tribuunt Deo creaturæ rationales, est summa communicatio divinæ bonitatis (1): igitur Deus nullam creaturam *sibi* concupiscit.

J. V. D. M.

III

Q. *Ostende jus testandi et jus hæreditariæ successionis quoad substantiam e jure naturæ orta esse.*

Prænota I. *Circa statum quæstionis.* Intentio quæstionis est ut accurate definiatur qua ratione hæreditas seu successio, prout est modus derivatus acquirendi dominii, sit e jure naturæ oriunda. In hac autem successionis materia distinguimus *jus testandi* i. e. jus de bonis suis testamento pro tempore mortem consequente disponendi, et *jus hæreditariæ successionis* i. e. jus familiæ etiam ab intestato succedendi in bona defuncti.

De successione hoc modo definita *quæritur e quonam jure ortum duxerit.* Sat magna autem in hac quæstione viget sententiarum diversitas, tùm quoad jus hæreditariæ successionis familiæ, tùm præsertim quoad facultatem testandi (2). Adhæremus autem sententiæ quæ tenet utramque hæreditatem, quoad substantiam, ab ipso jure naturæ oriundam esse. — Dicimus *quoad substantiam.* Etenim cùm ex una parte lex naturalis in præsenti materia plura ambigua et prorsus indeterminata reliquerit; cùmque ex alia parte bonum societatis domesticæ ac civilis postulet ut etiam in specie utrumque jus determinetur, solaque auctoritas publica hanc ordinationem rite præstare possit, ultro admittimus varias

(1) Cf. Jungmann, *De Deo Creatore*, n. 65.

(2) Cfr. Carrière, *de Just. et jure*, Parisiis, 1839, Tom. II, p. 116 ss. — Cathrein, *Moralphilosophie*, Freiburgi B. 1899, T. II, p. 327, ss. — Vermeersch, *Quæst. de justitia*, Brugis 1901, p. 290 ss. *Jus* tamen ipsum, cujusvis sit naturæ, omnium auctorum consensu, omniumque gentium usu sancitur, solis socialistis hodiernis contradicentibus.

determinationes juris testandi atque hæreditariæ successionis *e jure positivo civili* esse repetendas (1).

II. *Circa modum probationis et naturam argumentorum.* Demonstratio non est immediata, quatenus sc. ut necessarium argumentationis fundamentum *præsupponit* triplicem institutionem: jus sc. proprietatis privatæ (*Coll. Brug.* T. I, p. 600 ss.), familiam atque societatem civilem e jure naturæ esse profecta. Probatio enim hoc **argumento generali compendiose** exponi potest:

E jure naturæ ortæ sunt proprietas privata, familia atque societas civilis.

Atqui hæ tres institutiones juris naturæ postulant jus testandi et successionem hæreditariam quoad substantiam.

Ergo jus testandi et successio hæreditaria quoad substantiam oriunda sunt e jure naturæ.

Majorem in jure naturali probatam supponimus (2); *minorem* hîc probamus.

II. **Probatio.** *1er Pars:* Ipsum jus naturale requirit ut in societate existat aliquod jus hæreditatum, sc. **disjunctive** vel jus testandi vel successio hæreditaria ab intestato (3).

Etenim, si in statu præsenti, ipso jure naturæ sancitur jus proprietatis privatæ, eodem jure existere debet aliquod jus hæreditatum seu aliqua transmissio bonorum defuncti.

Nimirum fines illi propter quos natura ipsa, in præsenti generis humani statu, moraliter necessario postulat dominium privatum, parum efficaciter vel nullo modo attingerentur, nisi existat vel jus testandi vel successio ab intestato.

---

(1) Cfr. Ills ac Revs Waffelaert, *De Justitia*, Brugis, 1885, p. 199, ss. — Vermeersch, *o. c.*, p. 209 ss.

(2) Cfr. v. g. Cathrein, *Moralphilosophie*, Freiburgi B. 1899, 2 vol. — Ferretti, *Institutiones philos. moralis.* Romæ 1895, 3 vol. — Castelein, *Droit naturel*, Namur, 1903 — Meyer, *Institut juris nat.* Friburgi B. 1900, 2 vol. etc., etc. — Quoad jus proprietatis privatæ, cfr. *Coll. Brug.* Tom. I, p. 600 ss.

(3) Cfr. Vermeersch, *l. c.*

Suppresso enim hoc jure, bona defunctorum vel derelicta haberentur vel addicerentur Statui. Prius autem, ut facile apparet, stare nequit cum statu pacifico et ordinato quem ipsa natura in humana societate requirit. Infinitæ enim forent cupiditates, rixæ et turbæ de bonis istis vacuis occupandis. Quare solet etiam hodierna lex cavere ut res immobiles quæ domino careant, fisco reapse cedant (1). — Alterum vero (quo bona defunctorum addicerentur Statui) mox induceret bonorum communismum vel collectivismum qualis ostenditur ab ipsa natura improbari, in qua nempe deficeret tùm stimulus arduo continuoque labori rebus producendis impendendo necessarius (2); tùm etiam ordinata laboris distributio ut omnium vitæ naturalis atque socialis hominum necessitatibus satisfiat requisita; tùm denique status socialis pacificus.

Si igitur, quod indubium est, jus proprietatis privatæ sancitur a natura, sancitur pariter a lege naturæ jus quoddam hæreditatum.

2da *Pars*. Imo, quoad substantiam, a jure naturæ sanciri videtur:

I. **Jus testandi**. Ut enim eleganter arguit R. P. Cathrein, suppresso hoc jure, non satis obtineretur bonum tum personæ proprium, tum familiæ, tum societatis, propter quod proprietas privata est necessaria. *Singulæ personæ*, eæ præsertim quæ liberis carent, vix excitarentur ad vitam frugi et operosam; — opportuna accommodatio bonorum ad *familiæ* necessitates variam postulat patrimonii distributionem: hæc quomodo debite peragetur nisi parentum testamento, quo simul salutaris habetur auctoritatis paternæ confirmatio ac sanctio? — inter dispositiones denique quibus bona

(1) Ità fere Vermeersch, *o. c.*, p. 293.

(2) Si enim nulla spes foret relinquendi bona propinquis, quis non videt futurum esse ut industria, labor atque parcimonia penitus languescerent?

temporalia toti prosint *societati*, non infimum locum occupant impensæ in finem pium vel generalis utilitatis: quis autem voluerit pecunias in hujusmodi usum seponere, nisi testamento definire possit in quodnam opus sint erogandæ (1)?

« *Neve diveris* hoc incommodum vitari posse, si quis de suis bonis disponat per donationem inter vivos, mortis eventum præveniendo. Nam tale medium semper esset æque incertum ac mortis dies, quæ etiam juveni imminere potest, et proin ad illum finem quasi per accidens tantum sufficeret, semper gravissimum onus proprietariis imponeret pro reliquo vitæ tempore qualicumque se ipsos spoliandi » (2).

Quod si objicitur, ait Marres (3), hominem vita jam defunctum neque facultatem, neque voluntatem habere dominium transferendi, respondetur testamentum esse voluntatem viventis: vivens facultate sua dominium transferendi utitur; solummodo quod vivus decrevit, illud post illius tantum mortem executioni mandatur.

II. **Hæreditaria familiæ successio**, etiam ab intestato.

« Quamvis ultro demus... vivo patre familias, ne filios quidem per se aliquam patrimonii partem simul cum patre possidere, *naturalem tamen contendimus haberi surrogationem familiæ in locum defuncti domini*. Etenim:

a In *illis* saltem quis non videt naturalem continuationem personæ parentum? Hæc autem personæ continuatio nonne per se exigit continuationem possessionum quæ, ut subsecivum quid, personæ erant adjunctæ?

b Quin imo, *consanguinei omnes* repræsentant communem auctorem. Inde familiæ unitas moralis, communio quædam laudis et invidiæ, culpæ et meritorum. Nonne ex his pronum est concludere aliquam patrimonii societatem qua fit ut, mortuo domino, bona ista addicenda sint iisdem personis consanguineis, quæ domino

(1) Ità ad verbum fere Vermeérsch, *o. c.*, p. 294.
(2) Meyer, *o. c.*, T. II, p. 196 s.
(3) *De Just.* Vol. I, Ruræmundæ 1889, n. 260.

vivo erant, ut omnes fatentur, ex illis ante extraneos juvandæ?

c/ *Ex uno patrimonio aluntur* qui maxime cum domino sunt conjuncti; eodemque fit potissimum ut familia certum obtineat ordinem in societate. His positis: α/ Suppressa hæreditaria successione, nisi testamento ipsi sit cautum, *familia per se e statu suo deficeretur*. Hujusmodi autem ruinæ, ut bono communi adversæ, nequeunt per se oriri ex ordine a natura constituto. Talem igitur postulat natura ordinem in quo sit hæreditaria familiæ successio. β/ Nequit dici ista bona, defuncto domino, non magis referri ad familiam quam ad extraneos. Actu enim erant familiæ usui. Servituti autem rei inferioris respondet aliqua prævalentia personæ, aliquis animus dominandi, qui, ex imperfecto, transit, mortuo domino, in absolutum. Paucis, *ità jam bona erant conjuncta cum familia, ut nihil obesse videretur veræ occupationi nisi prævalens jus illius a quo propriè possidebantur. Remoto hoc obstaculo, ipsa occupatio peritcitur*. Unde hoc etiam modo argui posset:

Ob factas rationes, *ex personali cum domino conjunctione et ipso bonorum usu*, in comperto est a natura res ita esse dispositas ut familiæ competeret quædam prævalentia quoad istud patrimonium, ut bona quibus constat jam speciali vinculo ad ipsam referrentur.

Quæ cum ita sint, mortuo domino intestato:

Vel abrumpendum est illud vinculum, vel confirmandum est concessa successione.

Prius autem est violentum, repugnat alicui ordini jam constituto, et bono adversatur communi. Restat ergo ut alterum sit a natura institutum. Hoc ceterum eo confirmatur quod usus rei vacuæ cum animo domini soleat esse titulus juris. Si ergo, mortuo domino, proxime conjuncti velint habere res ipsis jam aliqua ratione addictas, id satis erit ut perfecto potiantur titulo juris » (1).

(1) Ità præclare disserit Vermeersch. *o. c.*, p. 204 s.

Cui argumento *a priori* accedit ratio *a posteriori* deducta *ex facto universali et constanti* quod sc. nullibi unquam familia absque hæreditaria successione exstiterit vel existit. Duplex hoc æque universale factum etiam indicat illud eodem universali juris naturæ fundamento niti.

A. C.

IV

Q. *Declara quamnam vim in conscientia habeat legislatio nostra, in universum sumpta, circa jus testandi et successiones.*

R. *Legislatio nostra circa jus testandi et successiones in universum sumpta, generatim obligat in conscientia tanquam regula morum præcipiens vel prohibens vi sua obligans, et generatim ex justitia stricte dicta quidem, cùm generatim determinet jura et sit translativa proprietatis* (1).

Explicatio. 1/ *Legislationem nostram civilem circa jus testandi et successiones* (*Cod. Civ.* Livre III, Titre I et II) *in universum* seu in globo consideramus, et omisso judicio quod de ea sub respectu juridico, politico et æconomico ferri oportet, *inquirimus utrum vim habeat in conscientia.*

2/ Evidens autem est legislationem illam, generatim sumptam, *vim in conscientia habere.* Etenim a/ *legislator civilis in propria materia sibi subjecta remansit.* Nam, ut q. præc. resolvimus, jus testandi ac hæreditariæ successionis quoad substantiam tantùm e jure naturæ ortum habet, ità ut in hac materia lex naturalis plura indeterminata et ambigua reliquerit. Bonum autem societatis domesticæ ac civilis, cujus cura civili potestati incumbit, ut utrumque jus determinetur enixe

(1) Cfr. Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *Tract. de Just.*, Brugis 1885, T. I, p. 223 s.

postulat, quod cæteroquin sola auctoritas publica efficaciter præstare potest. Proprio igitur munere ac officio fungitur legislator civilis ordinem naturalem, in multis ambiguum et obscurum, positiva lege interpretando, privatorum voluntati deficienti quasi supplendo, vel ipsam ne a boni domestici ac publici tramite deflectat, impediendo.

Jamvero, b/ *legislator noster civilis, generatim loquendo, convenienti modo jus naturale complevit neque probatur eum limites suæ potestatis excessisse* (1), licet de singularibus quibusdam dispositionibus dubium moveri possit (2). — Cæterum, ad hæc dubia solvenda quod attinet, hæc duo sunt sedulo animadvertenda. *Primò*, in dubio utrum legis quoddam peculiare statutum juri naturæ sit conveniens et vergat in bonum commune, præsumendum est pro legislatore, et si in casu non devenitur ad certitudinem moralem non valoris seu repugnantiæ juri naturali, standum est legi atque obediendum (3). *Secundò* « Ab injustitia morali legis, sedulo discernenda est ejus imperfectio politica; hæc enim, qualiscumque sit, subditos non eximit ab onere legem servandi; satius quippe est populo imperfectioribus legibus uti quam nullas habentem, aut habitas spernentem, in anarchiam incidere » (4).

---

(1) Cfr. Ills ac Revs Waffelaert, *l. c.* (Non excessit legislator limites suæ potestatis) « neque in determinando *ordine successionis*, exceptis forte de quibus dubium infra occurret; neque æquale jus tribuendo omnibus æque propinquis defuncto; licet enim jus naturale *suadeat* ut filii filiabus, major natu cæteris præferantur, hoc tamen certo et absolute non jubet; neque aufertur absolute parentibus facultas favendi uni ex liberis, cod. civ. art. 913. Major forte difficultas est in eo quod pater filium indignum hæreditate omnino privare nequeat, sed fere hac in re valent quæ suprà n. 115, 3o disputavimus » (sc. si in casu non devenitur ad certitudinem non valoris, præsumendum est pro legislatore, et obediendum).

(2) Præcipua dubia singillatim expendit Ills ac Revs Waffelaert, *o. c.*, p. 224 ss.

(3) Cfr. Ills ac Revs Waffelaert, *o. c.*, T. I, p. 88. — Id. *Etude de théol. mor. sur l'oblig. en consc. des lois civiles*. Tournai 1884, p. 18 ss.

(4) Martinet, Lib. VI, art. 7 § 1.

3/ Leges nostræ civiles in præsenti materia, generatim obligant *tanquam regula morum præcipiens vel prohibens:* sunt enim leges vere vel præceptivæ vel prohibitivæ obligationem in conscientia inducentes *vi sua propria,* et non tantum vi a generali lege naturæ mutuata, v. g. ex necessitate vitandi dissidia, lites, odia etc., vel ex pietate filiis, parentibus, consanguineis debita. Obligatio igitur harum legum proxime oritur ex his legibus civilibus qua talibus.

4/ At, quoniam duplicis generis obligatio ex lege civili nasci potest aut obedientiæ scil. aut justitiæ stricte dictæ, ulterius statuimus leges nostra circa jus testandi et successiones, *generatim ex justitia stricte dicta obligare.* Etenim hæ leges, modo juri naturæ aut divino non opposito, generatim regunt atque determinant jura civium stricte dicta et sunt translativæ proprietatis. Quodsi ergo dictæ leges violentur, læditur jus strictum injuria veri nominis quæ læsio sola restitutione sanatur (1).

A. C.

V

Q. *Quæritur utrum et qualiter peccent parentes qui filiorum suorum portionem legitimam lædunt per testamentum, donationem inter vivos aut contractum onerosum simulatum.*

R. *Parentes qui civilem nostram de legitima portione servanda legem (stricte interpretatam) transgrediuntur probabilius non peccant contra justitiam commutativam, nisi tamen fraudem ficti contractus adhibuerint. Generatim peccant contra obedientiam justæ legi debitam. Dicitur*

(1) Responsum procedit de legislatione nostra civili *in genere* seu *in universum* spectata. Quæ autem ex his legibus ex obedientia tantum, quæ solummodo post sententiam judicis obligent, et cætera quæ qualitatem obligationis spectant, specialibus dubiis exponuntur apud Ill^mum ac Rev^mum Waffelaert, *De Just.*, tom. I, p. 224 ss.

generatim, quia nonnulli occurrere possunt casus in quibus nullum peccatum adesse videtur, quia obligatio legitimam servandi pro foro conscientiæ cessat.

Explicatio. Prænota hoc legis præceptum quia domini libertatem coarctat (odia autem sunt restringenda) ultra *stricte interpretatam legislatoris mentem* extendi non posse: legislator autem eas tantum largitiones domino prohibere voluit, quæ bono communi nocent; ideoque donationes stricte dictas tantum, quibus aliquem *cum aliorum damno ditaret.* Proinde, uti juris periti docent, prohibere noluit 1° *actus beneficientiæ*, aut quos ipsa lex collationis (rapport) obligatione eximit, aut quibus donator *peculiari necessitati* hæredis etiam necessarii etsi large et liberaliter providit, ut ex tribunalium sententia constat (1); non enim legislator domino auferre voluit facultatem *de reditibus* pro arbitrio disponendi, seu *usumfructum* rei, cujus dominium habet. Nec etiam a fortiori prohibuit 2° *donationem onerosam*, qua donator *onus* ab altero susceptum, aut *officium* præstitum remuneraret, ut puta si filia matrimonium abnueret ut parenti senescenti inserviret, si filius rei familiari augendæ peculiarem operam adhiberet, quia ista donatio re ipsa est alienatio *titulo oneroso*, lex autem (2) *nullatenus* facultatem titulo oneroso alienandi limitat (3).

Præterea prænotare etiam juvat nos talia seponere adjuncta in quibus *per accidens* parentes peccarent contra charitatem seu *pietatem*, propterea quod læsione portionis legitimæ filius in vera necessitate versaretur.

I. *Probabilius non peccant contra justitiam commutativam* parentes qui filiorum suorum portionem legitimam (4) lædunt per testamentum aut donationem inter

---

(1) Laurent, *Princ. de droit civil*, Bruxelles 1878, XII, nº 63.

(2) Laurent, *o. c.*, n. 65.

(3) Ità ad verbum fere Marres, *De Just.*, tom. I, Ruræmundæ 1889, n. 338.

(4) *Legitima hæreditatis portio* est ea bonorum pars quæ consanguineis in linea recta, ex lege ab intestato ad hæreditatem vocatis, competit, et

vivos. Non defuerunt quidem Auctores (1), qui parenti, donatori aut legatori limites legis absque injustitia stricte dicta transgredi non licere docuerunt, verùm, ut notat Marres (2), nullam sententiæ suæ rationem attulerunt. Sed de hac strictæ justitiæ obligatione testatoris aut donatoris tacent tùm plerique auctores antiquiores, tùm recentiores (3): et jure merito quidem. Etenim ex una parte testator vel donator rerum suarum dominium usque ad mortem retinet; ex alia parte hæredi necessario ad quamcumque hæreditatis partem *jus strictum*, quod injustitia violari possit, tantum post mortem domini oritur. Testatur aut donator ergo, cùm disponat de *re sua*, justitiam commutativam non lædit.

Attamen, cùm lex quæ reservationem seu portionem legitimam determinat, habenda est aliquo modo ut attributiva proprietatis (juste enim assignat jura quæ unicuique competant); et cùm statim ac defunctus est auctor, dicta lex hæredi necessario jus ad legitimam agnoscat, patet legatarium aut donatarium ex justitia teneri acquiescere petitioni hæredis necessarii, et non posse expectare sententiam judicis. Verùm, cùm ex art. 921 *cod. civ.* reductio ad portionem disponibilem postulari possit solummodo ab iis in quorum gratiam privilegio legis reservatio constituta fuit, legatarius aut donatarius non tenetur monere hæredem necessarium (ejus enim non est alterius juri invigilare), et tuta conscientia videtur posse retinere quæ non repetuntur (4).

Regulæ generali *restrictionem* apposuimus: *contra*

---

de qua defuncto neque per donationem inter vivos neque per testamentum disponere licuit. Filiorum autem portio legitima determinatur art. *cod. civ.*, 913 et 914.

(1) Ità Bouvier, Gury, Van Egeren.

(2) *De Justitia*, tom. I, Ruræmundæ 1889, n. 340.

(3) Carrière, Gousset, Marres, Ills ac Revs Waffelaert, Genicot etc.

(4) Cfr. Carrière, *De Contract.*, Lovanii 1846, n. 533. — Marrès, *o. c.*, n. 399. — Ills ac Revs Waffelaert, *De Justitia*, Brugis 1885, T. I, n. 320.

justitiam strictam peccarent et quidem graviter in materia gravi, parentes qui *medio injusto* ex g. *fraude contractus onerosi simulati* (simulatæ venditionis v. g.) uterentur: hæredes enim necessarii ante mortem auctoris strictum jus habent ne judex cum eorum damno invincibiliter decipiatur, atque hoc modo bonis alioquin sibi legitime obventuris spolientur (1).

II. *Generatim tamen peccant parentes contra obedientiam* (2) *justæ legi debitam.* Etenim potestas civilis leges circa jus testandi et hæreditariam successionem ferendo, in propria materia sibi subjecta mansit, neque in dato casu limites suæ potestatis excessisse videtur (3). Potestas parentum quidem lege positiva satis coarctata apparet; verùm parentibus non absolute aufertur facultas favendi uni pluribusve ex liberis (art. *c. civ.* 913); præterea statutum legis æquale jus omnibus liberis tribuens legi naturæ aperte contradicere nemo demonstravit. Dein aliquatenus auctoritati parentum providetur legis præscripto quo indigni quidam penitus ab hæreditate excluduntur aut excludi possunt (art. *c. civ.* 727, 728, 955, 1046, 1047). Demùm, dispositio qua lex portionem aliquam filiis reservat, non solùm justa apparet, sed quodammodo bono communi ac familiæ paci favens ac necessaria videtur, ne sc. liberi legitimi, deordinato amore parentum erga alios, puta patris erga alteram uxorem ejusque liberos, ab omni hæreditate excludantur (4). Cæteroquin, ut suprà (p. 671) notavimus, standum est legi atque obediendum, quamdiu non moraliter certo constet ejus statuta juri naturali repugnare, quod in casu evidenter non obtinere nemo non videt.

---

(1) Cfr. Marres, *o. c.*, n. 341.

(2) Dicitur: *contra obedientiam justæ legi debitam*, non autem: *contra justitiam legalem*, ut parum accurate A.A. quidam resolvunt. Cfr. *Coll. Brug.*, suprà p. 534 ss. ubi notio justitiæ legalis fuse exponitur.

(3) V. supra q. præc. p. 670 s.

(4) Cfr. Génicot, *Theol. mor. Instit.*, Lovanii 1896, Vol. I, n. 667.

III. Dicimus tamen parentes *generatim* peccare contra obedientiam legalem, *nam plures occurrere possunt casus in quibus nullum adesse peccatum videtur.* Cessat nempe obligatio legitimam servandi *pro foro conscientiæ* (1)

1° « quando officium pietatis, caritatis aut justitiæ lege *naturali* aut *divina* præceptum impleri nequit, quin de legitima detrahatur, quia legislator præcipere nequit quæ legi naturali aut divinæ adversantur; ex. gr. parentes etiam cum præjudicio legitimæ portionis cæterorum liberorum filio in adversa fortuna succurrere possunt ut pro conditione sua honeste vivere possit....

2° Cessat, quando servari nequit, quin noceatur iis ipsis in quorum gratiam lex fuit lata, seu cessante fine legis *contrarie* etiam in casu particulari, ut communiter theologi docent; ut puta si pater filio prodigo cum læsione legitimæ ipsius portionis quædam detrahit, eaque filiio probo donat ut is exinde fratri ejusque liberis in necessitate deinceps obventura succurrere possit (2).

Quodsi lex cessavit, etiam exinde *nulla justitiæ obligatio* legitimam hæredi necessario restituendi pro donatario nasci potest.

3° Lex civilis etiam de legitima hæreditatis portione servanda ferri nequit in præjudicium *causæ piæ* absque *consensu Ecclesiæ*, cujus jurisdictioni eæ causæ *pro foro conscientiæ* subjectæ sunt » (3).

4° Probabiliter possunt parentes in conscientia ab hæreditate excludere filium ex causa justa sed non legali, dummodo causa valde gravis sit atque causis

---

(1) Etiam si pro foro externo obligatio, quæ tum *mere civilis* dicenda est, adhuc subsistere reputetur. Cf. Marres, *o. c.*, p. 14.

(2) Cf. Allègre, *Le code civil commenté*, Paris 1899, T. I, p. 609 ss.

(3) Ità Marres *o. c.*, n. 311 qui opportune addit « Nihilominus propter *bonam fidem* plerumque excusandi sunt hæredes necessarii, tum qui rem causæ piæ in præjudicium suæ portionis legitimæ legatam tradere renuunt, tum qui petunt ut ejusmodi donatio infirmetur; imò plerumque, dummodo non *malo dolo* usi fuerint, ne monendi quidem videntur ne postea *mala fide* teneant, quæ *bona fide* adepti sunt ».

legalibus indignitatis (art. *c. civ.*, 727 et 728) aut ingratitudinis (art. *c. civ.* 954, 955, 1046, 1047) analoga, relictis semper filio secundum statum alimentis (1). Ergo, probabiliter possunt *a fortiori* in tali casu isti filio non integram portionem legitimam tribuere.

Monitum practicum. Nullo modo peccant parentes contra legem pietatis in filios, si propter justam causam et intra limites a lege civili concessos, uni filio præ cæteris favent; v. g. quia hic plus egeat sive ex adversa rerum fortuna, sive ex eo quod paternam industriam prosequi et familiæ decus tueri debeat. Attamen generatim, si testantur, æqualitatem inter liberos suos servent, sibi ex cæco amore non illudant et summopere caveant ne hac agendi ratione odia et dissensiones suscitent.

A. C.

VI

Q. *Dans quelle forme doivent se faire les concessions de terrains dans les cimetières?*

R. Le décret du 23 Prairial an XII (12 Juin 1804), qui est encore aujourd'hui, en Belgique, la principale loi organique sur la sépulture, contient, en ce qui regarde la question posée, les dispositions suivantes:

Art. 10. *Lorsque l'étendue des lieux consacrés aux inhumations le permettra, il pourra y être fait des concessions de terrains.....*

Art. 11. *Les concessions ne seront néanmoins accordées qu'à ceux qui offriront de faire des fondations ou donations en faveur des pauvres et des hôpitaux, indépendamment d'une somme qui sera donnée à la commune, et lorsque ces fondations ou donations auront été autorisées par le gou-*

(1) Cfr. Ills ac Revs Waffelaert, *o. c.*, n. 321. Exclusus tamen uti potest sententia opposita ad portionem suam legitimam per judicem obtinendam.

vernement dans les formes accoutumées sur l'avis des conseils municipaux et la proposition des préfets.

Le décret ne dit pas à qui appartient le droit de faire des concessions de terrains dans les cimetières, et ce silence a donné lieu à de fréquents litiges et à de vives controverses (1). Cependant la jurisprudence administrative et judiciaire, actuellement en vigueur, attribue aux communes le droit exclusif de faire des concessions de terrains, même dans les cimetières qui sont la propriété incontestable des fabriques d'église (2).

Dans *quelle forme* ces concessions doivent-elles être faites dans l'état actuel de la jurisprudence? Les concessions de terrains rentrent dans les attributions du *conseil* communal : il appartient au conseil de fixer par un *tarif général* le minimum de la redevance à payer par les concessionnaires, et de régler les autres conditions ; toutefois aucune disposition de loi n'oblige la commune à fixer un tarif; il appartient également au conseil de statuer *dans chaque cas particulier* sur les demandes de concessions qui lui sont faites. Cette compétence du conseil est exclusive : il ne peut pas, dans un règlement, déléguer au collège échevinal le droit d'accorder des concessions dans le cimetière. Il a été toujours admis par le département de l'intérieur qu'il appartient au conseil communal seul de statuer dans chaque cas. Arr. roy. du 26 Sept. 1891 et Dépêche ministérielle du 17 Janvier 1896 (3).

L'art. 11 du décret de Prairial impose aux concessionnaires l'obligation « de faire *des fondations ou donations en faveur des pauvres et des hôpitaux*, indépen-

---

(1) Voir De Brabandere-Van Coillie, *Juris canonici et juris canonico-civilis compendium*, T. II (7e éd., Bruges 1903), n. 810 ss.

(2) *Ibidem*, n. 815. Voir la critique de cette théorie n. 810 ss.

(3) *Ibidem*, n. 816; Wiliquet, *La loi communale.... commentaire pratique*, 2e éd. (1900), n. 377; *Revue de l'administration*, an. 1900, p. 96; *Revue catholique de droit*, T. III, p. 48. — De même la compétence du *conseil* de fabrique serait exclusive.

damment d'une somme qui sera donnée à la commune.... » Dans l'esprit du décret de Prairial, ces fondations ou donations constituaient la chose principale et devaient avoir une importance réelle; la somme à payer à la commune n'était que l'accessoire. Mais la pratique a dérogé à ces dispositions : en fait, les concessionnaires acquittent le prix réclamé par la commune en y comprenant une part pour le bureau de bienfaisance et les hospices (1). En Belgique (2), aucune disposition légale n'a fixé cette part. Toutefois, il est de jurisprudence que le quantum du prix stipulé en faveur des bureaux de bienfaisance et des hospices sera au moins égal au *quart* du montant de la libéralité. Mais ce taux n'a rien d'obligatoire; le conseil communal est appelé à régler souverainement ce point et l'intervention de l'autorité supérieure doit être limitée aux seuls cas où la part des indigents serait fixée à un tantième dérisoire. Dépêche ministérielle du 29 Avril 1899 (3). Remarquons que l'art. 11 porte : en faveur des pauvres *et* des hôpitaux » ; la part revenant aux indigents dans le prix des concessions ne peut donc être attribuée aux hospices seuls, à l'exclusion du bureau de bienfaisance. Arr. roy. du 29 Septembre 1899 (4).

Nous avons dit qu'en matière de concessions de terrains il ressort à la compétence exclusive du conseil communal de fixer un tarif général et de statuer dans chaque cas particulier. Ici se pose la question de savoir si l'exercice de ce droit est restreint par la nécessité d'une autorisation ou approbation de l'autorité supérieure.

---

(1) Giron, *Dictionnaire de droit administratif et de droit public*, Bruxelles 1895, V° *Inhumation*, n. 20.

(2) Pour la France, une ordonnance royale du 6 Décembre 1843 a fixé cette part à un tiers.

(3) Cf. Wiliquet, *op. cit.*, n. 527; De Brabandere-Van Coillie, *op. cit.*, n. 837.

(4) *Moniteur*, p. 4205.

Et tout d'abord, *le règlement communal* fixant un tarif général doit-il être approuvé? Non, d'après la jurisprudence administrative actuellement en vigueur. « La délibération du conseil communal fixant par un tarif général le minimum des prix de concession au profit respectif de la commune et des indigents est un *règlement d'ordre et de service intérieur* dans le sens de l'article 73 de la loi communale. Cette délibération ne comporte aucune approbation, d'après la dernière jurisprudence, qui est depuis longtemps en vigueur ». Circ. min. du 13 Août 1887 (1). — Dép. min. du 22 Novembre 1894.

La même question se pose ensuite pour les *actes de concession*. Comme le prix des concessions n'est ni une taxe (Arr. roy., 13 Juillet et 12 Sept. 1865; — Circ. min. du 13 Août 1887), ni une libéralité (art. 15 de la loi du 30 Déc. 1887, — Loi Comm. art. 76, 3°), les actes de concession stipulant le payement d'une somme au profit respectif de la commune et des indigents, conformément au tarif général, ou, à défaut de tarif, conformément au taux déterminé par l'usage, ne doivent pas non plus être soumis à l'approbation du Roi ou de la Députation permanente. Il en serait autrement cependant si les libéralités au profit des pauvres et des hospices affectaient la nature d'une véritable fondation; ce qui aurait lieu, par exemple, si les sommes offertes dépassaient notablement celles fixées par le tarif ou par l'usage des lieux. Dans ce cas, ces libéralités devraient être approuvées conformément à l'art. 76, 3° de la loi communale. Circ. min. du 13 Août 1887 et arr. roy. du 9 Déc. 1889 (2).

---

(1) Giron, *l. cit.*, n'admet pas le bien fondé de cette jurisprudence et prétend que ce réglement doit être approuvé par l'autorité provinciale. Voir *Het Vlaamsch Bestuur*, VII, p. 268 ss où sont réfutés les arguments de cet auteur.

(2) De Brabandere-Van Coillie, *op. cit.*, n. 816; Giron, *l. cit.*; Wiliquet, *op. cit.*, n. 528 ss.; *Het Vlaamsch Bestuur*, VII, p. 267. — Bernimolin, *Les*

Il y a donc lieu de modifier la disposition finale de l'art. 11 du décret de Prairial (1).

N. B. Chaque fois que le clergé est consulté ou peut utilement intervenir au sujet d'un projet de demande de concession de terrain, il aura soin de demander conseil à l'Evêque (2).

H. M.

---

institutions provinciales et communales de la Belgique, T. I, (Bruxelles 1891), p. 488, note, enseigne la même doctrine, mais d'une façon peu précise.

(1) Il y a donc lieu de modifier aussi les réponses d'un bon nombre de conférences, qui reproduisent encore l'enseignement du *Compendium* de feu Mgr De Brabandere dans les éditions antérieures au changement de la jurisprudence. Voir la 5e édition (1895), n. 816.

(2) Observons en passant qu'il a été jugé qu'une convention conclue entre une commune et une fabrique d'église, accordant à celle-ci une portion déterminée de chaque concession, doit recevoir son exécution. Cassation, 1r Avril 1886. Cf. De Brabandere-Van Coillie, *op. cit.*, n. 815; Wiliquet, *op. cit.*, n. 532.

Jurisprudence administrative

I

Fabrique d'église. — Legs avec charge de Messes chantées. — Réduction du nombre de cinquante Messes a vingt obits, outre une recommandation au prône.

Arrêté royal du 3 mai 1903.

LÉOPOLD II, etc..., vu l'expédition du testament reçu, le 24 septembre 1902, par le notaire Babusiaux, de résidence à Merbes-le-Château, et par lequel M. Célestin Renaux, sans profession, demeurant à Montignies-Saint-Christophe, dispose notamment comme suit:

« Je donne et lègue à la fabrique de l'église de Montignies-Saint-Christophe une somme de six mille francs, que mes légataires ci-dessous nommés verseront à la dite fabrique, aussitôt l'autorisation donnée à celle-ci par l'autorité supérieure; mais à charge par la dite fabrique de faire célébrer chaque année, à perpétuité, cinquante messes chantées à l'heure ordinaire, pour le repos de mon âme, de celle de mon épouse et de mes parents trépassés. »

Vu la délibération, en date du 17 décembre 1902, par laquelle le bureau des marguilliers de l'église avantagée sollicite l'autorisation d'accepter ce legs, et demande, eu égard à l'insuffisance du revenu du dit legs, que la charge dont il est grevé soit réduite à vingt obits;

Vu les avis du conseil communal de Montignies-Saint-Christophe et de la députation permanente du conseil provincial du Hainaut, en date des 29 décembre 1902 et 16 janvier 1903;

Vu l'avis de M. l'évêque diocésain, en date du 19 décembre 1902, d'où il résulte qu'il y a lieu de réduire les charges du legs dont il s'agit à vingt obits et une recommandation;

Vu les articles 910 et 937 du Code civil, 59 du décret du 30 décembre 1809, 76-3° et paragraphes derniers de la loi

communale, ainsi que le tarif du diocèse de Tournai, approuvé par Nous le 12 mars 1880;

Sur la proposition de Notre Ministre de la justice,

Nous avons arrêté et arrêtons:

Article unique. — La fabrique de l'église de Montignies-Saint-Christophe est autorisée à accepter le legs qui lui est fait, à charge de faire célébrer annuellement vingt obits, outre une recommandation au prône, aux intentions indiquées par le testateur.

II

Fabrique d'église. — Legs. — Maison vicariale; chapelle servant de reposoir.

—

LÉOPOLD II, Roi des Belges,

A tous présents et à venir, Salut.

Vu l'expédition, délivrée par le notaire Butaye, de résidence à Menin, du testament olographe, en date du 11 août 1902, par lequel Melle Sidonie Dal, sans profession, demeurant à Reckem, dispose notamment comme suit:

« Je... lègue à la fabrique de l'église paroissiale de Reckem, pour servir d'habitation au vicaire de la paroisse, la maison que j'habite, y compris la cour, non compris le jardin légumier qui reste à la ferme, ce à charge de conserver la chapelle servant de reposoir à la procession. Du mobilier de cette chapelle dépend la garniture de cheminée du salon composée d'une pendule et de deux cadélabres. Les droits de succession sont à supporter par la fabrique de l'église. »

Vu la délibération, en date du 15 mars 1903, par laquelle le bureau des marguilliers de l'église avantagée sollicite l'autorisation d'accepter ce legs;

Vu les avis du conseil communal de Reckem, de M. l'évêque diocésain et de la députation permanente du conseil provincial de la Flandre occidentale, en date des 19 mars, 12 juin, 17 juillet 1903;

Vu le procès-verbal d'expertise, en date du 16 mars 1903 et les pièces de l'instruction, d'où il résulte que l'immeuble dont il s'agit, situé à Reckem, section A, n° 206*b* du cadastre, et d'une contenance de 5 ares, a une valeur de 7,000 francs, y compris le mobilier;

En ce qui concerne la clause stipulant que la maison léguée servira d'habitation au vicaire de la paroisse:

Considérant que l'article 72 de la loi du 18 germinal an X n'oblige de fournir une habitation qu'au curé ou au desservant; que la législation ne reconnaît pas les maisons vicariales; que, dès lors, on ne peut admettre comme obligatoire l'affectation d'une demeure pour les vicaires au même titre que l'on admettrait cette affectation pour un presbytère; qu'en conséquence, la disposition précitée doit être considérée comme l'expression d'un simple désir, et que l'administration fabricienne ne pourra céder l'usage de la maison dont il s'agit au vicaire de la paroisse que moyennant un loyer correspondant à la valeur locative réelle; — (1)

En ce qui concerne la clause prescrivant de conserver la chapelle servant de reposoir à la procession:

Considérant que le maintien de cette clause aurait pour effet d'attribuer par l'interposition de la fabrique un caractère perpétuel à un oratoire qui n'est ni une chapelle dans le sens légal du mot, ni une annexe; que, dès lors, la dite clause doit être considérée comme n'étant que l'expression d'un simple vœu; — (2)

Vu les articles 900, 910 et 937 du Code civil, 59 du décret du 30 décembre 1809, 76-3° et paragraphes derniers de la loi communale;

Sur la proposition de Notre Ministre de la justice,

Nous avons arrêté et arrêtons:

Article unique. La fabrique de l'église de Reckem est autorisée à accepter le legs qui lui est fait aux conditions imposées en tant qu'elles ne sont pas contraires aux lois.

---

(1) Nous renvoyons nos lecteurs aux *Collationes Brugenses*, T. II, p. 540 ss., où il a été démontré que la jurisprudence, dont la présente décision est une nouvelle application, ne peut se justifier ni en raison ni en droit. — Cf. *Revue cathol. de droit*, T. VI, p. 275.

(2) Voir *Coll. Brug.*, T. III, p. 595 et T. V, p. 524 note.

Notre Ministre de la justice est chargé de l'exécution du présent arrêté.

Donné à Ostende, le 6 septembre 1903. (1)

LÉOPOLD.

Par le Roi :
Le Ministre de la justice,
J. VAN DEN HEUVEL.

Fabriques d'église

Séance légale du mois de Janvier 1904.

Les Conseils de fabrique doivent se réunir en séance ordinaire, le dimanche 3 Janvier prochain (art. 10 du décret du 30 Décembre 1809).

Après avoir pourvu, s'il y a lieu, au remplacement des membres du conseil et du bureau décédés, démissionnaires ou sortis pour toute autre cause, l'on s'occupera dans cette réunion à volonté de tous autres objets qui intéressent la fabrique et qui sont de la compétence du Conseil. (Voir De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compendium,* T. II, n. 1020.)

(1) Un arrêté royal du 30 octobre 1903 (voir *Moniteur* du 7 novembre) n'autorise également la fabrique d'église de Celles à accepter la donation d'une maison, devant servir d'habitation au vicaire de la paroisse, que moyennant la déclaration des donateurs « que la clause de la donation réservant le dit immeuble à l'habitation du vicaire doit être considérée comme l'expression d'un simple désir, et que l'usage de la maison dont il s'agit ne pourra être cédé au vicaire de la paroisse que moyennant un loyer correspondant à la valeur locative réelle ».

Consultationes

I

Parochus diœcesis Brugensis interest exercitiis spiritualibus in festo S. Bartholomæi: ad quid tenetur ratione obligationis pro grege celebrandi?

R. Stante indulto pontificio, die 28 Octobris 1901 ad triennium prorogato, vi cujus parochis diœceseos Brugensis licet in festis abrogatis accipere stipendium, ea tamen lege ut integrum scholis catholicis impendatur, canonicus parochiam in casu satisfacere obligationi suæ imponendo operi scholari taxam diœcesanam missæ privatæ, sive illa die missam celebret, accepto missæ privatæ stipendio consueto (1), sive, prouti in votis est Episcopi (2), a litando abstineat.

Si vero isto indulto uti nolit, aut si indultum cessaret, tenetur parochus vel ipsemet celebrare pro grege, in loco sibi degit, vel alium sacerdotem committere ut in ecclesia sua parochiali missam pro parochianis offerat: etenim cum legitime a parochia abest, uno altero modo indicato oneri suo satisfacere potest (S. C. C. 14 Decemb. 1872) (3). — Quodsi ratione exercitiorum spiritualium a missa celebranda abstineat, tunc, si fieri potest, curare debet ut alius sacerdos in ecclesia sua parochiali missam gregi suo applicet (S. C. C. 11 Dec. 1869): — at si non possit vel nonnisi aegre possit alium sacerdotem ibi substituere, debebit ipse, post sacrum sece suum, quam primum poterit missam pro populo applicare (S. C. C. 15 Dec. 1872) (4).

H. V. D. B.

---

1. Possibile ut parochus stipendium recipere, et integrum scholis catholicis impendere deberet. Cfr. *Collat. Brug.*, T. VI, p. 494 sq.

2. Litteræ Epis. 28 Mai. 1901. Cfr. *Epist. past.* T. XIV, p. 173.

(3) Cfr. *Collat. Brug.*, T. VII, p. 526 et 528.

(4) Cfr. *Collat. Brug.*, T. I, p. 181.

II

Q. 1° Quid in Const. *Officiorum ac munerum* art. 42 intelligitur verbis *de artibus scientiisque mere naturalibus?*

2° A quonam Ordinario petenda est approbatio libri cujus *auctor* pertinet ad diœcesim Leodiensem, *editor* vero ad Brugensem?

R. Ad 1m. Verba illa quodnam genus librorum indicent haud difficile intelligitur, si comparentur duo articuli cap. III, Tit. II, *De libris præviæ censuræ subjiciendis*. Art. 41 sic habet : « Omnes fideles tenentur præviæ censuræ ecclesiasticæ eos saltem subjicere libros, qui divinas Scripturas, Sacram Theologiam, Historiam Ecclesiasticam, Jus Canonicum, Theologiam naturalem, Ethicen aliasve hujusmodi *religiosas aut morales disciplinas* respiciunt, ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter interest ». Sequitur art. 42 : « Viri e clero sæculari ne libros quidem, qui *de artibus scientiisque mere naturalibus* tractant, inconsultis suis Ordinariis publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum præbeant »... *Libri* igitur, de quibus solis hic quæritur, distinguuntur, quoad necessitatem eos subjiciendi censuræ ecclesiasticæ, in duplicem classem : alii sunt, qui *respiciunt religiosas aut morales disciplinas*, scilicet præter disciplinas indicatas in textu, res liturgicas, jus naturale, vitas servorum Dei, scientiam etiam socialem, tractatam sub respectu morali vel religioso, non mere œconomico vel politico (1) ; et hos libros jubentur *fideles omnes* subjicere præviæ censuræ ecclesiasticæ ; alii sunt, qui non habent argumentum religiosum vel morale, sed *de artibus scientiisque mere naturalibus* tractant ; et hi non subjacent censuræ, sed monentur *clerici sæculares* ne hujusmodi libros publicent inconsultis suis Ordinariis. Ex determinatione prioris generis librorum, satis definitur posterius.

(1) Cf. Vermeersch, *De prohibitione et censura librorum*, 3e ed. (Tornaci, 1901), p. 96.

Ad 2m. Si agatur de libro cujus argumentum est religiosum vel morale, approbatio juxta art. 35 pertinet ad *Ordinarium loci in quo publici fit juris,* in casu ad Episcopum Brugensem (1). Si vero auctor, clericus sæcularis, intendat publicare librum de artibus scientiisque mere naturalibus tractantem, non quidem tenetur expetere veram censuram et approbationem, sed consulat *suum Ordinarium*, id est moneat in casu Episcopum Leodiensem de libro publicando, ad ipsius consilium exquirendum. Utrum hoc art. 42 strictum inculcetur præceptum an potius commendatio sive consilium, disputant Commentatores: prius tenent Van Coillie, *Commentarius*, Brugis, 1899, p. 89 (2); Pennacchi, apud *Acta S. Sedis,* T. XXX, p. 507; Gennari, *Della nuova disciplina sulla proibizione e sulla censura de' libri ovvero la const.* « *Officiorum* », ed. 3a (Romæ, 1903), p. 111; Moureau, *Revue des sciences eccl.*, 8e sér., T. VI, p. 388; Boudinhon, *Le canoniste contemporain*, 1898, p. 313; Wernz, *Jus Decretalium*, T. III (Romæ, 1901), p. 140; F. Piatus, *Nouv. revue théol.*, T. XXXII, p. 476; Lehmkuhl, *Theol. mor.* (ed. 10a, 1902), p. 819; posterius autem Périès, *L'Index*, Paris, 1898, p. 209; Desjardins, *Etudes*, T. LXXI, p. 432; Génicot, *Theologiæ moralis institutiones*, T. I, n. 460; Schneider, *Die neuen Büchergesetze der Kirche,* Mainz, 1900, p. 151; Vermeersch, *De prohibitione et censura librorum,* ed. 3a (Tornaci, 1901), p. 104. — Quidquid sit, poterit Ordinarius, hac dispositione fretus art. 42, strictius idem jubere, et tunc renitentes pœna arbitraria plectere ex art. 49 (3).

H. M.

---

(1) Secludimus libros quorum recognitio reservatur S. Sedi vel Romanis Congregationibus (cf. art. 30 coll. art. 7, art. 31, 32, 33 coll. art. 17, et art. 34) et casum specialem art. 37.

(2) Cf. etiam De Brabandere-Van Coillie, *Compendium* etc., ed. 6a -7a, n. 1347.

(3) Cf. Vermeersch, *op. cit.*, p. 104 et Commentatores cit.

Libri dijudicantur.

Enseignement pratique du Catechisme de Malines PAR LE CHANOINE DE WEERDT, S. T. L., *ancien professeur au Grand Séminaire de Malines*. — Malines, P. Ryckmans, 1903 (1,80 fr.).

Catechismi Mechliniensis, anno 1900 editi, expositionem, quam prius flandrica, nunc gallica conscripsit lingua cl. A.; quam egregium fuerit opus prius editum testatur tum peritorum judicium, tum quod opus jam acceptum fuit in usum plurium Scholarum Normalium, tum quod celerrime fuit diffusum ita ut 4000 exemplaria per paucos menses fuerint empta.

Opus gallico sermone nuperrime editum iisdem eminet dotibus, iisdemque ac præcedens dignum est laudibus (1), imo in parvis quibusdam melius est effectum.

Id quo præcipue hæc Catechismi expositio aliis præstat est *methodus* quam sequitur A. et modus quo illam deduxit ad praxim: illa methodus est *synthetica* seu *historica* (2), quæ nempe a factis sensibilibus perducit puerorum mentem ad intellectionem vocabulorum et ipsius veritatis. Nec inutile erit hîc notare methodum *historicam* jam anno 1843 ab Episcopis regni Belgici fuisse commendatam (3) : hanc specificam docendi

(1) Cf. *Collat. Brug.* supra, p. 410.

(2) Hæc methodus opponitur methodo *analyticæ* seu *paraphrasticæ* : cf. Smets, *Catéchétique*, Maeseyck, Vanderdonck, 1903, p. 125 et s. Hic tamen auctor nondum noverat opus D. De Weerdt, nec ejusdem *Instructions pour les Catéchistes* (Cf. *Collat. Brug.*, T. VI, p. 510) quando scripsit (p. 126) : « Chose singulière, sauf Mgr Van Bommel... aucun auteur belge à notre connaissance ne recommande cette méthode (historique). Tous recommandent ou suivent la méthode paraphrasique... ».

(3) « Nous vous prions de suppléer à ce qui manque à ce court exposé de la méthode historique. Dirigez dans ce sens l'enseignement du maître, suivez vous-mêmes cette méthode dans vos catéchismes... » *Collectio Epistolarum pastoralium, Instructionum et Statutorum Illmi D. Boussen*, T. IV, Brugis, 1847, p. 19.

rationem nemo, ut videtur, plenius intellexit, nec perfectius exponendæ christianæ doctrinæ accommodavit quam auctor cujus opus laudamus.

Omnibus igitur quibus catechismi gallico sermone explicandi munus incumbit perutile erit illud scriptum, eo vel magis quod tabula analytica usum illius operis faciliorem reddit etiam iis qui aliam Catechismi editionem habent exponendam.

J. V. D. M.

INDEX

Documenta Romana

Pag.

Lettre encyclique de Léon XIII aux Evêques d'Italie *sur le sacerdoce catholique* (8 Décembre 1902) 73

Litteræ encyclicæ Leonis XIII de studiis Scripturæ Sacræ (18 Novembris 1893) 293

Epistola encyclica S.S. Pii X (4 Octobris 1903) . . 581

Ex S. R. et Univ. Inquis. — Circa facultatem dispensandi super impedimento cognationis spiritualis (2 Dec. 1902) — *(cum adnotationibus)* 399

Dubium de cautionibus exigendis in matrimoniis mixtis (10 Dec. 1902) — *(cum adnotationibus)* 568

Utrum facultas dispensandi super imped. matrim. in articulo mortis importet facultatem legitimandi prolem (8 Julii 1903) 639

Ex S. Pœnitentiaria. — Dubia circa confessarios regularium (14 Maii 1902) — *(cum adnotationibus)* . . 125

Ex Sacra Congr. Indulgentiarum. — De surdo-mutis quoad lucrandas indulgentias (18 Julii 1902). . . . 360

Indultum pro sacerdotibus Tertii Ordinis sæcularis S. Francisci (11 Februarii 1903). 361

Circa interruptionem novitiatus in Tertio Ordine S. Francisci (4 Martii 1903) 404

Circa transitum Tertiariorum de una ad aliam obedientiam (4 Martii 1903) — *(cum adnotationibus)* . . . 447

Ad impertiendam absolutionem generalem Monialibus Tertiariis sacerdos deputari debet ab Episcopo (11 Februarii 1903) 637

Ad prædictam absolutionem impertiendam Episcopus deputare potest sacerdotem qui non sit confessarius (27 Maii 1903) — *(cum adnotationibus)* 637

Ex Sacra Congreg. Rituum. — Decretum *Urbis*, 15 Dec. 1899 de aspersione aquæ benedictæ præmittenda missæ die Dominica; de calendario sequendo a sacerdotibus exteris celebrantibus in ecclesia alicui Religiosæ familiæ concredita, vel in ecclesia non Familiæ sed tantum alicui personæ privatæ, etsi ad eamdem Familiam pertinenti commissa; de non recitandis officiis ad libitum infra octavas quascumque occurrentibus 55

Decretum *Urbis et Orbis*, 22 April. 1903, quo præscribitur ut Litaniis Lauretanis post præconium *Mater*

Pag.

Admirabilis inseratur invocatio : *Mater boni consilii, ora pro nobis* 402

Decretum *S. Miniati*, 27 Martii 1903, quo reprobatur quidam usus exponendi imagines in feria V majoris Hebdomadæ 403

Dubium 14 Martii 1903 : Utrum capella principalis Seminariorum solemniter benedicta cum speciali titulo, gaudeat privilegiis, quæ competunt sanctis vel mysteriis titularibus cujusvis ecclesiæ, sive oratorii publici solemniter benedicti — (*cum adnotationibus*) 451

Decretum *Plocen.* 19 Febr. 1903 quo declaratur choros mixtos in missis cantatis licitos non esse nec tolerandos. 452

Dubium 10 Julii 1903 de recitando nocturno imposito neo-ordinatis, omissis invitatorio, hymno et lectionibus 573

Decretum *Ordinis Fratrum Minorum* 19 Junii 1903, quo rescribitur caput esse inclinandum, quando infra octavam alicujus Sancti, cujus tamen nec officium recitatur, nec fit commemoratio, dicti sancti nomen occurrit in Missa; Præfationem communem, non de octava esse dicendam in missa votiva conventuali, quando alia missa celebratur de die infra octavam vel ejus fiat commemoratio in missa de officio occurrente. 574

Decretum *Catalaunen.* 11 Septembris 1903 quo rescribitur preces post missam a Summo Pontifice Leone XIII præscriptas adhuc, ipso defuncto, dicendas esse 640

—

Documenta episcopalia

Monita de interpretatione et usu S. Scripturæ ab Illmo ac Rev^mo G.-J. Waffelaert, Episcopo Brugensi, conscripta 141, 229

Acta Congregationis Prosynodalis habitæ die 26 Maii 1903, in palatio episcopali, Brugis 413

—

Meditationes theologicæ

Meditationes theologicæ ab Illmo ac Rev^mo G.-J. Waffelaert, Episcopo Brugensi, clero suo dicatæ . . 5
84, 150, 461, 517, 592, 645.

Conferentiarum quæstiones et responsa

Ex S. Script. Veteris Testam.

Pag.

Explicatur canticum Annæ (I Reg. II, 1-10) . . . 526

Solvitur objectio ex Jer. VII, 21, 22 contra originem antiquam et divinam legum ritualium 609

Explicatur Sap. III, 1-9. 660

Ex S. Script. Novi Testam.

Explicantur differentiæ inter narrationes parallelas synopticorum de filia Jaïri ad vitam revocata . . . 16

Explicatur parabola de decem virginibus 89

» Marc. II, 18-20. 165

» Marc. III, 27-29 255

Qua occasione et quo fine scripta sit epistola S. Pauli ad Romanos 320

Analysis prioris partis dogmaticæ epistolæ S. Pauli ad Romanos I, 16-VIII 366

Explicatur doctrina de Redemptione proposita a S. Paulo in epistola ad Rom. III, 23-26 427

Disseritur de *glossolalia* de qua I Cor. XII, XIII, XIV. 470

Ex Theologia Dogmatica.

Ex Tractatu de Deo Uno et Trino.

Solvitur difficultas contra simplicitatem Dei ex unione trium personarum in natura divina 19

Demonstratur ex ratione dogma SS. Trinitatis non posse solo lumine naturali rationis inveniri 91

Exponitur quid *significet* et pro quo *supponere* possit vocabulum Deus. 166

Exponitur notio processionis divinæ ad intra . . . 257

Demonstratur in Deo esse processionem ad intra secundum operationem intellectus 323

Demonstratur in Deo esse processionem ad intra secundum operationem voluntatis 369

Exponitur quid importet perfecta æqualitas divinarum personarum 429

Declaratur cur non repugnet tres divinas personas esse omnino æquales in perfectione. 475

Ex Tractatu de Deo Creante.

Pag.

Præmissa notione creationis demonstratur solum Deum posse creare 528

Demonstratur a Deo amari creaturas, rationemque formalem hujus amoris esse solam *divinam* bonitatem . 612

Præmissa notione amoris concupiscentiæ et amoris benevolentiæ, explicatur qua ratione Deus amet creaturas rationales amore benevolentiæ et creaturas irrationales amore concupiscentiæ 661

Ex theologia morali fundamentali.

Quomodo interdum possit indirecte solvi dubium positivum speculativum 22

Exponuntur varia systemata ad solvendum indirecte dubium positivum remote practicum a theologis proposita 26

Explicatur et probatur ex ratione thesis: ubi agitur de sola honestate actionis, licet sequi opinionem vere ac solide probabilem, neglecta probabiliori 95

Quomodo dissentiant Probabilistæ et Æquiprobabilistæ in solvendo dubio positivo *de cessatione legis certæ* . 170

Vindicatur modus solutionis propositus a Probabilistis 173

Solvitur duplex casus applicationis Probabilismi . 265

Explicatur *qua ratione differant* peccatum originale et personale, peccatum mortale et veniale 331

Datur notio peccati personalis *mortalis quoad actum peccati* 334

Datur notio peccati *mortalis habitualis* 374

Ostenditur quomodo peccatum mortale necessario inducat reatum *pœnæ æternæ* et quidem *damni* et *sensus* . 433

Datur notio peccati *venialis actualis* 436

Datur notio peccati *venialis habitualis* 476

Ex Theologia morali speciali.

Ex Tractatu de charitate.

Definitur *scandalum activum* et explicatur definitio . 31

Distinguitur *scandalum directum* et *indirectum* ac generatim determinatur quis sit reus

1° scandali *directi* 99

2° scandali *indirecti* 102

Pag.

Probatur in omni peccato *scandali* haberi *speciem contra charitatem proximi* 177

Probatur in omni *scandalo directo*, præter peccatum contra charitatem, haberi peccatum contra virtutem ad quam lædendam proximus inducitur 269

Probatur idem regulariter non obtinere in *scandalo indirecto* 272

Utrum et cur *peccatum scandali multiplicetur* pro numero personarum scandalizatarum 339

Explicatur malitia specifica trium *peccatorum alienorum* quæ fiunt per omissionem 377

Explicatur quid sit *cooperatio positiva* stricte sumpta, immediata, mediata, materialis, formalis 381

Utrum aliquando licita sit *cooperatio positiva* stricte sumpta ad peccatum alterius 438

Ex Tractatu de blasphemia.

Explicatur *notio blasphemiæ* 479

Utrum *specie morali* differant blasphemia immediata et mediata 483

Ex Tractatu de Justitia.

Determinatur et explicatur *notio justitiæ legalis*. . . 534

Ostenditur quomodo inter se *differant* justitia *legalis* et *commutativa*, justitia *commutativa* et *distributiva* . . . 541

Quo sensu *jus proprietatis* dicatur esse *jus utendi et abutendi* quatenus juris ratio patitur 544

Quænam sint *jura filiorum-familias* in bona quæ *hæreditate* aut *donatione* acquirunt 616

An et contra quam virtutem peccet *filius-familias* operarius partem *stipendii* insciis parentibus sibi retinens. 620

Determinantur *jura filiorum-familias* in *fructus operæ* vel *industriæ propriæ* 622

Ostenditur *jus testandi* et *jus hæreditariæ successionis* quod substantiam e jure naturæ orta esse 665

Declaratur quamnam vim in conscientia habeat *legislatio nostra*, in universum sumpta, circa *jus testandi et successiones* 670

Quæritur utrum et qualiter peccent parentes qui filiorum suorum *porticnem legitimam lædunt* per testamentum, donationem inter vivos aut contractum onerosum simulatum 672

Ex jure canonico.

Pag.

Determinatur obligatio parochi juvandi spiritualiter subditos graviter infirmos 105

Exponitur qualis præscribatur parochis residentia . 277

Exponitur qualis sit jurisdictio et quænam generatim obligationes *deservitoris* parochiæ. 384

Determinatur quatenus obligatione residendi teneantur *vicarii cooperatores*. 489

Quid jure ecclesiastico statutum circa sepulturam illorum qui neglexerunt præceptum annuæ confessionis et communionis paschalis 626

Ex jure canonico-civili.

Dans quelle forme doivent se faire les concessions de terrains dans les cimetières 677

Ex S. Liturgia.

Infra Octavam aliquam B. M. V., die qua officium fit semiduplex de aliquo Sancto, si celebranda est juxta intentionem petentis missa in honorem Immaculatæ Conceptionis ejusdem B. M. V., quænam missa sumenda est et quænam servanda quoad *Gloria in excelsis, Credo* et Præfationem 34

Quibusnam in missis omittatur commemoratio festi duplicis aut semiduplicis simplificati vel festi simplicis, de quibus tamen commemoratio facta est in officio. . 182

Quænam missæ uti votivæ seu extra ordinem officii diei celebrari possint 342

Quænam sumi debeant secunda et tertia oratio in missis votivis privatis 442

Indicantur requisita in altari tum fixo, tum portatili, ut in eo sacrificium missæ offerri possit 548

—

Dissertationes

De pœnis purgatorii 39

Circa dispensationem episcopalem super affinitate illicita, signanter in concursu cum impedimento publico consanguinitatis 188

De domicilio minorennium 348

Pag.

De baptizandis nonnatis, abortivis et monstris . . . 492
556, 629.

Animadversiones circa indultum cumulative dispensandi super impedimentis matrimonii 509

—

Fabriques d'église

Séance légale du mois de Mars 124
» » » » d'Avril 201
» » » » de Juillet 460
» » » » d'Octobre 567
» » » » de Janvier 1904 685

—

Jurisprudence administrative

Fabrique d'église — legs — demande de réduction non admise. — Attribution au bureau de bienfaisance. — A. R. du 25 Novembre 1902 — (Observations) . . 204

Legs en faveur d'œuvres privées. — A. R. du 23 Octobre 1902. — (Observations). 208

Fabrique d'église — Messe une fois dites: charge d'hérédité. — A. R. du 12 Novembre 1902. — (Observations) 210

Fabrique d'église. — Illégalité d'une fondation avec charge de payer au curé une indemnité de binage. — A. R. du 22 Juillet 1902. — (Observations) 211

Fabrique d'église — Comptes: frais du service pour S. M. la Reine. — A. R. du 20 Septembre 1903 . . 644

Fabrique d'église — Legs avec charge de messes chantées: réduction 682

Fabrique d'église — Legs; maison vicariale; chapelle servant de reposoir 683

—

Jurisprudence des cours et tribunaux

Cimetière. — Inhumation d'un suicidé dans une partie distincte. — Défense d'élever un tertre. — Bruges (Chambre du Conseil) 12 Juin 1901. — Appel, Gand (Chambre des mises en accusation) 31 Juillet 1901. — (Observations) 387

Législation Sociale

Pensions de Vieillesse.

Pag.

Allocation annuelle de 65 fr. Arrêté royal du 30 Décembre 1902. — Commentaire 109

Allocation annuelle de 65 fr. Instruction générale . 216

Interprétation de l'art. 14 de l'A. R. du 30 Décembre 1902 280

Interprétation de quelques dispositions de l'A. R. du 30 Décembre 1902. (Dépêches ministérielles) . . 566

Loi du 20 Août 1903, modifiant l'art. 8 de la loi du 10 Mai 1900 641

Circulaire du 1r Octobre 1903 concernant les versements à la Caisse de retraite 643

—

Consultationes

Ad quid teneatur qui *rem deperditam* non statim domino restituit sed interim illa utitur et tandem ipsemet eam amittit 56

Solvitur casus illius qui, conditione quadam contractus *assecurationis* non servata, compensationem damni conventam bona fide accepit 60

Utrum forma Baptismi modo quodam imperfecto prolata sacramentum reddiderit invalidum 63

Utrum, in diœcesi Brugensi, peccatum reservatum bona fide in confessione omissum maneat reservatum etiam cum est ejusdem speciei ac confessa 64

An, in eadem diœcesi, confessarii gaudeant facultate absolvendi a reservatis pueros certæ classis communionem generalem instituentes 65

Ubi vi indulti licet biduo per hebdomadam in duplici, exceptis excipiendis diebus, cantare missam *de Requie*, an valeat indultum illud pro vigilia Epiphaniæ 66

Dijudicatur duplex modus quo disponunt parentes de bonis suis in detrimentum creditorum filii ære alieno gravati 129

Dijudicatur modus in determinato casu recurrendi ad Ordinarium ad petendam dispensationem in impedimentis matrimonii. 131

Pag.

Quomodo ordinanda sit missa votiva SS. Trinitatis in gratiarum actionem ex præscripto Rev^mi Dom. Episcopi celebranda 8 martii, occasione vigesimi quinti Anniversarii Coronationis Summi Pontificis. . 221

Solvitur casus de puella, a proprio parocho ad 1^m communionem non admissa 281

De jure coadjutoris percipiendi honoraria adnexa prædicationi meditationum quadragesimalium . . . 285

Stipendia pro missa binationis etc. in diœcesi Brugensi percepta possuntne impendi Universitati Catholicæ?. 286

Proponitur interpretatio decreti Tridentini statuentis ut in articulo mortis nulla sit reservatio peccatorum . 405

Ad quid teneatur *hæres* filius cujus pater, postquam, ne foro cederet, compositionem inierat cum creditoribus, debitis integre solvendis par factus fuerat . . . 454

Solvitur casus de jure sepeliendi et obligatione solvendi quartam funeralem 456

Indicatur quo recurrere et quomodo rem componere debeat confessarius qui, omnibus paratis ad nuptias, detegit matrimonio obstare impedimentum affinitatis illicitæ in 1° gradu lineæ collateralis necnon impedimentum publicæ honestatis 511

Circa iterandas cæremonias Ritualis pro convalidando matrimonio in casu. 575

Utrum *operum conductor* tuta conscientia accipere possit pecuniam pro qua ex pacto in publica conductione a redimendo opere abstinuit 576

Ad quid teneatur ratione obligationis celebrandi pro grege parochus diœcesis Brugensis qui, in festo S. Bartholomæi, Brugis exercitiis spiritualibus interest 686

Solvitur dubium circa censuram et approbationem librorum 687

—

Libri dijudicati

Th. Bouquillon, *Theologia moralis fundamentalis.* Edit. 3ª 69

L. Delplace, S. J. *Catena Evangeliorum et Acta Apostolorum sacerdoti meditanti proposita.* Edit. altera 72

R. P. Robert de Bruges, F. M. C. *Le Catéchisme du Tertiaire de S. François d'Assise* 136

Pag.

R. P. Robert de Bruges, F. M. C. *Le petit Catéchisme du Tertiaire de S. François d'Assise* 136

De imprecatione « Deus damnet me » auctore Jos. Aertnys, C. S.S. R. — *Dissertatio theologica de blasphemia neerlandica* etc. auct. Waltero, F. M. C. 137

A. Vermeersch, S. J. *De religiosis institutis ac personis tractatus canonico-moralis* 225

Onderrichtingen en aanspraken door F. Duhayon, S. J., herzien en vermeerderd door P. Lyna, S. J. 227

De Heerlijkheden der goddelijke genade door Dr Scheeben, in 't Vlaamsch vertaald. 287

Manuale liturgicum juxta novissimam rubricarum reformationem et recentissima SS. Rituum Congregationis decreta, cura et studio P. Victorii ab Appeltern, Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum alumni et Juris Canonici ac S. Liturgiæ lectoris 290

Les Caisses rurales en Belgique et à l'étranger par l'Abbé J. Trigaut — et *Les prêts des Caisses Raiffeisen et leurs garanties* par M. Damoiseaux 291

Dom P. Bastien, O. S. B. *Constitution* **Conditæ a Christo** 362

Socialism en ware leering door C. Lootens 363

Judoci Clichtovei *De vita et moribus sacerdotum* opusculum, denuo, cum præfatione de vita et operibus auctoris editum a G. J. Waffelaert, Episcopus Brugensis 408

Practisch Onderwijs in den Mechelschen Catechismus door Kan. De Weerdt, S. T. L. 410

De christelijke deugden, auct. L. H. Krick, vertaald door C. De Jonghe 514

Gebeden en gezangen voor kinderen ten gebruike bij kerkelijke diensten en plechtigheden door H. Wuyts, pastoor 579

Enseignement pratique du Catéchisme de Malines par le Chanoine De Weerdt, S. T. L. 689

GTU Library
3 2400 00271 9510

Collationes Brugenses

v.8
1903 CBPaC

v.8
1903 25286

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709